Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
A
32
NAPOLI

XXV.
A.
32.



CHRISTIANI NOLDII,
Leges Diſtinguendi,
SEU DE
Virtute & Vitio Diſtinctionis,
Opus.

In Quô,

Præter Naturam Diſtinctionis formaliter inveſtigatam, Diſtinctiones plures Trecentis, materialiter, tam ex Sacrâ, quàm Profanâ Chartâ, producuntur & in Principiis ſuis expenduntur.

SENEC. EPIST. XXXIII.

Quid ergò ? Non ibo per priorum veſtigia ? Egò verò utar viâ veteri ; ſed ſi propiorem, planioremque invenero, hanc muniam.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. EMANUELE III

FRANEQUERÆ,
Excudit JOH. ARCERIUS.
Typogr. Anno 1657.

PERILLVSTRI ET
GENEROSISSIMO
DOMINO,
Dn. JOACHIMO à GERSTORPH,
Domino de Tundbyholm &c.
Regni Daniæ Aulæ Magiſtro, & Senatori, Equiti Aurato, &c: &c:

Domino, & Patrono ſuo, humilimè Colendo.

Perilluſtris, Generoſiſſime Heros &c:

COmpellaturus Auguſtum Nomen Tuum, ità in limine cogitationibus diſtrahor, ut unde initum mihi arceſſendum ſit, incertus ſim.

Nam & præter Avitum familiæ illuſtre Decus, Propria Virtus, atque animi Magnitudo; ſed & exquiſitiſſima & illô faſtigiô Tuô major Eruditio, quâ undiquaque ad ſtuporem uſque es inſtructus, & Amor curaque tam vaſtę Gentis, quę in Te oculos conjecit ſuos, & quaſi Alterum Minus cælô datum Sydus veneratur &c: talia ſunt, ut facilius ſit in omnibus ſummum, quàm in aliquibus Te excellentē, dicere. Parum foret, Te Bibliothecam in totô Arctoô

Or-

Orbe facilè prȩſtantiſſimam, ſumptu incredibili, tot annos, erexiſſe, ſi non ipſe Spirans Bibliotheca eſſes, & Tuô unius pectore, Naturæ quodam admirabili compendiô, ea omnia, (certè optima,) teneres, ob quæ illi, Tot illuſtres Animi, ſcriptis, ſinguli ad immortalitatem pervenerunt. Clarum habuit Antiquitas Eum, qui vultu & nomine, Cives cognitos haberet ſuos. Quantò in Te majus aliquid, Natura, Arsque, collocatum voluit, cui non à facie, & nomine, (quæ

fallacia, aut parvi uſus ſunt) Tuos in perſonâ ut cognoſcere poſſes, curæ fuit; ſed qui ſingularum ſcientiarum & profeſſionū, Divinâ quâdam 'αγχινόιᾳ ità gnarus es, ut omnium cenſor, & quid quisque habeat in receſſu, & quid humeri cujusq; ferre valeant &c: certiſſimus & feliciſſimus inveſtigator eſſe poſſis. Nempe: Aliud ab eô non eſt exſpectandum, qui vel illud *Juliani* ſuum fecerit: Κἂν τ᾽ ἕτερον πόδα ἐν τῇ ζωρῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην. Quod quàm inæſtimabile in Republicâ momen-

mentum ſit, delectis ad ſingula, idoneis &c: Et quàm illud non poſſit fieri, ubi verbis aliorum, & non etiam ſuô judiciô, plurima facienda ſunt, haud ignorari poteſt. Difficile eſt in Poteſtate tenere modum: (Ut eſt Naturæ mortalium fragilitas;) Nihil agere per ſuperbiam, aut inſolentiam: Nihil per Injuſtitiam, aut turbidiorem aliquam Animi commotionem: Non dare, aut patefacere aures aſſentatoribus: Repudiare & ſeveriſſimè contemnere vo-

luptates &c : Quæ in Te, pluráque, ad menſuram ſic venerunt, ut qui *Bonam Perſonam Publicam* vult deſignare & exprimere, non ſicut ille, qui Venerem picturus, Quinque Virginum pulcherrimas adhibuit &c : Sed in Te Unô, Exemplar, ideam, & imaginem habere poſſit. Adeò & Solon, (an Bias?) hìc diceret : *Magiſtratus oſtendit Virum* : Et Epaminondas, (Sententiâ inversâ:) *Vir oſtendit Magiſtratum*. Sed quid Stellis nebulam Ego umbra ſpargo? In

iis radiis & luce eſt ſplendor Tuus, ut his meis coloribus non egeat: Cui Virtutum Tuarum panegyris, tam ubique viribus major, quàm hôc locô, non eſt ad propoſitum.

Cum in lucem niteretur hic parvus fœtus meus, & diſpicerem de Patronô, qui ſuciperet, & contrà temporum injurias, (ſi mereretur,) Tutor eſſet; diu mihi non fuit dubitandum. Nam etſi tam immaniter non poſſem falli, ut putarem, eſſe hoc Nomine Tuo

Perilluſtri dignum munus &c: Fecit tamen illa maxima Tua mixta Gravitati Morum ſuavitas, & in Ordinem noſtrum favor & diffuſa Benivolentia, ſed & privata Tua in me Gratia, quam tam benignè certóque ſum expertus, ut nihilominus non potuerim, quin hoc, quale quale eſſet, Generoſitati Nominis Tui, quàm humilimè inſcriberem. Dabis, (quæ Tua Generoſa Virtus eſt) ut etſi tot graviſſimis diſtinearis occupationibus, hôc præcipuè tur-

turbulentô rerum ſtatu, tamen mihi liceat accedere, & auditus, hanc inire gratiam. Ampliora offerant, quibus ampliora: Hoc eſt; quibus aurum & culti jugera magna ſoli &c: Ego, cui tenuis hoſtia eſt, & cui ruſculum aratur exiguum, cum Hecatombe; ſed nec thura ſuppetant, molâ ſalsâ, Agreſtium more, ſupplicabo. In reliquis cum ſim impar omnibus; votis, animôque, certabo vel cum quolibet. Et cum aliud non habeam pro ſorte meâ,

Deum certè non deſinam o-rare, ut quando Populo ejus ità neceſſarius es, & tantoperè laborem non recuſas, velit Te diu cum gloriâ Superſtitem, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervare, & afflatu ſui Spiritus, Generoſæ induſtriæ Tuæ, Conſiliisque Tuis benedicere, ut quæ Te Auſpice, Patria, in optimâ Libertatis cauſâ tentat & molitur; ſed & omnia, in felicem cedant exitum.

Amſtelodami. Calend. Jul. Annô 1657.

Ità vovet ac vovebit

Perilluſtris Generoſit. T.
Humilimus Cliens.

CHRISTIANUS NOLDIUS.

Lectori Candido.

S.

Plato, *cum in Phædro*, Facultatem Dividendi *appellat* inſtrumentum præcipuum Veritatis indagandæ, næ, *ille rectè*, Diſtinctionis, [*non dicam Uſum, ſed*] Neceſſitatem *tetigit. Etenim, cum* Veritas *potiſſimùm* indagatur, *ſententias conferendô, ſive Diſputandô; Et verò argumenta Diſputabilia nonniſi* geminâ viâ *ſolvi poſſunt, nempe aut* Negandô, *aut* Diſtinguendô; [*prout præmiſſa, ad quas reſpondendum, fuerint vel* ex totô, *vel* ex parte falſæ:] 1. *Sophiſt. Elench*. c. 18. *quantum* Diſtinctio, *pro* Veritate *ſit præſidium & propugnaculum, pateſcit. Sed &, cum rarò incidit* negatio, *eò quod vix fiat, ut niſi imperitus,* propoſitione prorſus falſâ παραλογίζεσθαι; *ſæpiſſimè autem* Propoſitiones univerſales *aut* communes, *venditantur pro* particularibus: *quæ propterea*, (*cum ſint* ex parte falſæ) *diſtinguendæ, & ad illud, de quô valent, ſubſtringendæ ſunt; patet, quàm in* Diſputandô, *hoc eſt:* Veritatem indagandô

al-

atque vindicandô, *omnis ferè rei moles, unam ad* Diſtinctionem, *recidat. Quid? quod*, [*multa paucis ut complectar,*] Diſtinctio *ultrà uſum Diſputandi, ſeſe porrigat ad* omnem Methodum; *nempe eam aquè* Didacticam, *ac* Polemicam, *ſeu* Diſputatoriam. *Iuxtà illud toties laudatum*: Qui benè Diſtinguit, benè docet. *Pulchrè autem*: Qui benè diſtinguit. *Nam cum à multis retrò ſeculis invaluit, ut omnes ferè proram & puppim, potiſſimùm Diſputationum, collocent in* Diſtinguendô; *poſſesque in illô forô* Diſtinctiones, (*ſi opus*) *non modiô, ſed horreô admetiri; pauci* quid, & quatenus, *ſeu* quàm benè, *illô in negotiô attendunt. Multi ſicut pro more habent* Diſtinguere, *ubi eſſet* affirmandum *aut* negandum; *Ità contrà intelliguntur* affirmare *aut* negare, *ubi eſſet* diſtinguendum. *Vitiô utrimque magnô & intolerandô: Cum ſi Propoſitionem capacem* Diſtinctionis, [*hoc eſt*; ex ſemiſſe & veram & falſam,] *abſolutè affirmas, affirmas ſimul eam* partem falſi, *qua in illâ reſidet; & ſi negas, ſimul*

par-

partem veri, *negas. Plurimi, cum locus datur* Diſtinctioni, *quomodò diſtinguunt, nihil penſi habent. Proferunt* Diſtinctiones barbaras, informes, malè cohærentes, nullas, futiles, *ſæpe* inauditas, legibus contrarias; *quibus ità rerum vocabula, ſeque, proſtituunt, ut iis album, atrum facere, Sancta Veritati nubem obijcere, & quadrata rotundis mutare, [ſaltem viciße ſi videri poßint,] nihil curent. Eſtque hoc ſeculi probrum, ità frequens, ut quomodò* Gallienus *ſuô tempore nihil vitrô dixit communius; Ità meherclè nihil hodie, illis Diſtinguendi gryphis & propudiis: Quibus fermè ad alterna ſpatia, (rectiùs quàm ille in* Colloquiô Lipſienſi, *Annô* 1519.) *opus habeas obtendere & occlamare:* Amove illum ſaccum Diſtinctionum &c: *Nonnulli*, Diſtinctiones, *per ſe quidem bonas, ſeu legitimas adducunt, ſed eas tamen diverſas à propoſitô, aut perfunctoriè & raptim applicatas. Sed verò quàm eſt certè crimen, non reſpondere ad propoſitum, & Diſtinctiones non in locô adhibere ſuô; tàm non commit-*

tet

tet Bonus Diſputator, ut priùs aliquam applicet Diſtinctionem, *quàm pro eâ accuratè cauſam dixerit: hoc eſt, Ejus &* formam & materiam, *juxtà Leges probè demonſtraverit. Qui enim ruditer agunt cum* Diſtinctionibus, *hoc eſt; eas tantùm nominant, neque ante probant & interpretantur, quàm eas applicant elenchis reſolvendis, ſimile mihi facere videntur, ac qui muro adhibent arietem, cujus valorem non ante habent exploratum, & cujus modum feriendi nondum rectè perceperunt, &c: Quare, cum hac & alia obſervarem inquinare pleroſque diſputandi actus, neque iis minùs doctos, quàm indoctos, fallere & falli; cæpi ante annos aliquot, cum me prima exercitia tenerent, in meos privatos uſus* Leges quasdam *meditari, quibus tanquam fundamentis nixus, poſſem illis ſordibus occurrere, & ex iis, ubi opus me eximere. Poſtquam autem ſenſi, ipſum hoc, quale erat, Bonis non ingratum eſſe, neque intereà Abuſum minui, ſed latius creſcere & incrementa capere, cæpi eam rem altiùs expendere, chartulas confuſas & ne-*

neglectas recognoſcere, atque adeò mecum experiri, numnè cum nemo utile hoc Argumentum, ex profeſsô fuit perſequutus, ego in vacui hujus poſſeſſionem, ſi non venire ipſe, ſaltem alios (qui hoc rectius exſequerentur,) meô quôdam exemplô inſtigare poßem. Ego quidem, hoc habui conſilium, ut quæ in eâ re valerent præcepta, *primùm* breviter *&* planè *formarentur. Poſtquam autem, (ſicut ille admonet)* longum iter ſit per præcepta, breve autem & efficax per exempla, *neque hæc aliis dicata voluimus, quàm rudioribus, ſeu incipientibus, cura fuit, non modò Præcepta ipſa* Logicè reſolvere, *&* declarare, *aut ex iis* Axiomata deducere; *ſed vel maximè* Exemplis ea illuſtrare, *atque in iis*, Uſum *&* Abuſum, *ex universô Scibili, oſtendere. Nova quod miſcuerim, nihil deprecor; cum* qui ante nos (*diverſum*) tradiderunt, non fuerunt Domini ſed duces noſtri: Nulla res nos majoribus malis implicat, quàm quod ad rumorem componimur, optima rati, quæ magnô aſſenſu, ſunt

recepta. Veritas nondum occupata eſt: multum ex eâ, futuris etiam eſt relictum: Et puſilla res mundus eſſet, niſi in illô, quod quæreret omnis mundus haberet. *Senec.* Epiſt. 33. & l. 7. Quæſt. c. 31. Καλὸς Θεόχερσος, ὐ μόνος ὁρᾷ *&c. Interim, temerè viâ tritâ non exceſſimus; neque aliter fuimus obloquuti, quàm ut docti meliora, ſequeremur.* Nomina Errantium, *in* Philoſophicis *tacuimus, niſi cum hoc gravis ratio extorſit. Sicut & parum fuimus ſoliciti, de conquirendis multis* Authoritatibus: *Cum quià in Philoſophia ſacris, non attenditur,* Quis dixit? *ſed* Quid dictum? *atque* Authoritas, (jura, *&* Hiſtoriam *ſi excipis,*) *non habet vim probandi &c: poſſent chartæ aliis impleri.* Res, *non* Perſonæ, *judicandæ. Si Quis autem, cum ſe iniquè à nobis putat reprehendi, contrà obloqui, quàm Veritatem pati malit, is ſe ipſe hôc jam prodidit, & neceſſitatem Nobis impoſuit, quæ in publicum hîc dedimus tuendi, atque reſpondendi vel* cum circumſtantiis. *In Exemplis autem* Sphæræ Superioris, *ſive*

The-

Theologicæ, *quià & valet* Authoritas (*nempe* Divina, *quæ eſt plus quàm apodictica &c:*) *& nè quis fieri injuriam ſibi*, *conqueratur; quæ in* rebus Fidei, *eſt graviſſima, neceſſe habui, non modò teſtimoniis ex ſacris me munire; ſed & ferè Sententias Adverſas* propriis & totidem Authorem verbis *comproducere*: *Quò hôc modô*, Theſis *cum* Antitheſi, *tantò rectius conferri poſſet, & ab æquô, quid valeret, percipi.* Non *exſpectabis autem, ut Controverſiæ*, *quas* Exempli *locô adhibuimus, hîc* [*quod dicitur*] *plenâ manu pertractentur*: *Hoc eſt*; *aliter quàm pro* Diſtinguendi uſu. *Nobis enim, inexercitatis hîc potiſſimum ſcribere volentibus, ſatis fuit*, [*quantum licuit in* O*puſculô*,] *viâ proximâ Veritatem indagare*: *atque indagatam confirmare*: *uberiori* διασκέψει, *& cognitione, ad* Theologos *&c*: *rejectâ. Atque hæc talis noſtri hujus Inſtituti ratio fuit. Nam quod hic etiam addidimus* ἐπίμετρον, *aliquot* Diſtinctionum in materiali, *cauſa fuit expoſita in Veſtibulô, ſeu* Proœmiô, *ad* Tmema Ultimum.

Quid hâc autem operâ præſtitimus Le-

ctor Candidus, *pro æquitate ſuâ judicabit. Sine dubiô reperiet, nos aliquid auſos ſine exemplô, quod labore conſtitit &c:* Dico veró: Sine Exemplo. *Quià cum multi* Diſtinctiones materialiter *tractarunt atque explicarunt; nempe tot* Caſtanæi, Rebii, Maccovii &c: *etiam* Alſtaigii, Alſtedii, Micrelii &c: *in* Lexicis: *& plena ſunt iis, omnium Scientiarum, & Habituum volumina, nemo ex omni Sapientum ſodalitiô, eas hactenus* formaliter *conſideravit, præter pauca,* confuſa, incompleta, &c: *quæ ſeorſim in* Methodis Diſputandi, *aut in* Logicâ, *Diviſionis titulô, inſperguntur. Certè* Schertzerus, *in ſuâ* Aurifodinâ, *non tam propter* Formam Diſtinguendi, *quàm propter* modum diſtinctiones *applicandi, commendationem meruit. Quanquam verò omninò exiſtimem,* Diſtinctionem formaliter *conſideratam, ſedis eſſe non alterius quàm* Logicæ; [*nempe tractandam in* Logicæ *ſeu* Primâ mentis operatione, *tanquam Terminum Com-*

plex-

plexum; *ſeu* Tertiâ, *tanquam partem* Methodi:] *tamen miror illud à* Nemine, [*ſicut & aliunde, quàm ſit* ille Habitus amethodicus, imperfectus, falſus *&c:* *quondam, Deô volente, oſtenſuri ſumus,*] *hactenus eſſe juſtâ operâ expeditum. Cum tamen illud magni ſit momenti, non ſolùm, quià hoc alibi non poteſt fieri; ſed & quià in uſu, magis intereſt* Diſtinctionis *de* formali, *quàm de* materiali. *Etenim quomodò Argumentum in* formâ *vitioſum poſſumus reijcere, quanquam valeat in* materiâ &c: *Ita &* Diſtinctio, *quæ vel tantillum peccat in* formali, *poteſt reiici, explodi, & proſcribi, quicquid fuerit de ejus* materiali. *Quare non putandum, rem confectam, aut negotium reſponſionis eße abſolutum, quoties aliquis, (ut fit,)* Diſtinctionem, *inter diſputandum, aut crudam proijcit, aut eam* materialiter *ſaltem explicatam, raptim transfert ad propoſitum &c: ſed quàm debet* Bonus Diſputator, *primò quidem membra Diſtinctionis à ſe prelata*, exercitè *repræſentare, hoc eſt;* materialiter *explicare; tam deinde, non*

intermittet, antequam ea applicat ad Argumentum, etiam ſignatè *&* formaliter *aſſerere, hoc eſt; oſtendere, aut paratus eſſe oſtendere, quod ſe habeant juxtà* fundamentales benè diſtinguendi Leges &c: *Aliter quæ eſt comparata* Diſtinctio, *tam ex publicis, quàm ex privatis Diſputandi ſacris excludenda eſt, & ex Vſu, velut lolium ex agris, exſtirpanda: Quia*, Frugibus inventis, veſci qui glandibus ardet, cum ſubus ad ſylvas eijciendus erit: *Ibique malè digerendum Confuſionis craßum lutum*, Accius & quicquid, Pacuviusque vomunt. *Quod ſupereſt*: Neminem *lædere aut* θιατρίζειν; *ſed, quibus potui, prodeſſe volui. Atque* unam Veritatem, *seriò mihi habui propoſitam: Quam ſi alicubi non ſum adſequutus, aut ſi non aptè ſingula compoſui, rogo, homo, homini ut ignoſcas. Feceris autem tuâ æquitate, ut ad eò plures auſus, (quorum pars mihi etiam affecta eſt) Deô Optimô conatus ſublevante, atque vires ſuggerente, pergam. Interim Vale, & his fruere, quà bona ſunt.*

ii,
erio
ſuo,
Deô
vires
& hin

Diſtinctio conſideratur,

Formaliter, in
Tmem: I. ubi
ejus

V.

Materialiter, in
Tmem: II. quà
Diſtinctiones ali-
quas maximè cor-
ruptas: Velut in

V.
I
M
II.
P

Opus habet duo Tmemata: Prius, *criticum* Diſtinctionis quà Diſtinctionis, *ſive in* formali, *tam Definitivè quàm diviſivè*: Alterum, *quaſi mantiſſæ locô*, *criticum* Diſtinctionum quarundam in materiali; *quas, præ aliis, ſeculi vitiô depravatas, nondum juſta opera, correxit.*

TMEMATIS-PRIMI,

CAPUT PRIMUM.

De Diſtinctionis Definitione.

Diſtinctio, eſt totius in partes adæquata reſolutio, quâ illud ad partes ſingulas, in Caſu rectô, poteſt ontrahi.

Efinitum, hîc non ſumitur, (1) *Metaphyſicè*, nempe, pro *diſtinctô*, quod eſt ſynonymum *Diverſi*; atque de ſe dicit; *unum non eſſe aliud.* Ita enim eſt *mem-*

 brum

brum disjunctæ Affectionis Entis, & τῷ *Idem* opponitur. Qualis *Diſtinctio*, non tantùm eſſe poteſt inter *unitivè contenta*, [ut vocant] ſeu *ſubordinata*; ſed & inter, ea quæ *genere* diſcrepant, & quæ totis ſuis non ſunt *adæquata*. Vt ita ab his noſtris *diſtinctis*, abſint quàm longiſſimè. Nec (2) *Logicè*, quod *partitiones*, atque *diſtributiones Rhetoricas inadæquatas*, ſimul comprehendit. Verùm prout loquitur *Definitio*. In illâ *Definitione*; *Conceptus Convenientiæ* ſeu *Genericus, remotior*, eſt, *reſolutio totius in partes*. *Totius* [inquam] ſumpti non *accuratè* & *acroamaticè*, pro eô quod partes *Eſſentiales* ſive *integrales* habet; id quod *propriè* totum, agnoſcunt Scholæ; ſed *laxè* atque *exotericè*, pro omni eô, quod in ratione *totius qualiſcunque*, poteſt dividi, ſeu κατ' ὄνομα ſeu κατὰ πρᾶγμα. Conſtabit enim quod *totum* hîc æquivalens *diſtincto*, jam ſit *Nomen*, jam *Genus*, [præſcindendô & ab *analogô*] jam tantummodò *ſubjectum*. Quod vel ipſum, non hîc ſolum *principale* [ſeu ſubſtantia] incidit; ſed etiam *minus principale*, [Accidens]. Ea v. ſingula ſe ut *totum* aliquod *univerſale* habent ſaltim καθ' ὁμοίωμα: Quatenus in iis omnibus, eſt qualiſcunque aliqua *indifferentia* ſeu *potentialitas* ad eas *partes*, quarum *tota* ſunt. Ut hoc ſenſu, *diſtinctum* et

ro-

totum univerſale, laxè ſumptum, æquipolleant. *Conceptus Genericus proximus Diſtinctionis*, eſt *reſolutio adæquata*, talis nimirum, in quâ *partes totis*, & *hæc illis* ſic reſpondeant, ut invicem, retrò commeare poſint. Voco autem hos *Conceptus, Genericos*, qvià eos *Diſtinctio*, cum *partitione*, habet communes. *Conceptum diſconvenientiæ* ſeu *differentialem*, ſtatuimus, in *totius ad partes* [ſit venia verbo] *contrahibilitate in caſu rectô*. Dico ergò (1) *Totum* hîc *diſtincto* congener, non eſſe totum, ſive diviſibile, niſi qvà eſt aliqvid *potentiale* ad membra ſua: eâ cauſâ dixi, qvod *poſſit contrahi*, non qvod contrahat; qvià qvàm primùm *actu*, illud ſe in aliqvam partium infert, jus *totius* perdit. Ut ſeqvetur. (2) *Partes*, quæ hîc *membra diſtinguentia* ſunt, non accipiendas eſſe *abſtractè* ſivè prout contradiſtingvuntur *totis ſuis*, verùm *Concretè* & prout *tota* [ſed in formâ *partium*] imbibunt. Nam ſi *abſtractè* capiuntur, v. c. *Rationale* & *irrationale*, pro *rationalitate*, & *irrationalitate*, nunquam *tota*, ad *eas*, futura ſunt contrahibilia. Neque enim *animal* eſſe poteſt *rationalitas*, aut *irrationalitas*; quià *Genus non prædicatur de differentiâ, ſpeciem conſtituente*, 6 Top. 6. Itaque ſumenda ſunt [ut dixi] *concretè*, quô modô, *tota* eorum,

ſunt ad *illa*, contrahibilia; ut *rationale*, ſit animal, habens rationalitatem; *Irrationale* habens formam bruti, ſeu irrationalita tem: *doctus*, homo habens eruditionem; *Rudis*, homo, eâdem deſtitutus &c: *dices*: ſi *diſtingvens* ſive *membrum*, ità *actu* continet *totum ſuum*, qvomodò *hoc* tum ſit ad *illud*, potentiale ſivè contrahibile? Nam quod quid *actu* contrahit, ad illud non eſt amplius contrahibile, ſeu *in potentiâ*? Rectiſſimé: verùm, *totum illud*, quà eſt *actu* in aliquô membrorum ſuorum, non jam *totum*, verùm *pars* eſt. Omninò enim illud, quà eſt *totum*, ſiſtit in *potentialitate* ſaltem, ſeu *indifferentiâ* ad *partes* ſuas. Quæ *potentia* facilê duci in *actum* poteſt, ad aliquam partium, v. c. *animal indeterminatum*, ad *hoc animal*, ſive *rationale* &c: Quod cum ſit, animal è *totô*, in *partem* cadit. Dicam explanatius. *Duo totorum genera*, in hoc caſu nobis diſcernenda ſunt: *Alterum*, à parte *diſtincti*, quod ſemper *totum*, quoddam *univerſale* eſt; (prout ampliavimus:) *alterum* à parte *diſtinguentis concreti* [quatenus, nimirum hoc ſibi relinquitur, & cum *diſtinctô univerſali*, tanquam *pars* ejus, non confertur &c:] quod eſt *totum*, vel [quaſi] *Eſſentiale*, vel *accidentale*. Vocamus autem *hæc*, etiam, *tota*, quô jure, *Metaphyſici*, om-

ne

ne *compoſitum*, ἐν πλάτει, *totum*, appellare ſolent. Quamdiu *totum univerſale*, ſeu *diſtinctum*, præciſionem ſervat, à *membris* ſuis *diſtinguentibus*, tamdiu etiam *totum* eſt: ſed quàm primùm illam *potentialitatem* ſuam, in *actum* transfert, & mergit ſe, in aliquod. *membrorum diſtinguentium concretorum*, mox fit *pars*, illius; fitqne viciſſim illud *membrum concretum*, poſtquam *totum univerſale* jam deſtructum eſt, ſeu non attenditur, etiam illud, in ſuô ordine, *totum*, vel [quaſi] *Eſſentiale*, vel *accidentale*. Eamus per exempla, omnis generis *diſtinctorum*. *Animal* [quod nobis iterum prælucebit, in *diſtinctis Eſſentialibus*, ſeu *Strictè univerſalibus*] quamdiu *totum*, ſeu *diſtinctum eſt*; tamdiu etiam *potentiale* quipiam, ſeu *contrahibile* eſt, ad utramque ſuam differentiam. Poſtquam verò idem, *actu* deſcendit, ad membrorum alterum, v. c. ad *rationale*, et ità ſe in illud, quod ei ineſt, *animal*, ſolvit, mox exſpirat *totum*; poſtquam animal illud, quod jam eſt *actu*, *hominis*, non eſt amplius, etiam ad *brutum*, contrahibile. *Eſſentiale* enim quod uni ineſt, non poteſt ab eô, ad aliud eſſe volatile, niſi illud ipſum, cujus eſt *eſſentiale*, concidet. Ità fit *animal*, *pars rationalis* ſive hominis, qui ex *illô* & *rationalitate* ut

totum [quaſi] *eſſentiale* conſit. Valde enim *ἀναλόγως* hæc ſe habent, ad *actum* & *potentiam*, ex quibus *tota* ejusmodi *eſſentialia*, [*partibilia*] ſolent fieri. In reliquis *diſtinctis*, quæ naturam *totius univerſalis*, proximè exprimunt, res eôdem recidit. Vox *Cancer*, [in *Nominalibus*] ut *potentia*, ſeu *contrahibilis* eſt, ad *partes* ſuas, v. c. *morbum*, *ſydus*, *genus piſcis* &c. eatenus *totum* eſt; ſed cum *actu cancer*, *nomen*, ponitur in horum aliquo, nempe *morbô*, patet *cancrum*, qui jam non eſt inſtructus ab omnibus ſuis partibus [neque enim poteſt vox *morbo* data, etiam indifferens eſſe ad alia, & ad *ipſum morbum* &c.] & ſic neque *totum*, in *partem* ſubſediſſe: Quippe jàm ex *Voce illâ*, & *morbô*, *re*, fieri *Cancrum morbum*; tanquam *totum accidentale*. Voces enim rebus extreſſentiales eſſe, & ſignificare κατὰ συνθήκην, in propatulo eſt. In *diſtinctis Accidentalibus*, v. c. cum *linea* dicitur *recta* vel *curva*; *linea* certè ut eſt *totum*, nunquam *actû* contrahit *membra illa*, ſed tantùm eſt ad illa, *contrahibilis*; quippe *de ſe* dicens ſaltim *potentialitatem* ſeu *indifferentiam* ad utrumque. Quando autem *linea* ut aliquid illapſum *diſtinguentibus ſuis*, conſideratur, v. c. *Curvo*; mox defecit *linea* à *totô*, & ſe dedit *parti*, ut ex eo ad

rectum,

rectum, quod tum habet ſibi *oppoſitum*, non poſſit ſeſe expedire, & ſic neque eſſe *totum*. Fit itaque *linea curva*, ſeu *Curvum*, [quod anteà, ad *lineam abſtractè*, *pars fuit*] etiam illud *totum*, ſeu *compoſitum* aliquod *accidentale*. Adeò *totum*, quà *diſtinctum*, *contrahibile*, & non *actu contrahens eſt*.
[3] Fuit requiſitum, ut illa *contrahibilitas* ſeu *communicabilitas ad partes*, fieret in *caſu rectô*: idque propter ſummovendas *Partitiones*, quæ ſunt *totorum eſſentialium* & *integralium*, & nil rei habent cum *diſtinctionibus*. *Illis*, proprium eſt contrahi ad *partes ſuas* in *obliquo*. ſicut infrà, latius in hunc campum pergo. Neque enim dicitur: *Anima* eſt homo, ſed *pars hominis*: aut *Ethica* eſt prudentia, ſeu Philoſophia practica, ſed *pars Prudentiæ*, ſeu *Philoſophiæ Practicæ* &c. Quanquam *tota* iſta *partibilia*, etiam per illud, expelluntur è ſocietate bonorum *diſtinctorum*, quod non ſint *contrahibilia* ad *partes ſuas*; quas nempe, ipſo *actu*, contrahant. Quibus ità paulò fuſiùs diductis, facilè nunc quidem intelligitur, quarè aliorum operas, non ſequuti fuimus, maximè (a) *Maccovii*, auſi definire *diſtinctionem*, [quam vocat *limitati-*

(a) In diſtinct. & Regul. edit. à Nicol. Arnold. p. m. 157.

tionem, *modificationem*, *conciliationem*] per *determinationem ſubjecti & Prædicati*: Cum potuit *Vir doctus* & *Philoſophus* meminiſſe, quàm (1) *Non omnis diſtinctio determinet & Subjectum & prædicatum*, ſed aliqua, tantùm *Subjectum*, aliqua tantùm *prædicatum*. Et (2) *determinatio* illa *ſubjecti* aut *prædicati*, non pertineat ad *diſtinctionem ut ſic*, ſeu *à priori*; Sed ad ejus tantùm *applicationem*, ſive *uſum*, *à poſteriori*.! *In ſe n. diſtinctio*, eſt *Terminus ſimplex* [nempe *Complexus*] cum ab eo, hoc eſt *terminô ſimplici*, nullum *vinculum*, abhorreat, præter *Verbum* &c. At cum ità determinatur *diſtinctio*, ad *ſubjectum* ſive *prædicatum*, fit *pars propoſitionis*. Quó & reſpectu, hoc eſt: non *per ſeſe*, ſed συμβεβηκότως, dici poteſt, *limitatio*, *modificatio*, & *conciliatio*. Dn. *Reeb*, cum in *prænotand. ad diſtinct.* definit eandem, *per multiplicis ſenſus explicationem*, & *ſeparationem unius partis*, *cum quâ veritas propoſitionis ſtare non poteſt*, eâdem eget admonitione: niſi quod, hoc ultrà dum diſtinctioni, *explicationem multiplicis* adſcribat *ſenſus*, loquatur de *diſtinctione*, non *ut ſic*, ſed *nominis*.

PO-

PORISMATA & AXIOMATA, GENERALISSIMA.

De diſtincti & diſtinguentium onomatheſiâ, poſſunt ſapientes, qvoties urget repræſentatio, diſponere.

Licet heic conſiderare, (1) *jus ipſum onomatheſiæ conceſſum*: Qvatenus vocabula θέσει, & non φύσει valent. Licet ergò ὀνοματοποιεῖν, hoc eſt: Rerum *nomina*, non tantùm inveterata expolire, aut à primâ ſede ſuâ, ad alia, ob cognationem, flectere; ſed & de novo introducere, excogitare, fingere. Neque enim hîc ſemper intereſt, qvàm Latinè, ſed qvàm commodè. Nam non ſolùm *Natura*, inuſitatis vocabulis augetur, & augeri poteſt, quoties novi aliqvid patefacit; ſed etiam *Artes* ferè ſingulæ, reperiuntur, qvàm plurimis ejusmodi terminis, [barbaris utique, ſi quod cultum illud vetus ęvum in ſermone ignoravit, barbarum erit] hinc & inde plenæ. Quales ſunt: in *Theologiâ*; incarnatio, juſtificatio, Trinitas &c. in *jure*, clarigationes, ladimiæ, ganerbiatus &c. in *Chymiâ*, cohobationes; In *Philoſophiâ*, indiviquationes, entitates, univerſaleſcere &c. Qvæ fruſtrà eò reprehenderis, qvod non cogni-

cognita fuerint *Ciceroni*, cum nec meliora his, ex ipſo poſſis ſubſtituere, nec qvod hic *Norma dictionis noſtræ abſoluta*, ſit, probare. Multa in *Vitruviô* Architectonica; in *Vegetio*, militaria; in *Varrone* atque *Columellâ*, ruſtica reperiuntur; in re Pictoriâ, Textoriâ, Navali &c. apud alios, qvæ in *Tullii* codicibus, fruſtrâ reqviſiveris. Qvin nec ipſe *Cicero*, in veteri dictione, ità puri oris fuit, ut non *Appeitatem*, & *Lentulitatem*, *Qvantitatem* itidem, & *qualitatem*, cum ante ipſum, *quantum* & *quale* fuit dictum, introduxerit. *Termini ex rebus menſurandi ſunt, non autem res ex terminis.* (2) *Quandò & quouſque conceſſum*; nempe ad aras *neceſſitatis*, ſive *quouſque urget repræſentatio. Repræſentatio* autem urget, quoties objectum aliquod, *aut* nomine caret prorſus, *aut* eôdem inconvenienti gravatur. jam verò quàm non licet *temerè*, χειμένην λέξιν περιβάλλειν, ſitque [quod *ille* ait] *intempeſtivæ orationis, velle in eô elaborarc, ut quæ ſèmel rectiſſimè dicta ſunt, novâ orationis formâ enuncies*, tam non debet eſſe dubia, hâc urgente *repræſentatione*, licentia, ad augendam rem literariam, rerumvè pondus exprimendum, terminos, *aut* de integro fingendi, *aut* ab aliis transferendi. An vero ſi Na-

ſi Natura, poſteris aliquid detexit, quod invidit Antiquitati, non eſt appellandum, quià Antiquitati non fuit appellatum? minimè. Omnibus hôc modô, unum jus eſt, in hanc rerum univerſitatem. Neque ſi in *terminis* [præcipuè *Artis*] Majores noſtri minùs fuerunt, circumſpecti, ſera ætas, obligata putanda eſt, ipſorum nævos tegere, multò minus, ſumere ut oracula &c. cum unicuique, quàm poſſit, adnitendum ſit, ad veram ſapientiam, & nè intellectus, quem Deus, rerum dominum conſtituit, ſerviliter omnia ætatis reverentiâ, accipiendô, in mancipium evadat. (3) *Quibus conceſſum*; nempe *Sapientibus.* Ubi tamen aliquid temperamenti adhibendum eſt, prout quis *onomatheſiam* illam, vel *Naturæ* vel *Artis*; atque *utramque* iterum, vel *commentitiam* [quæ fingitur,] vel *tralatitiam*, [quæ ab aliis transfertur] invenit. *Onomatheſia Naturæ*, tam *fictitia*, quàm *tralatitia*, communis eſt, non ſolùm Eruditis ſed & vulgo; prout ſors, quemque, rebus necdum cognitis, obtulerit. Ita videre eſt *Nautas*, rude hominum genus, *terris*, *fretis*, *animalibus* &c. à ſe detectis, *nomina* indidiſſe, quæ in uſu valent. Quamquam melius fuerit *tralatitiam*, indi ab *expertis*, ut qui clarius introſpicere

norunt, rerum juxtà ſeſe, *habitudines*, atque ità luculentius, & expreſſius *nomen* indere. Sed quod *Artem* & ejus præcepta attinet, nullum omninò, in ejus *terminis*, inexercitata illa & pullata cohors, *nominis* poteſtatem habet. Quid enim cæcus de coloribus? Ut nemo, ex umbrâ, ſciolus, hîc ſibi putet licentiam aliquid comminiſcendi; ſed nec σκληρολογίας taxandi, emolliendi, abrogandi &c. ut quæ propria & relinquenda veniat, hominibus idoneis, quorum juſta eſt tum *Sapientia*, ut hoc rectè poſſint, tum *Authoritas*, ut hoc alii etiam velint & ſequantur. Interim & hîc Prudentiæ fuerit, communem *Artium* ſtylum, non de quâvis causâ, immutare, & *Majorum* manes, qui ejus uſum fecerant, refodere. Quô in vitio, præprimis, malè audit *Ramus*, qui ex ſingularitatis quâdam affectatione, atque ſtudio inclareſcendi, nimis ſtrictè aggreſſus fuit *terminorum Artis*, reformationem. *Deinde*: Eorum quæ cum *Vulgo* communia ſunt, non facilè tentare reſtitutionem, ſeu correctionem; In quo operam perdideris. Eſt enim ejus roboris, ille trium literarum, [quod dicitur] tyrannus, *Mos*, ut non facilè ei, quicqnam extorſeris in communi regnô;. ſeu ubi ſumma rerum, juxtà cum

cum imperitis, eſt diviſa. Ità *Polydorus Virgil.* (b) rectè ille quidem: *Profectò pudendum eſt, ſimulque dolendum, quod non antehac data ſint iſtis diebus* [nimirum hebdomadis, Lunæ, Martis &c.] *Chriſtiana nomina; nè Dii gentium, inter nos, tam memorabile monumentum haberent*: Et videtur etiam aliquid tentatum tempore (c) *Hieronymi*, ſic ſcribentis ad *Hedibiam*, *omnis hebdomada, in Sabbathum, & in primam & ſecundam & tertiam, & quartam & quintam, & ſextam dividitur: Quam Ethnici idolorum & Elementorum nominibus appellant &c.* Nimirum, uterque rectè unguis fuit in tam fædo ulcere, laudarique ille conatus poteſt, quo *hic* voluit *nomina moderata* ſubſiituere, in locum iſtarum Idololatricarum atque planetariarum appellationum; tamen videmus, quid promoverint, poſtquam uſus, in aliorum, quàm in ſapientum, poteſtate, fuit. Cui rei, non minus illuſtre documentum dedit *Gregorius* XIII. ad Annum Chriſti 1582. cum dies Menſium, propter vitia anticipationum, mutaturus, nec ille multum obtinere potuit. Quare in hoc caſu, præſtat ferre, quod mutari nequit, & τὸ κρισεῦζειν, cum (d) *Philoſopho*, ἠμιώζειν cenſere, quià non

(b) l.6. c.5. (c) Quæſt. 4. (d) 2. Metaph. c.3.

eſt quod ſperemus caſura, quæ ſic ſunt in honore *Vocabula*, nî volet *uſus*, quem penes arbitrium eſt, & vis & norma loquendi. Sed quare *tertium cerebelli proceſſum*, poſt *vermiformes*, Filii Medicorum, vocant *pontem*, [nempe *Varoli*]? *pons* certè neque eſt *figurâ*, nec *officiô*. Ità adhuc multa Augiæ ſtabulô, expurganda ſunt, priusquàm omnes terminos artis, tales quales eſſe debent, h.e. vividos aptoſque habituri, ſumus. Interim, *Dices*: Quando agè de *diſtinctionibus*, & quid verò hæc ad rhombum? Multum equidem: Nam quia placuit materiam hanc, *in genere* perſequi, ob uſum ſuum diffuſiſſimum, quæ *in genere* dicta valent, etiam valent *in particulari*, & ſic de *diſtinctionibus*, etiam ſubſumi poſſunt. Nunc ad *praxin*. (1) *Paræus*, cum *Remonſtrantes*, *Gratiam Calvinianam*, appellarent *irreſiſtibilem*, atque terminô etiam *Gratiæ reſiſtibilis* uterentur, valdè commovetur ad *vocum barbariem*, clamatque: (e) *Hi termini ipsô ſonô ſunt horridi & barbari*, *imò ſolæci &c.* *Rem* tamen, [termino *Gratiæ irreſiſtibilis* denotatam] admittit. Nuces hîc venales, & ligulæ. Cum *Calviniani*, talem fingunt *Gratiam*, quæ ab homi-

(e) In Exam. Artic. 4. Rem: prælectô dordraci Seſſ. 99.

hominis voluntate pelli, atque expugnari nequit; quæ ſit, [ut ille ait] *ineluctabilis, inevitabilis*, *πειτανάγχη* &c. quid vetat eam dicere, qualem faciunt, *irreſiſtibilem*? An quia vox eſt *illatina*? atqui officiô ſuô ità fungitur, ut etiam ſit aliis, multò ſignificantior. Sola enim, *reſiſtentiam*, [nempe voluntatis] cujus hîc unius, cauſa agitur, inſinuat. Quod vel ipſum eam, apud æquos, ſatis excuſatam dabit. Non animaduertit *Paræus*, *quod* cum alij *ſonô*, ipſe *re* ſit *horridus*, dum talem, cum ſuis *Gratiam* introducit, quæ *ſpiritui Dei* nova, plurimorum non aures modò; ſed & conſcientias, quarum major eſt teneritas, offendit. Nulla enim *Dei Gratia*, datur *ordinariè*, [*Extraordinariam* non controverſam, excipimus] *irreſiſtibilis*; quià ſic, (cum in magnâ teſtimoniorum nube etiam alia dici poſſent) omnino ſequeretur *hominem*, *rapi enthuſiaſticè in actu converſionis ſuæ*, atque *Gratiam oblatam*, [modò ſeriam] *non poſſe repellere*. Id quod, ſicut *fato abſolutæ reprobationis*, viam munit; ità plurimarum conſcientiarum vulnus, imò, mors eſt. Quare loquendo de *re Gratiæ reſiſtibilis*, non eſt illa *excrementum*, ut (f) *Emdani* effutiunt; ſed eam ſo-

(f) Act. Synod. Dordrac. p. m. 169.

ſolam, *ordinariè*, Scriptura novit, non tantùm in *incredulis* ſive *non-renatis*, ſed etiam in *fidelibus*, imo, *ad gloriam electis dei filiis*, qui Gratiam, *ad tempus*, aut excuſſiſſe potuerunt, aut excutiunt.

(2) *Pontificii*; Cum *Lutherus*, *Arbitrium*, *ſerVum*, dixit, atque ità aperuit, ſeu potius renovavit, *diſtinctionem arbitrij* in *ſerVum* vel *loberum*, etiam illi tumultuantur ad vocis novitatem, mentiente, ſimul (e) *Bellarminô*: *Nomen ſerui arbitrij in Eccleſiâ totos mille quingentos annos, non fuiſſe auditum.* Atqui habuit *Beata Anima* terminum *ſerui Arbitrij*, legitimè repræſentatum, tum in *ſcripturâ* Ioh. VIII, 34. Rom. VI, 20. tum in *bonis Patribus*, certè (d) *Auguſtinô*. Multi, cum Venerem non poſſunt, ſandalium ejus reprehendunt. Contrà v. (3) Ipſi *pontificij*, abſque bonô & æquô βαρβαρίζουσι, cum diſtingvunt, *dilectionem*, in *IntenſiVam*, vel *AppretiatiVam*: Sicut videre eſt apud (1) *Melchior. Can.* (k) *Tolet.* atque alios. Futurum eſt enim ut quô gradu *intendas* amorem alicujus rei, eodem etiam, eam tibi, nec majore, *appreties*; [Quæ ipſorum phraſis eſt)

[k] Tom IV, l. 4. de Lib. arbit. c. 6. [d] lib. de Corr. & Grat. c. 13. & l. 2. contrà Julian. [1] Relect. de Præmit part. 3. p. 843. [k] l. 4. c. 9. p. 208.

eſt] *viciſſim*. Adeò pro *hac*, nulla exſtat *repræſentatio*. *Toletus* (l) prætendit, *patrem* aliquem *poſſe æquè intensô amore proſequi liberos primogenitos, & natu minimos, ſed cum tamen ſi jactura facienda eſt, pro his, illos ſibi appretiare* &c: Verùm *exemplô illô*, magis ſeſe impedit. Nam dum *his*, *illos*, parens, in *appretianô* præfert, præfert etiam in*amandô*, quià hôc ipſô, magis eos *diligit*, quò *appretiat*. Eoſdem obelos ponimus (4.) ad *diſtinctionem Meriti* (m) *Thomæ de Bradwardin*. in *præmiabile* ſeu *potentiale*, vel *præmiandum* ſive *actuale*; quaſi *opera juſtorum*, independenter à *promiſſione*, eſſent *merita præmiabilia*, hoc eſt: talia, quæ *ex ſe* verè mererentur aliquod *præmium*, ſaltem *improportionatum* ſeu *ex congruo* &c: dependenter autem à *promiſſione* ſeu *dei acceptatione*, eſſent *merita præmianda*, ſeu *proportionatè* digna mercede &c: cum *in ſe* tamen *illa*, adeò longè abſint à *condignitate* aliquid merendi, ſeu *proportionatè*, ſeu *improportionatè*, ut potius ob *imperfectionem* et *ſordes ſuas*, Eſa: LXIV, 6. Iob. IX, 3. Pſalm: XXXII, 6. & CXXX, 3. Rom. VII, 18. 1. Ioh. I. 8. coram tribunali dei, *punibilia*, quàm *præmiabilia* ſint. Iuxtà Deut. XXVII,

[l] cit. loc. [m] de Cauſ. Dei. contr. Pelag. l. II. c. 34.

& xxvii, 26. Iacob. ii, 10. &c: Quod autem id non fiat, non eſt adſcribendum *operi*, ejuſue diſpoſitioni, ſeu *ex parte* ſeu *ex toto*; ſed *ſoli Gratiæ*, excluſivè ad *opus*. Ut *Bradwardin*; malâ operâ, finxerit, *hos terminos*.

2. Diſtinctum, debet membris ſuis ſingulis quà materiale, eſſe communicabile.

Dico: (1) *Diſtinctum*: ut intelligatur *totum* non *partibile*; ſed *univerſale*. *Illud* enim quià plus *actu* continet, quàm ſingulæ partes ſuæ, & denominationes non rarò habet *propter aliquam partium*, mirum non eſt, quod non ſemper poſſit contrahi, ratione eorum quæ ſe denominant, ad ſingulas partes. Quàm enim *una partium*, non eſt *totum*, ſive *omnes partes*, tam quod *unius* ſaltim *partium* interuentu competit, non poteſt *omnibus partibus* attribui. Hinc dico: *Chriſtus* eſt immenſus, infinitus &c: ſed non; *Caro Chriſti*, eſt immenſa, ſive infinita &c. *Homo*, vulneratur, moritur, eſt formoſus, ſanus; ſed non, *anima*, vulneratur, eſt formoſa &c: viciſſim: *Homo* eſt *eruditus*, erectô incedit vultu &c: ſed non, *pes* eſt eruditus, aut *ventriculus* &c: dico,

(2)

(2) *Quà materiale:* Nam quæ *formaliter* propria ſunt *diſtincto*, quatenus idem eſt *indifferens*, *ſignatè*; [velut, *quod ex partibus conſtet*, *quod ſit majus qualibet partium* &c:] non poſſe *membris* communicari, non ſum neſcius: At quod in *diſtinctô* reſidet *materialiter*, ſive ut *Eſſentiale*, ſive ut *extraeſſentiale*, [modo *ei* verè competat *quà tali*, & non oriatur potius ex ejus *ad aliquod membrorum deſcenſu*] id omne *membrorum ſingulis* communicari, & de iis pronuciari poſſe, ſtatuo. *Ratio* eſt: Quià natura ejus modi *diſtinctorum*, ſeu *totorum univerſalium* eſt, ut ſe quanta quanta ſint, ingerant in partium ſingulas. Ideóque decident eò, cum omnibus opibus ſuis, hoc eſt; tam verè *partibus*, quæ ſe denominant, communicabunt. quàm ſe, ipſa, cum iis jungunt. At quæ *diſtinctis* à *membrorum aliquo* allinuntur neque iis *de ſe* competunt, & *quà diſtinctis*, ſecus habent. Utpote cum dico: *Animal* eſt *quadrupes*. Neque enim illud de *ſingulis partium*, poſſum diſtribuere; quià τὸ *eſſe quadrupes*, non denominat *animal quà animal*, ſeu *diſtinctum*; ſed quà idem eſt ad *alterum membrorum*; jam contractum, nempe ad *irrationale*. Ex quo liquet: *diſtinctum* quidem *ipſum*, ſemper oportere contrahi poſſe, ad ſingulas

gulas partium; ſed *denominationes diſtincti*, nonniſi, cum à *partium aliquâ* primò, non ſcaturiunt. Iuvat hæc meminiſſe (1) Contrà *Calvinianos*: *Deus*, inquit (n) Voetius, *vult peccatum, non quà peccatum, ſed quà ordinabile, aut quatenus convertitur ad bonum univerſi, & gloriam nominis ſui.* Simile eſt hoc κρησφύγετον alteri, quo dicunt: *deum velle peccatum, non ut peccatum, ſed ut pœnam. Etenim eum peccata, peccatis punire, & Iuſtam eſſe, hanc ἀντιμισθίαν* &c: Ità (p) *Beza*, (p) *Rivet*: (q) *Bucan.* & quàm plurimi. Ex v. *Diſtinctiones* poſtquam aliter nequeunt diſponi, quàm prout caput earum ſeu *diſtinctum* fuerit, τὸ *velle peccatum*; *Membra* autem, vel ut *peccatum abſolutè*, vel ut *ordinabile* ſeu ut *pœnam*, deo certè hoc *poſterius membrum*, non poteſt tribui, niſi illi ſimul tribuas *diſtinctum*. Ex quo planum eſt, *Caluinianis* adhuc omnia infecta eſſe, & illô quidem effugiô, *abſurdum*, quod nempe *deus velit peccatum*; [à quo nunc ferè videri volunt alieni, poſtquam ſe hinc premi in magnas anguſtias ſentiunt etc:] necdum poſſe ipſos declinare. *Aliud* eſt; *Deum velle ordinabilitatem et pœ-*

(n) diſput. Theol: p. 1075. (o) Volum: Tract. Theolog. p. 390. 395. (p) Ad oſe. 4. p. 149. (q) loc. 12. de pecc: p. 145.

pœnam peccati [nimirum jam commiſſi à poſteriori etc:] Et *aliud: Deum velle peccatum, ut eſt pœna aut eſt ordinabile. Illud*, Bonitatem et juſtitiam ejus ponit; *hoc*, evertit. (2) Contrà *Pontificios*, argutantes *caput ſuum*, poſſe errare in *Controverſiis juris*, ut *privatum Doctorem*; Sed non ut *Pontificem*, aut *ex Cathedrâ*. ſicut et *Bellarminus*, L. 2. de *Pontific. Roman.* cavillatur; Abiatharem à Salomone locô motum, non ut *Rege*, ſed ut *Prophetâ*. Quò contendo, ob cognationem, etiam illud (r) *Cajetani: Herodes* fuit contriſtatus non ut *Herodes*, ſed ut *Rex*: itemque illud (s) *Roberti Browne*, verberare ſe dicentis *Uxorem* non quà *Uxorem*, Sed quà *peſſimam vetulam* etc. Ea v. et ſimilia, *Canonis* hujus rectè intellecti ſpongiâ, facilè diluuntur. Etenim *diſtinctiones* hinc collectę, ſunt hujusmodi: *Homo* [ſive *hic homo* in individuô] conſideratus vel ut *pontifex*, vel ut *privatus doctor*: idemque vel ut *Herodes*, ſeu *ſuppoſitum* aliquod *ſingulare*, vel ut *Rex*: *Fœmina*, vel ut *Uxor* vel ut *Vetula*. [Fingamus v. propter lucem *Canonis*, *has*, ſicut proximas illas *Calvinianorum diſtinctiónes*, eſſe bonas; cum nulla earum tamen habeat *membra adæquata*; pluribus enim modis,

v. c.

(r) Ad Matth. XIV. (s) allegat. ab Horneb. in ſumm. Controv. l. 10, p. 620.

v. c. poteſt conſiderari *Papa* quàm ut *pontifex*, aut *privatus doctor*, [nimirum ut *cælebs*, ut *avarus*, *ſanus* etc:] Ubi, quià *actiones* et *paſſiones*, *errare*, *contriſtari*, non afficiunt *primò membra diſtinguentia*, [*Relationes* enim, quales, Rex, Doctor, vetula etc: *per ſe*, nec *activæ*, nec *paſſibiles* ſunt,] conſtat eas denominare *primò diſtinctum*, ſeu *ſubjectum*, in quod ſolum, recipi poſſunt. Unde quià ex præſcriptô, opes omnes *diſtincti* quà *diſtincti*, debent *ſingulis partium* eſſe communicabiles, intelligitur quàm non liceat eas, à *membrorum quopiam* excludere. Ut potius, quia errat atque *dolet* homo, erret etiam *pontifex*, et *Hérodes* contriſtetur: Bonuſque ille *Browne*, dum verberat *fœminam*, etiam verberet *uxorem* etc: Lepidiſſimè [quod narrat(t) *Duaren.* ex(v) *Fulgos.*] ὁ δεῖνα, *Archiepiſcopo Colonienſi*, cavillanti ſe magnificô uti comitatu non *quà Epiſcopum*, ſed qua *ducem*, ità naſum fecit: *Vellem*[inquit] *doceri cum hunc Ducem, cujus te perſonam gerere reſpondes, fatô functum, dæmones ad inferos rapiant, quò tum iturum Epiſcopum, exiſtimares?* Poſſunt quidem hujus generis diſtinctiones removere *aliquod membrorum*, à *cauſâ attributionis diſtincti*; Sed neuti-

(t) In de ſacr. Eccleſ. Miniſter. p. 1540. (v) l. 6. Collect.

neutiquam ab *ipſo attributo*. Sicut cum (p) *Chriſtiernus* 1. Rex ſeptentrionis, reſponderet *pontifici Romano*, quod *Iohannem*, *Archipræſulem Upſalienſem*, carceri mandaſset non quà *Archipræſulem*, ſed quà *hominem de mundo et periurum* &c: non voluit dicere, ſe *relationem Archiepiſcopalis officij*, ſecluſiſſe à *ſubjectô*, eamque ſeſe non habere in cuſtodiâ; Sed eam, cur *ſubjectum* fuit incarceratum, non fuiſſe *cauſam*; fuiſſe v. alios ipſius *pravos mores*. Quomodo etiam ſuum illud volunt intellectum, qui prætendunt (non dixerim qua gloriâ) *Regem ſuum*, ſeſe occidiſſe non quà *Regem*, ſed quà *Tyrannum*; quaſi *hoc*, non *illud* cauſa fuit, cum *utrumque*, luit tamen. Nimirum, ſi cæcus, & chiragogus ejus ſimul cadunt præcipites in foveam; poteſt non fuiſſe *cauſa*, cæcus, ſed tamen æquè, ac qui *cauſa* fuit, decidit.

3. Diſtincti illa materialis communicatio, debet fieri in caſu rectô.

Secus enim fit *Partitio*; quam inter & *Diſtinctionem*, juſtâ opus eſt diſtantiâ. Etenim in *illâ*, totum, actu combibit partes ſuas; in *hac*, non combibit: In *Illâ*, pars eſt aliquid

(p) Loccen. Hiſtor ſuecic. l. 4. p. 124.

quid minus, *actu*, quàm eſt totum; In *hac*, actu, aliquid majus: præter modò affirmata; quod totum *hîc* in caſu rectô; *illic* autem [uti fas eſt, vi oppoſitorum] in obliquô, contrahatur. Exiſtimo n. hoc mihi fore ἐν τῷ διδομένῳ quod quoties in *partitione*, *totum* aliquod *Eſſentiale* aut *integrale*, enunciativè contrahi debet ad aliquam partium, non hoc [deſcendendô *diſjunctim*] in *caſu rectô* poſſit fieri; ſicut ſi partiri lubet *corpus* in formam & materiam: *Comœdiam*, in protaſin, epitaſin & cataſtropheu: *Pneumaticam* in Theologiam, Angelologiam, & pſychologiam: *Logicam*, in organa trium ſuarum mentis operationum &c. *dixi* porrò, de *Communicabilitate diſtincti*, nè quis exiſtimaret, me eas etiam contemnere *diſtinctiones*, quæ *membra obliqua* habent; *Totô integrô*. Cujuſmodi, ex multis ſunt: *Sacramenti* in Initiationis vel confirmationis: *Innocentiæ* in perſonæ vel cauſæ: *Proportionis* in æqualitatis, vel inæqualitatis: *Anguli* in incidentiæ, vel reflexionis, *Hæriditatis* in ex teſtato, vel ex inteſtatô: *Ignorantiæ* in juris vel facti; & conſimiles. Quas nemo, ob hoc tenebris aut exiliô damnaverit, quod *membra* earum ſint *obliqua*; cum ſe ſeniô tuentur; & reverà non ſunt talia, *naturâ ſuâ*, ſed vel

vel ex *uſu*, vel ex *linguæ defectu*, quæ nonnunquam, *nomina adjectiva*, commoda, non tulit. Illud verò unà mihi ſentio, hîc inculcandum, quod quoties haberi poteſt *reductio ejusmodi caſuum obliquorum*, in *rectos*, [poteſt autem quàm ſæpiſſimè] toties haud quaquam negligatur, ob periculum, cujus nos monent *Logici*; quod nempe ejuſmodi *termini obliqui*, *Sophiſmata* generare poſſint. Venio nunc rectà, iis prælibatis, ad aliquot *Exempla*, quæ cum *Canone* hoc noſtrô, non ſentiunt: ut ſimul *uſus ejus*, fiat illuſtrior. Nimirum huc pertinent *Diſtinctiones*, [1] *Baptiſmi* in *Internum* vel *Externum*. *Sordium quidem corporis*, inquit [a] BEZA, *ablutio*, (fit) *per externum aquæ Baptiſmum*; *peccatorum autem remiſſio*, *&* *hominis innovatio per internum*. Eaſdem tibias, inflant alii, contendentes, *Baptiſmum Internum*, ſolis competere electis; *Externum* verò electis atque reprobis communem, ſæpè fieri, ſine *Internô*. *Multos* enim *baptizari ſolâ aquâ*. Sunt qui ſtatuunt, Infantes, *externè* dum baptizantur, credere quidem, ſed *inclinatione*, non *perfectione*. Quanquam & hoc nullâ cum iis concordiâ, qui pertendunt aliquos

(a) part. 2. ad Colloqu. Mompelg. p.52.53.44.

quos vel in uterô, baptizari *baptiſmô interno*; hoc eſt: *perfecti* eſſe *fideles*, antequam ſuſcipiant *baptiſmum* aliquem *Externum*. Etenim, *Baptiſmus*, juxtà (p) RAVANELL: *non confertur infantibus* [in fædere natis] *ut efficiantur filii dei, ſed ut appareat Deum in album filiorum & domeſticorum ſuorum, ipſos jam recepiſſe*. Hæc illi. Labyrinthum hîc incurrimus multiplicis negotij. Ad rem eſt, quod confiteatur (w) *Beza* atque *alii*: *Baptiſmum* geminari in *Internum*, & *externum* κτ μέρη, & utrumque concurrere ad *unum Baptiſmum* ſicut *animam* & *Corpus* ad *unum hominem* &c: Id enim ſi ità eſt, [quàm verè dicetur infrà] non ſanè licet ipſis ità progredi cum *membris illis*, ſed hunc in modum, id eſt: *in obliquô*: *Baptiſmus Externus* eſt *Baptiſmi* aliquid, ſive, *pars Baptiſmi*: ſimiliterque & *internus*. *Partes* enim hic alias, quàm *ſubjectivas*, neceſſe eſt intelligant, non ſolùm quià *animæ* atque *corporis*, utuntur exemplô, quæ ſunt *partes Eſſentiales*; ſed etiam, quià aliô modô *Baptiſmi unitatem*, non poſſunt ſalvare. Nam ſi membra illa; *Internus* et *externus* eſ-

(p) Bibliothec. ſacr. part. 1, p. 185. n. VI.
(w) cit. Meiſn. Phil. ſobr. part. 3 p. m. 974, 976.

eſſent *ſubjectiva*, hoc eſt: *partes univerſales*, non *unus*, ſed *geminus*, in eſſentiâ, foret *Baptiſmus*. Quod cum ipſis eſt *abſurdum*, ut ſint *partes aliæ*, relinquitur illam *recti caſus*, applicationem, hic non poſſe habere locum. Aliàs hæc peſſimè cohærent et cum *Veritate*, et cum propriis ipſorum *hypotheſibus*. Magnus ſtupor eſt, *effecta Baptiſmi*, qualia ſanè ſunt: *peccatorum remiſſio, hominis innovatio* &c: in *eſſentiam Baptiſmi* ſuſtollere: [quod utique fit cum ſecundum ea *Baptismus*, tanquam *in partes* dividitur:] Neque minor eſt vertigo: *Actionem cauſæ inſtrumentalis* atque *principalis, aquæ* nimirum atque *ſpiritus*, [*quæ* in omni philoſophiâ ſanâ, *ſtant pro unâ*] facere *diviſibilem*; imò: *diviſibilem* facere etiam per *partem ineptiſſimam*; qualis ſanè eſt *ſordium corporis ablutio*, expreſſè remota per *Petrum*, à *Baptiſmô*, 1 Epiſt. 11, 21. Intoleranda eſt audacia, *vim regenerandi* & *mundandi*, quam *ſcriptura*, *aquæ Baptiſmali* aſſerit unitam, Ioh. 111, 5. Tit. 111, 5. Eph. V, 26. nempe *organicè*, ab eâ velle ſeparare: *Sacramenta* hoc pactô, facere *vacua ſigna*, et *infideles* ab eorum perceptione, excludere, contrà exemplum *Iudæ*, Ioh. XIII, 27. Math. XXVI, 23, 27. & *indignorum*, 1 Cor. XI, 27, 29. *verè edentium & bibentium* &c: Veſanum eſt deliri-

lirium, *infantes ante Baptiſmum*, [ordinariè] *fideles facere*, Qui ſunt *caro*. Ioh. III, 6. *& filij iræ*. Eph. II, 3. *Fides in inclinatione*, ipſis nulli eſt ſubſidio. Hæc enim, ſi *actualis*, ſat de ſeſe et *perfecta* eſt, valens quippe ad ſalvandum, [videlicet ſi cum eâ infantes decedunt] ſi *poſſibilis*, nulla. ipſi enim, & qui *Philoſophos* legerunt, ſciunt: *Ens in potentiâ, non eſſe aliquid, priuſquam aſſequatur eſſe exiſtentiæ.* Propriæ ipſorum *Hypotheſes* ſunt: *Baptiſmum internum* & *externum*, eſſe *partes Baptiſmi*, & tamen *Baptiſmum* faciunt, ex horum alterô. Quaſi *totum*, cui *duæ partes* ſunt, in *alterâ*, ſalvum, eſſe poſſet. Adhæc: conclamant, *infideles non ſumere verum Sacramentum*; & tamen ſuum illud *βάπτισμα externum*, [quô & *reprobos*, dicunt ablui] faciunt *Baptiſmum*. An ergò ille *Baptiſmus*, non eſt *Sacramentum*? Valete *ſomnia*. (2) *Logicæ* in *Docentem*, vel *Utentem*. *Poſtulo* nonnulla. *Primo*: *Logica Docens & Utens*, [ſive, ejus γνῶσις & πρᾶξις] *non differunt ſpecificè*. Eſt hoc contrà eos, qui *Logicam Docentem*, quam à *rebus avulſam* dicunt, *propriè Logicam* faciunt: *Utentem* verò, ſeu *cum rebus concretam*, extrà *Logicam*, ſeu *totam*, ſeu aliquam *partium* ejus, conſtituunt, ex hôc fundamentô, quod *res non ſit uſus rei*: voluntque eam coincidere,

cum

n *habitu* illô *principali*, ex quô ſuam ma-
iam, defumpſit. Atqui verò etiamſi non
Fitear, *operationem Logicam*, ſiſtere ex-
à *Logicam*, [tanquam *effectum* extrà
ïcientem] cum eſt in *actu terminativô*;
amen, eandem, cum eſt in *fluxu pro-
eſſivô*, poſſe à *Logicâ Docente*, ſeparari,
ego. Eſt enim *Logica* [uti notum] *Habi-
is*, non modò *practicus*, ſed & *inſtrumen-
alis*, quaſi non eſſet ſatis, *unâ viâ*, eam ad
uſum, obligari. Ut officium ipſius ſit,
ion modò tradere & deſcribere *naturam
ſuorum inſtrumentorum*; ſed & eorum *uſum*,
conandô & agendô, demonſtrare. Quem-
admodum enim non eſt *faber*, qui *artis fa-
brilis* habet *inſtrumenta*, aut qùi novit, quo-
modò iis uti debeat; ſed qui *actu*, [ad mi-
nimum interdum,] iis utitur. Et ſicut non
eſt *juſtus*, aut *Modeſtus*, qui Virtutum
iſtarum novit *definitiones*, actu verò non
exercet: nemoque ſpeculationibus de *For-
titudine*, profligat hoſtem &c: Ità nemo
Logici titulô, honorandus eſt, niſi qui *doctri-
nam* & *notitiam mediorum Logicorum*, ipſô
actu, tranſmovet ad *uſum*: Quô ſine, &
illa, ſterilis; & *Habitus practicus*, tam
non fuerit, quàm non homo, ſine ani-
mâ. Fortaſſe, [*Dicet quis*] dum *Logica*,
in materiâ alicujus *alterius habitus*, opera-

tur, jam hôc ipſô, in eum evaneſcit.? Minimè: Niſi verendum etiam idem erit, de *Rhetoricâ*, de *Poeticâ* &c: quæ & ipſa, quà *materiam*, mellificia ſunt ex plurium Diſciplinarum favis. Imò: quàm ob hoc *materiæ mutuum*, non tranſinutatur *ſutoria*, in *Coriariam*, aut *ſartoria*, in *pannariam*, &c: Non eſt quidem *inſtrumentum*, ipſe *uſus inſtrumenti*; eſt tamen unà cum *eôdem* junctum. *Uſus* ab *inſtrumentô*, diſtingui poteſt; ſed non ſeparari. Dic enim ſeparari poſſe; *inſtrumentum*, dum à *Cauſâ* ſuâ *principali*, elevatur, non elevabitur. Cum enim elevatur, certè jam in *uſu* eſt. Loquor verò [ut præmonui] de *uſu*, ut eſt *influxu* &c: Etenim, *domus* jam *parata*, *nihil eget malleô*. Poſtulo *ſecundò*: [Quod mihi magis eſt hôc locô, ad propoſitum,] *illa* γνῶσις & πρᾶξις, *ſeu doctrina & uſus Logicæ*, *non ſe habent ut partes quædam univerſales*, [ex quibus fieri poteſt Diſtinctum] *ſed ut Eſſentiales* [analogæ]. Patet: Quià ſi eſſent *univerſales*, deberent *ſingulæ*, *plus actu continere*, quàm *totum* ſuum; quô tamen illæ ſunt aſtrictiores. *Logica* enim *Docens*, non eſt *tota Logica*, ſed ſaltem de eâ *aliquid*, ſeu *ejus lacinia*; futura tùm demum *Logica*, ſi *utens* adjungatur. Quare proximè *hæc*, ad *totum* ſe *partibile* componunt,

&

lud quidem *eſſentiale. Praxis* enim. *præ-*
rum Logicæ γνῶσιν perficit feré, ut *actus*
uid *potentiale*, *totumque ex iis* conſtru
m, *ſpecificè*, & ab aliis, diſtinguit. Quò
npertius eſt, *Logicam* non ſic poſſe dividi.
quod ſuprà affectavi viam. Etenim, quià
trà ingenium *totius Eſſentialis* eſt, ut ſe
ciatur contrahi ad *partes ſuas* in *caſu*
ctô, quomodò, non dico: *Homo* vel
anima, vel *Corpus*; ſed *hominis pars*,
alia *anima* alia *Corpus* &c: dicendum
ihi etiam hoc in locô eſſet: *Pars Lo-*
cæ, [non *Logica*] eſt alia *Docens*,
empe, quæ præcepta explicat &c: alia
tens, quæ eorundum applicationem &
ſum curat. Quanquam hæc ità ſibi mutuò
nnexa ſint, ut & *praxis* in docendo, &
Doctrina, ἐν τῷ πράττειν, unâ & ſororiâ
Operâ elicienda ſit. [3] *Termini ſimplicis*, in
ſignantem vel *ſignatum*. Fiunt & heic
membra, à *toto* non *univerſali*, ſed *par-*
tibili, quia *ſingula*, *actu*, minus valent
totô ſuô. Neque enim putandum eſt, *ter-*
minum ſignantem, ſolum, eſſe *terminum*
ſimplicem. *Signum* enim *ſine ſignatô*, *qualis*
terminus? Terminus, debet eſſe *inſtrumen-*
tum primæ mentis operationis ad Veritatem
apprehenſionis: Qualis vero eſt ab eo, ex-
ſpectanda *Veritas*, quod *ſignato*, ſive *rei*,

(in quâ propriè *Veritas,*) opponitur, utpotè, quòd eſt *nudum ſignum.* Imò; neque *ſignum* quidem, cum re demptâ, nihil ſignet. *Terminus ſignatus*, neque ille eſt ſeorſim, *Terminus ſimplex.* Etenim, quià *hujus officium* eſt; [quomodò admonitum fuit,] *mentem juvare & perducere ad Veritatem*; & verò *Terminus ſignatus* ſive *res ſignata*, mentem non ingreditur, patet quàm non *ea*, mentem juvare, aut in eâ facere *terminum*, vel *habitum*, poſſit. Quô conficitur, quod nec *terminus ſignans*, ſine *ſignatô*, nec *ſignatus* ſine *ſignante*, *terminus* dici poſſit; ſed quod habeat ſe *uterque*, tanquam *compars termini &c*: In quô, nimirum, & res mediis *ſignis doctrinalibus*, ræpræſentandæ, & hæc ipſa *ſigna*, ad *res*, ſeu *ſignata* ſua, reflectenda ſunt. Adeò, non eſt dicendum: *Terminus ſignans*, aut *ſignatus*, eſt *terminus* ſimplex; ſed, *pars termini ſimplicis*, in *obliquô*. (4) *Æquivoci*, in *æquivocans* vel *æquivocatum*. Vbi rationes eædem redeunt: Ut nec *hoc*, nec *illud*, per ſe, *verum* poſſit dici *æquivocum*. Quià enim *utrumque*, eſt *quaſi ſpecies termini*, modò à nobis reformati, nempe, *ſignantis* & *ſignati*, fit ut uni, cum *ipſis*, fato & ſententiæ, ininvolvantur. Itaque illic dicta, non repetimus. Alias: Debet *Æquivocum*, eſſe *termi-*

ius *Conſentaneus*, nempe *nominalis*.
cut experimur v. c. *Lupum* reſpicere
ronem &c: *affirmativè*] Cum tamen in
quivocante hoc *æquivocô*, utpote in
ò deeſt illud cum quo eſſe deberet *Con-
ſius*, hoc eſt: *res* ſeu *æquivocatum*, cui
ntradiſtinguitur, nullus talis *conſenſus*
ſe poſſit. Ad hæc: Quià, per *æquivo-
m æquivocatum*, intelligunt, *res* in naturâ,
articipes unius alicujus *nominis æquivoci*,
eque *æquivocum æquivocatum*, benè poteſt
ici *æquivocum*. Etenim, in *rebus* non eſſe
omonymiam, tam eſt certum, ut etiam
dicterium abierit. Quare, neque *vox*,
eque *res*, ſeorſim, putanda eſt conſtituere
liquod *æquivocum*; ſed *vox* & *res* ſimul,
ut *compartes*. Etenim, *Æquivocum*, (aa) &
nomen commune dicit, & ſecundum *illud*
λόγον τ̃ ἐσίας ἕτερον, id eſt: *Nomen* cum *re*
Complicatum: quatenus *idem*, eſt ad *eſſentiæ
diverſæ res*, quas in communi, ſuſtinet, rela-
tum. Ità *æquivocum*, non eſt vel *æquivocans*,
vel *æquivocatum*; ſed *æquivoci pars*, eſt talis.
Etiam illud Obſervari poteſt, quod *par-
titionum* harum *prima*, & *ultima*, nempe *Lo-
gicæ*, & *æquivoci*, etiam ſe non habeant
adæquatè; (quod hîc moneo ἀμεθόδως, & ἐκ
περιοσῦ) utpote, in quibus, *partes* ſeſe

 effe-

(aa) Teſte philoſoph. part. 1. Categor. c. 1.

efferunt ſuprà *totum*. Etenim membra, *Docens* & *Utens*, non præciſè, *Logicam*, partiuntur, ſed (in genere,) quemvis *habitum practicum*. Ad quem nempe, *primò* & ſupremâ curâ, opus eſt illô *Doctrinæ* atque *uſus* conjugiô; quatenus & *praxis* ſine-*gnoſi* uti gladius in manu furentis eſt: Et fit nemo, *faber*, niſi fabricandô. Ità *habitum practicum* in genere, habituri ſumus *docentem*, & *utentem*, [utpote paſſim conjungentem *cognitionem mediorum*, cum *uſu*:] atque ideó non ſolùm *Logicam* talem, ſed & alios *habitus inſtrumentales*; Grammaticam, Rhetoricam &c: imò: *Artes*; Sutoriam, Sartoriam, Architectonicam; unô verbô; totum ſedentarium conſeſſum. *Æquivocans* & *æquivocatum*, neque illa proximè dimanant ſub eô, cui ſupponuntur *totô*, hoc eſt *æquivocô*, ſed ſub *terminô in genere*. Ad *hunc* enim adæquatè, *Nomen* & *res*, ſeu *ſignans*, & *ſignatum* conuenire debent. Sicut declaravimus. Ex quô fit, quod ſub *terminô ſimplici*, non ſolùm in *æquivocô*, habeamus, *harum partium*, veſtigia; [prout idem, *æquivocans*, vel *æquivocatum*, dicitur;] ſed & in *ſynonymô*, in *paronymô* &c. Ubi *Logici* eôdem ad *vocem* & *rem* intuitu, fecerunt, *Synonymans* & *Synonymatum*; *paronymans* & *paronymatum* &c:

Quan-

ıanquam illâ quidem *recti caſus diſtri-ıone*, minus probé. Quod ex Diſputa-de *ſignante* & *ſignatô* ſatis intelligitur.
] *Numeri fracti*, in *denominantem*, vel *merantem*. *Neuter* enim ſingulatim, *merus fractus* eſt, ſed *uterque* eum, ıi ſymbolâ, conſtruit. Quare eadem, *ſus recti* non eſt *Diſtinctio* ſed *partitio* ltem. unô digna carbone, cum reliquis *ræcedentibus*; in quâ ità procendedum: *ars numeri fracti*, [non *numerus fractus*] ſt vel *numerator*, vel *denominator*.

4. Membra diſtinguentia, non de-›ent eſſe negativa.

Eſt enim eorum'officium, repræſentare ꞉a, ex quibus *totum* conſtet, At poſtquam, *mnis negatio*, eſt non-ens, ubi *totum*, non eſt ejuſmodi *non-ens*, patet, quod nec *membris*, quæ ſint aliquod *non-ens*, uti poſſit. *Quale* enim *totum tales partes*. *Materiale* eſt: Quod cum *membra diſtinguentia*, interdum *ſpeciem* debeant conſtituere, nulla *rei poſitivæ* conſtitutio, per *non-ens*, eſſe poſſit. Adhibentur quidem interdum *vocabula negativa*, in *diſtinctionibus*; potiſſimum compoſita ex *particulâ ſteretică* (in,) ſed ea tantum *ſonô negativa* ſunt, *re* autem & *ſenſu*, ſeu ſignificatu, *poſitiva*. Id quod fieri poteſt, in

duobus caſibus. (1) *Cum nomina, poſitivè ſonantia, non ſuppetunt*. Quomodò neceſſitas cogit nos diſtinguere: *Ens* in finitum vel infinitum; dependens vel independens: *Actum* in purum vel impurum: *Signum*, in doctrinale, vel non doctrinale: *Subſtantiam*, in corpoream vel incorpoream: *Vivens* in ſenſibile, vel inſenſibile: *Ius Civile*, in ſcriptum vel non ſcriptum. *Subtenſam*, in maximam, [quæ Circulum dividit in duo æqualia ſegmenta] vel non maximam, [quæ in duo inæqualia &c:] *Numerum Arithmeticum*, in parem vel imparem: *Peccatum*, in Voluntarium, vel involuntarium; *Item*: in regnans vel non regnans: *Morbum* in acutum, vel non acutum &c: (2) *Cum nimis alioquin excreſceret numerus membrorum diſtinguentium*. Quomodò ſeſe impediret, qui fugiendi *inſenſibilis* cauſâ, mallet *vivens* diſtinguere, in *animal, herbam, arborem, fruticem &c*: Ità illis aurem vellicamus, qui *Zonas*, in *temperatas* vel *intemperatas*, dividunt. Nihil enim, urget nos, hôc locô, *membrum negativum*, [intemperatum] capeſſere; cum *Zonarum* vulgò uſitata *membra*, *poſitiva*, [quà eædem dicuntur vel *frigidæ* vel *temperatæ*, vel *torridæ*,] neutiquam excedunt modum. Quamquam *Zonæ frigidæ*, non tam *Zonæ* ſeu *Cingula* dici

i deberent, quàm *diſci vel Clÿpei*, quo-
n formæ, propriores ſunt. Qui
bum Dei, diſtinguunt in *ſcriptum*
el *non ſcriptum*, etiam illi, nobis com-
onendi ſunt. Nam quid opus *terminô ne-
tivô*, cum pro *non ſcriptô*, exſtet, *traditum*?
oribus, *verbum non-ſcriptum*, exami-
are, non eſt hujus loci, ſed alterius.

5. Membra diſtinguentia, debent
convenire ſuo toti, ſeu diſtincto.

Totum ſeu *diſtinctum*, [ut infra] eſt jam *nominale*, jam *reale*. Utrobique *membra ei convenire* debent; quià, *unio partium debitarum de ratione totius* eſt. Et verò, ubi *unio* ibi etiam *convenientia*; poſtquam in *totô*, *partes*, tanquam in *terminô*, congredi debent, ſic ut illud *formaliter* conſtituant. Quomodò in luce eſt, quàm non poſſit aliquid, *totum*, intrinſecus conſtituere, et tamen dici, ei *non convenire*. Nam non eſt aliud, *totum*, quàm *omnes partes unitæ*; ſicut cum *experientiâ*, concinunt omnes majorum gentium Philoſophi, (bb) *Ariſtot.* (cc) *Zabarell.* (dd) *Scaliger*, & *alii*. Eſtque eadem ràtio magis quidem luculenta,

B 7 de

(bb) l. 2. de anim. c. 1. t. 9. & l. 4. phyſic. c. 3. t. 23. (cc) l. 3. de Method. c. 14. (dd) Exercit. 307, ſ: 39.

de *toto propriè ſumptô* ſeu *partibili*, in quô *partes*, *actu* hoſpitantur: Sed et ea non minus certa, de *hoc noſtrô totô*, ſive *univerſali*. Quod utut partes ſuas, ſaltem *potentiâ* comprehendit; tamen *potentia* illa, ità confluit in *totum*, tanquam in centrum, ut inde ad *partes* ire, & de iis *affirmativè enunciari* poſſe debeat. Id quod ſine *convenientiâ*, nè quidem finxeris. Quià verò ante monitum fuit, *diſtinctum* quandoque eſſe poſſe *nominale*; juvat commonere, adeò certius dignoſcendam *convenientiam* in *exemplis mox addendis*; *non eni* non poſſe eſſe *bonum diſtinctum*, cum eſt alicubi aut *repugnans ad membrum aliquod*; aut eſt *membrorum nulli proprium*. *Nomen* enim *ſine actu & officiô ſuô, nihil eſt*: officium verò *ſignificare*. Atqui non poteſt ſignificare *vox* illud, quod rei, in quâ primò fuit poſita, contradicit. Sed ea, non ſunt propriè, *hujus locis* verùm *Capit. proxim*: *Poriſm.* 3. & *T mem*: *poſter*: *Cap.* I. *theſ.* VI Ubi rem illam doceberis ex inſtitutô. Cæterum, quàm plurimæ occurrunt *diſtinctiones*, quæ contrà *regulã hanc noſtram* offendunt, & propterea debent exauthorari. Formabimus verò earum *tres claſſes* ſeu *colo ias*, propter majorem rei lucem, & intelligentiam. PRIMA, continebit, illas *diſtinctiones*, quarum ex *membris*, *aliquod* aut *aliqua*, diſtrictè, *non con-*

gru-

nt toti ſuo. Eas verò eſſe *inanes*, imò *ſtroſas*, ſuprà patuit; neque poteſt du-re, qui perpendit, *omnem diſtinctionem ex toto.* Jam verò quod *unam* tantùm *nam*) *partem* habet,non eſt *totum*, (quià *, unio multorum*;) ſed eſt *ſimplex quid*, , oppoſitum. Huc itaque pertinent *di-ſtinctiones*:(1)*Normæ* ſive *Regulæ,in totalem* l *partialem. Dico*, inquit (*ee*) BELLAR-IN: *ſecundò, ſcripturam, etſi non eſt cta præcipuè,ut ſit regula Fidei,eſſe tamen re-ulam Fidei non totalem,ſed partialem:Totalis .regula Fidei, eſt Verbum Dei, ſive revelatio Dei Eccleſiæ facta,quæ dividitur in duas regu-as partiales,ſcripturam & traditionem.* Idem ſentiunt tum (ff) *Bavarici*, tum *alij* ex *Pontificiis.* Verùm, *norma* illa *partialis*, ſeu *non ſola*, contradictoria eſt. Omnis *ſana Philoſophia* conſonat: *Normæ eſſe, menſu-rare ſuum normatum.* Ut ſit eadem et *dimi-nutionis*, et *additionis*, expers. Si enim, [quod benè notat (gg) *Phocius*] *de canone aliquid abſtuleris, vel ei quicquam addideris, eum corrupiſti.* Unde patet, quod, poſt-quam *menſura omnis*, ità debeat *coextendi menſurato ſuo*, nec *Scriptura*, nec *aliud quidpiam*, dici *norma partialis*, poſſit. Con-ve-

(ee) l. 4. de Verb. Dei cap. ult. (ff) In Colloq. Ratiſb: p. 168. (gg) ap. Oecumen, in c. 3. ad Philip.

venientius, *Sectarÿ*, ex ſuâ illâ *hypotheſi*, *Scripturam* & *Traditiones*, appellaſſent *partes normæ*, quàm *normas*. Aliàs, (ut eò etiam excurram) penſilem diceres hanc *Theologiam*, itá nutat. Ex determinatione *Pontificiâ*: *Norma*, inter alia, erit *infallibilis*, & *continua*: Et tamen ipſi illi, *Scripturam*, quam hic *normam* faciunt) *dubiam*, *lubricam*, *naſum cereum* &c: appellant; *Normamq;* eandem ſuam coagmentant, ex *Scripturâ*, *Traditionibus*, *Eccleſiæ definitionibus*, &c: Quæ num poſſunt *unum continuum corpus* facere? ipſi ergò ſe deſtitui *rectâ normâ* arguunt. [2] *Fidei*, in *implicitam*, ſive *Virtualem*, vel *Explicitam*. *Hanc*, quâ quis propriam notitiam et aſſenſum, articulorum *Fidei*, habet: *illam*, quâ quis credit, quod credit. Eccleſia. Vide(hh) *Bellarmin.* (ii) *Gregor. de Valenc*, (kk) *Hoſium*, & alios. *Walenburchÿ* (ll) ajunt, ex *Suarezio*: *Explicitè credere, eſt credere aliquid in ſe ipſô, ità ut illud ſit proximum objectum, in quod cadit aſſenſus Fidei. Implicitè credere, eſt credere in aliô tantùm; quià quod ſic creditur, reverà non expreſſè cognoſcitur, neque intellectus format proprium & diſtinctum conceptum propoſitionis,* *qua*

(hh) l. 1. de juſtific. c. 7. (ii) tom. 3. diſp. 1. q. 2. punct. 3. (kk) l. 3. de author. ſcriptur. (ll) in Exam. p. 141.

quæ implicitè tantùm credi dicitur, *ſed alterius in quâ illa continetur.* Hæc illi. Verùm *Fides implicita*, eſt & illa, σιδηρόξυλον. Præterquam enim, quod ſcriptura, *Fidei* & *Iuſtificationi*, tribuat *notitiam*. 2. Tim: I. 12. Eſa. LIII, II. Rom: x, 14. Ioh. x. 38. 1. Ioh. IV, 16. etiam (mm) *Pontificii*; nobiſcum conveniuut; *Fidem eſſe aſſenſum.* At quomodò *aſſentiri* quis poteſt ei, cujus in ſe nullum habet *conceptum*, & quod non *cognoſcit?* ſicut cum *aſſenſus ejus* nititur *cognitione alterius*, nempe *Eccleſiæ*. *Walenburchij*, exiſtimant, *cognitionem implicitam*, hîc ſufficere poſſe, qualis eſt *concluſionis*, in *ſuô principiô*: Uti, *qui Chriſtum explicitè credit eſſe verum hominem*, *ſimul implicitè*, *&* *virtualiter credit*, *eum eſſe riſibilem &c.* verùm, totô errant cælô. Etenim *aut* novit ille, qui ſic credit, *riſibilitatem* eſſe *proprium*, *neceſſariò conſequens humanam naturam*, aut non novit. *Illud*, nihil facit ad hocnoſtrum inſtitutum. Loquimur enim de iis, quæ quis ipſe ignorat. *Hoc*, etiamnum eſt κενόμενον; *An* nimirum, *qui credit Chriſtum eſſe verum hominem*, *neſcit verò hunc ſimul Comitari riſibilitatem*, &c: *etiam hanc credere dici poſſit?* Nos nega-

(mm) Concil. Trident ſeſſ. 6 can. 12 Bellarm in l. 1 de Iuſtific. c. 5. ſeq. Piſtor. in Hodæg. p 219.

gamus. Neque eſt in hac *implicitâ*, ſeu *Eccleſiæ Fide*, talis ratio *cognitionis*, qualis eſt *concluſionis in ſuô principio:* Nam *hæc* ſi debet in *principio* latere, neceſſe eſt ut *concluſio illa*, non ſolùm directè ſupponatur ſub *illo principiô*; ſed & *actu* cognoſcatur ità ſupponi. Aliàs enim nonniſi ſopietur res intrà perpetuam *potentiam*, *ſeu* Intellectus ad principium; *ſeu* principij ad intellectum: Ità ut aut *intellectus* fœcundus eſſe potuiſſet ad *concluſionem*, modò *hæc* deduci ex *principio tali*, potuiſſet; aut *principium* ad *intellectum*, ſi quidem *hic* ſciviſſet *concluſionem talem*, ſupponi ſub *principio* &c: Nimirum ſi quis ex *hoc principiô*; *planta creſcit*, vult exſculpere, quod & creſcat lilium; aut ex *illo*: *Chriſtus eſt Meſſias*, quod ſit etiam Rex aut Sacerdos &c: neceſſe eſt ut cognoſcat, [ſaltem *confuſè*] ſupponi, & lilium ſub plantâ, & Regem &c: ſub Meſſiâ. Quomodò quidem ſi *fideles impliciti* ſe haberent, hoc eſt: ſi ſimiliter cognoſcerent, *quæ concluſiones, in principiis ſuis eſſent inuolutæ*, nemo illos unquam, eâ cauſâ exagitaret. At verò quomodo *iidem*, v. c. ex *hoc univerſali*:, *Eccleſia credit omnia ad ſalutem neceſſaria*; aut ex *ſymboli Apoſtolici* quibuſdam *articulis*, quos cognoſcunt, poterunt deducere, *hæc*

vel

vel illa credi ab Eccleſiâ, aut *reſiduos Fidei articulos*, (qui *in ſymbolo* recenſitis, ſeu ſubordinentur ſeu non ſubordinentur,) adeoque intelligere, quod ex *talibus principiis*, dimanent, cum de iis nunquam audiverunt,? Omnium maximè, in *rebus Fidei*; cujus *principia*, non ſicut *illa* ἔμφυτα *naturæ*, ipſa ſeſe propagant, & concluſiones,quas includunt, ultrô ingerunt, ſed ſunt ex *revelatione ſolâ*, haurienda. Adeo relinquitur, quod *omnis* Fides, *præſupponere debeat aliquam propriam cognitionem in credentis intellectu*; non illô quidem *dominante*, [qui plus impedit, quàm nutrit *Fidem*] ſed *ancillante* tamen, & à ſpiritu Dei & *colluſtratô*, *ſubactô*. *Ut implicitâ Fide*, credere, aut *notitiâ*, cognoſcere [ſupponendo ità quidem pro *extraneo ſubjecto*; & non ſumendo *implicitum*, pro *confuſo actuali* &c:] ſit *videre alienis oculis*, & *ſcire ignorata*. (3.) *Vocationis Dei*, in *Externam* ſeu *formalem*, & *gratiæ oblatæ*, quæ ſit *miniſterij verbi*[vocant et *communem*] vel *internam*, ſeu *materialem*, & *gratiæ communicatæ*, quæ ſit *miniſterii ſpiritus*. *Ab externâ*, inquit (nn) CALVINUS., *hominis voce, diſtinguitur interior vocatio,quæ ſola efficax eſt, & ſolis electis propria*. A *Calvinô*, non differt ni-

(nn) Ad Rom. 10.

niſi verbis, (oo) *Zanchius*, cum ſic infit: *Cum dicò, omnes homines vocari à Deô, intelligo externam vocationem: Cæterum internâ, quæ fit per ſpiritum S. et ideò efficaci, ſolos electos vocari ajo.* Quò pertinet, quod (pp) *Emdani*, inter alias frigidiſſimas reſponſiones, reponunt, ad argumenta *Remonſtrantium*: *Reſtiterunt* [nempe, Iudæi, Act. VII, 51] *Spiritui S. non intus efficaciter in ipſis operanti; Sed foris per verbi miniſterium, ipſis gratiam offerenti.* item illud (qq) *Spanhem*: *Deus aliquibus concedit verbum imperativum officii, quibus non concedit, aut concedere voluit, verbum operativum obſequij* &c: Sed *Vocatio* ejusmodi *externa*, carcinoma commentitium eſt. Nam quamquam *Spiritus*, *Verbum*, & *Verbi Nuncij*, ſint naturâ ſuâ, aliud et aliud, ſanxit tamen Deus, pro imperſcrutabili ſapientiæ ſuæ beneplacitô, ut eædem, *(ordinariè)* eſſent *inſeparabiles*, et conjunctim ad *effectum unum*, niterentur. Etenim, & *Os miniſtri*, eſt ipſius *Dei os*; Matth. x, 20. Luc: x, 16. Rom: xv, 18. *collat. cum* Matth. IV, 4. Et *Verbum*, ore egrediens, ſicut eſt, ἀληθῶς, ipſius *Dei verbum*, 1. Theſſ. II, 13. ità non eſt *vacuum*, Eſa: LV,

11.

(oo) de natur. Dei l. 3. quæſt. 4. (pp) Act. Synod. dordrac. p. m. 170. (qq) De Grat: p. 2246. Confer Piſcat. p. 214. Rennecher. in aur. Caten. Rivet. p. 440.

11. ſed, *vivum*, *efficax*. et τομώτερος ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν &c: Hebr. IV, 12; imò: Quantum in ſe eſt, *operativum ad Fidem & ſalutem*. Ioh. XVII, 20. 1. Tim: IV, 16. Rom. 1, 16. 1 Cor. 1, 21 &c: Quod contrà ſuos, etiam, [quanquam aliò receſſu] propugnant, *Dordraco-Britanni*; ut eſt *Act. Syn: Dordr: p. m.* 604. 674. Adeo, nulla eſt *vocatio miniſterij*, quâ non *ſpiritus*, ſimul cooperetur; quippe *miniſterii ipſius Spiritus*, 2 Cor: III, 6. Quem Deus, fallere, neſcius, ab *ore ejus*, atque *verbô ſuô*, promiſit non receſſurum uſque in ſeculum. Eſa: 21X, 21. Habet ergò, *vocatio* illa *externa*, crimen *ſpolij ſacrilegi*, cum inter ea, facit divortium, quæ Deus, fecit unitiſſima. Sicut et nonniſi *unâ ſpe vocationis*, dicimur vocati, Eph: IV, 4. Quin crimen habet etiam, intentatæ Deo ſeu *fatuitatis*, ſeu *malitiæ*; quatenus, qui *vocat*, per qnod nemo, ad quod vocatur perduci poteſt, *aut* non eſt ſapiens, dum ità *finem*, *ſine mediis*, intendit: *aut* Hypocrita & malus, & ſimilis Hoſpiti, qui iis, quos *in ſpeciem*, magnificè, invitavit, nihil apponit niſi vacua catina, aut quantum non ſit ſatis fami propulſandæ, jubens nihilominus, ut attingant et ſe ſaturent &c: Quale quidem oportet ſit ludibrium, illud *verbum imperativum officii*, *ſine verbò operativô obſe-*

quij

quii,hoc eſt:*mediorum &c:* Vt *externè vocati*, non ſolùm ſint *objecta fæderis Gratiæ æquivocè*, quomodò loquitur *Mareſius*, Colleg. Theolog: Loc: VIII. Theſ: 7. ſed & *illuſoriè*, [4] *Prædeſtinationis*, in *Collectivam* vel *ſingularem*. *Potuit*, [ità addit ad *diſtinctionem illam* (rr) GOMARVS] *tota gens*,[loquitur de Jacobæâ atque Edomæâ] *dici vel electa vel reprobata*, *etſi quidem ſinguli, in gente electâ reprobi, in gente reprobatâ, electi fuerunt.* Atqui vero nulla *prædeſtinatio*, eò ſenſu *ſingularis*, dari poteſt, hoc eſt: *ſingulorum in aliquâ gente*. Nimis n. uſque ad ſupremam meſſem,inter triticum, infelix lolium & ſteriles avenæ dominari volunt, Matth. XIII, 30. Quomodò etiam valde ineptè, *Electio collectiva*, ad Rom: IX: 13. accomodatur. Etenim, *eâ tali*, non minus *Eſavitas* quàm *Iacobitas*, Deus fuit proſequutus, ut qui etiam potuerunt æquè ac Jacobitæ, fuiſſe *electi*. ſicut illud domonſtratu facile eſt, ex ipſorum, converſione, quæ non modò prædicantur, Am: IX, 12. ſed & legitur in actum deducta, Marc. III, 8. Et quis probabit *Jobum* non fuiſſe *Edumæum*; tantò minus, *non electum*? Quid eſt ergò in quo Deus odiô habuit *Eſavum*, præ *Jacobô*? ſiquidem

(rr) In anal. cap. IX. ad Rom. tom, 2. p. 54.

dem, & ille, *collectivè dilectus*, hoc eſt: [ex vocabulariô Calviniano] *prædeſtinatus ad gloriam eſſe potuit?* [5] *Contactus*, [ut eamus etiam ad *Philoſophica*] in *Corporalem*, qui ſit *immediatione ſubiecti*, vel *Virtualem* qui ſit *immediatione virtutis*. Atqui *omnis contactus* debet eſſe *corporeus*. *Virtus* enim *emanans*, ſine *debito ſubjectô*, non poteſt ſubſiſtere; multò minus, *de ſubjecto in ſubjectum commigrare*. Unde *qualitates occultæ*, *ſpiritales*, & ejuſmodi, non niſi per *corpuſcula*, aut his ſimile, aliquod *vehiculum*, deferuntur. [6] *Æqualitatis*, in *dimenſionis* vel *Continentiæ*. *Hanc*, (ſſ) *Scholaſtici*, [ut obtineant *locum*, ſecundum (tt) *Ariſtotelem*, eſſe *ſuperficiem*] faciunt, quâ aliquid eſt æquale alteri, ſecundum *Longitudinem* & *latitudinem*, ſicut *ſuperficies locato* &c: *Illam*, quâ corpus, corpori, ſecundum *omnes dimenſiones*, coextenſum eſt. Verùm, *æqualitas* illa *continentiæ*, re, & propius ſi adſpicis, inæqualitas eſt. Quomodo enim quæſo, *duæ dimenſiones erunt æquales tribus?* nempe, quâ elegantiâ, & pulchritudine, *duo* ſunt *tria*, & *ſuperficies*, *corpus*. [7] *Figuræ*, [quartæ ſpeciei prædicamenti Qualitatis] in *planam* vel *ſolidam*.

(ſſ) Conim. & Albert. Mag. 2. libr. phyſic. texu. 77. Ruviol. 4. Phyſic. c. 5. q. 1. p. 343.
(tt) 4. Phyſic. 4.

dam. Eſſe *planum* vel *ſolidum*, diſtingvit *corpus Mathematicum*, non *figuram*. Etenim habemus quidem *figuram corporum ſolidorum*, [Sphærarum, Pyramidum, Cuborum &c:] ſed non *ſolidam*. [8] *Ebrietatis*, in *Licitam* ſeu *Superficiariam*, vel *illicitam* ſeu *iteratam*. Etenim, quid rei eſt *licito*,[*Honeſto*,]cum *Ebrietate*,[*vitio*]? Nunquam *vitium*, in *mediocritate* conſiſtere, aut *Honeſtatem*, tanquam *normam*, intueri poteſt. ſi *Ebrietas ſuperficiaria*, erit *licita*, erit etiam *licita*, *fornicatio ſuperficiaria*; quià ſimiles lactucæ, ſimilia labra, habituræ ſunt. [9] *Reipublicæ* in *probam* vel *vitioſam*. Improbæ Rerumpublicaru formæ, non ſunt Respublicæ, ſed earum παρεκβάσεις &c: [10] *Accidentis Prædicabilis*, *Communis*, in *ſeparabile* vel *inſeparabile*. Nullum *Accidens prædicabile*, *Commune*, eſt *inſeparabile*; ſed tantùm *proprium*; Iuxta illud, 1 *Phyſic*. 4. τὰ πάθη ἀχώριστα. De *Accidente* autem *prædicamentali*,eſt res alia.Hoc enim quià *Subſtantiæ* opponitur, & ſic includit etiam *propria*, poteſt, [propter *illa propria*,] dici *ſeparabile*, aut *inſeparabile*. [11] *Artis*, in *contemplativam*, *activam*, vel *factivam*. *Contemplatio* & *actio*, prorſus aliena ſunt ,ab *Arte*: Ut quæ *propriè* & *formaliter* conſiſtat in *operatione per inſtrumenta corporis*,

atque ità & *contemplationi* & *actioni*, [quæ eſt *operatio* quidem, ſed non *corporis per inſtrumenta*,] opponitur. Labat eò ariete, etiam *Diſtinctio Artis* Keckermanniana, in *Internam*, cujus opus ſit internum, & *externam*, cujus externum. Nulla enim *ars, eſt interna*, ſecundum *formale* ejus, ante memoratum. Simul & illud dispaleſcit, quid tenendum ſit, ſuper *Diſtinctione Medicinæ*, in *Phyſiologicam*, de rebus in homine naturalibus; *Pathologicam*, de rebus in homine præternaturalibus; *Semeioticam* ſeu *Prognoſticam*, de morborum criſi, & ſignis; Adhæc; *Hygienen* ſeu *Phylacticam* de ſanitate tuendâ; Et *Therapeuticam*, ſeu *Iatricam*, de eâdem jam deperditâ recuperandâ. *Tria* enim *prima membra*, ab hôc *Habitu* aliena ſunt; quippe quæ aut *theoretica* ſunt, [Debet verò *Medicina* eſſe *practica*;] aut ad *Medicinæ proæmium*, & non ejus ad *eſſentiam*, pertineant. Ut ità ſola *hygiene*, atque *therapeutica*, remaneant. Nuper quidem, *Vir Doctiſſimus*, etiam *hygienen*, ut ineptam, Medicinæ voluit ab rumpere: ſed ab illô nunc quidem liceat, ſaluâ ejus bonâ gratiâ, diſcedere. Etenim ubique laudi reputatur, *poſſe prævenire*. Quomodò reverà, non id ſolum agunt ſapientes, [maximè in *morbis epidemiis*] ut

C per

per corpus lue graſſante, jam tum primùm, cogitent de *Medicô*; [hoc enim foret, quod *ille* ait, ſepta claudere, amiſſò grege:] ſed ut Corpus ſuum, adhuc quamvis ſanum, poſſint præmunire, aut facere præmuniri contrà quodvis contagium. Et verò num ineptire dicendi ſunt illi, qui *Medicos* etiam menſis ſuis quotidianis adhibent, ut edulia dijudicent, adhuc vegeti? Imó: Qui in totâ vitâ, eos vix à latere dimittunt, ut eos curæ ſuj, habeant intentiores? non putarim. Profectò non eſt *Medici Spiritualis*, ſolùm, morbos animæ jam inveteratos, pellere; ſed iis etiam, quantum poteſt, adhortandô &c: prævertere: Neque verò exſpectare, dum per animam ſerpat virus; Sed vel maximé ei ut poſſit præcavere, atque animam, in vigore boni ſtatus, continuare. Idem volo dicere de *morbis Reipublicæ*, & *Politicô*, ipſorum *Medicô*. Nec aliud etiam de *Medicô rationis*, ſive *Logicô*: Cujus nempe eſt, non modò cum fallaciis luctanti animo, dare *media*, eique ſubvenire; ſed & eum, prius, quàm turbetur, ità confirmare, ut in *Verô cognoſcendô*, ſemper pergat *ἰσοῤῥόπως*. Adeò, [quod mihi liceat à *Pöëtâ*, ad hæc mutuari:]

Non

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri,
Caſus ineſt illic; hîc erit artis, opus.

Rationes *Viri Eruditiſſimi*, contrà *Medicum prophylacticum*, non ſunt ſolidæ. Neque enim, *primò*: Quod *Medicina tantùm morborum gratiâ, inventa fuit.* Nam id facilè poſſumus concedere, modò ſermo ſit de *morbis* non *expurgandis* tantùm; ſed & *præcavendis.* Nec *ſecundò*: Quod *natura ſine Medicinâ, poſſit ſanum conſervare; uti ſine eâ ſanum generat &c*: ſenſus enim, & experientia, obſiſtunt: Quià *Medicina*, [quæ eſt illa ipſa *natura conſervans*,] nihil prodeſt, niſi applicata. Unde non modò ſana, ſed & ægra generantur. Neque *tertiò*: Quod *Medicinæ officium ſit ἰᾶσθαι; & quod ſani non egeant Medico; Matth.* IX, 12. Nam reſpondemus, *eſſe officium*, ſed *præcipuum*, & non ſolum. Quid? quod etiam prudentiæ majoris æſtiment, *poſſe prævenire* [ſicut proluſi,] quàm *poſt factum*, rem in integrum reponere velle. *Sani non egent Medicô*, quà *morborum exſtirpationem*, egent tamen quà *corporis ab iiſdem præſervationem*, & *continuationem* εὐεξίας. Quomodò etiam *Chriſtus*, [Quanquam ſenſu magis ſpirituali] *Medicus* fuit, cum ſic legitur affatus paralyticum: ἴδε [inquit] ὑγιὴς γέγονας, μηκέτι ἁμάρτανε, ἵνα μὴ χεῖρόν τί σοι γένηται. Joh.

V, 14. Neque, *Quartò* & *ultimò*: Quod *Finis Externus Medicinæ ſit Sanitas; quô acquiſitô, non ſit opus ulteriori aliquâ operatione* &c: Nam negamus *ſanitatem*, eſſe aliter *Finem adæquatum Medicinæ*, quàm prout eadem eſt in *ſtatu firmô* & *æquabili*. Obtentô illô, faciles largimur, nihil eſſe opus aliquâ *praxi Medicâ*. ſed ad alia. SECUNDÆ CLASSIS, *Diſtinctiones*, ſunt; Quarum *nullum membrum convenit toti*. Eas verò eſſe bonarum Diſtinctionum, adhuc magis inviſum genus, diſpaleſcit inde, quod minùs adhuc fiat *totum*, ex *nullâ parte*, quàm fiat ex *aliquâ*. Hujus ſedis ſunt *Diſtinctiones*: [1] *juſtificationis*, peccatoris coram Deô, in *Primam*, ſeu *Habitualem*, quæ fiat per juſtitiæ infuſionem, atque ſit gratuita, vel *Secundam*, ſive *Actualem*, quæ fiat per juſtitiæ ejusdem accretionem, & ſit meritoria. *Operibus juſtis*, inquit (uu) Bellarmin: *homo verè juſtificatur, non primâ, ſed ſecundâ juſtificatione, quæ non facit juſtos ex impiis; ſed juſtiores ex juſtis. Nam juſtitia inhærens, quæ eſt cauſa formalis juſtificationis, conſervatur & augetur per obedientiam mandatorum Dei, & alia pia opera &c:* Confer qui in eandem ſententiam lo-

(uu) l. IV. c. 10.

loquuntur, ex Pontificiis, (xx) Becan: (yy) *Coſterum*, atque alios. Neutra autem, *juſtificationis* hujus Pontificiæ ſpecies, *vera* eſt *juſtificatio*. Non *prima*: Quià *juſtitia infuſa*, ſeu *inhærens*, per quam hanc formant, eſt *tum* ἀνύπαρκτος, *tum* inepta ſive inſufficiens. Iuſtificamur *gratiâ nobis datâ* πρὸ χρόνων αἰωνίων, 2. Tim: 1, 9 Quæ, quô pactô erit *hectica* in nobis? Cum & perpetuò adſtruatur noſtra *Iuſtificatio*, facta *extrà nos*, ſeu *in Chriſtô*, Rom: III, 24, 25. & V, 9. 1. Cor. 1, 30. Tit: III, 7. ut ſit non *Iuſtifactio*, ſed *Iuſtihabitio*, ſitque *Iuſtitia Cauſæ*, non *Perſonæ*. Et cum illi, per *Iuſtificationem* ſuam *primam*, intelligunt *internam hominis impii renovationem*, quomodò eam definit (zz) *Stapleton*: hoc eſt, *imaginis amiſſæ reſtitutionem*; poſitô, quod illa *imaginis primævæ refuſio*, poſſit *peccatum ipſum*, expurgare ex animâ; tamen adhuc reſtat illius peccati *reatus*, qui & ille non minus quàm peccatum ipſum, debet tolli ab animâ, priuſquam ejus poſſit fieri ἀφέσις. Finge verò *Habitum* hunc primæ Iuſtitiæ, *infuſum*, poſſe etiam pro *illô*, ſatisfacere, hoc eſt, *finitum*, iræ Dei *infinitæ*; & eâ-

 dem

(xx) Tom: 1. de Iuſtificat: c. 3. q. 2. &c. 1. th. 2. (yv) Enchirid. c.6.p. 228. (zz) Tom. 2. Oper. l. 5. de Iuſtific. c. 8. p. 144.

dem operâ, aſſeverabis, *hominem poſſe eſſe ſui Salvatorem, & nil quicquam opus Chriſtô.* Iuſtificationem *ſecundam*, ſive *meritoriam*, refellunt, Primò: *Clariſſima ſcripturæ dicta*, in totum, hoc eſt; tam *effectivè*, quàm *diſpoſitivè*, ἀντίθεσιν ponentia, inter *Iuſtificationem*, & *noſtra Opera*. Quorum præcipua ſunt: *Rom*: IV, 5, 6. & *XI*. 6. *Gal*: *V*, 4, 5. *Eph*: II, 8. *Tit*: III, 5. *ſeq*: Secundò: *Requiſita meriti*, aliena à noſtris operibus. Debet enim *meritum verè tale*, eſſe & *perfectum*, & *merenti proprium*, & *indebitum*, & *æquale mercedi ſuæ*, &c: [Quas conditiones etiam ipſi *Pontificij*, præſcribunt *merito*; ut videre eſt apud (aa) *Coster*: Et (bb) *Tannerus*, ad *meritum*, *ratione operis*, requirit, ut illud, *quoad ſubſtantiam & circumſtantiam ſit bonum, & ſecundum modum aliquem æqualitatis & Iuſtitiæ, compenſari debeat* &c: Quorum nihil, ad hæc *noſtra opera*, quadrat. Unde & tempora, hanc Doctrinam ita molliverunt, ut jam *Schola Pontificia*, incipiat cum (çc) *Scotiſtis*, diffidere operibus, ſaltem

ex

(aa) In Enchirid: p. 278. (bb) In I. IIæ Thom. Diſp. Theol. IV n. 89. ſeq. & V, n. 32. (cc) Tanner. Theol. Scholaſtic. Tom: 2. d. 6. q. 6. Vide Becan Theol. Schol. p. 11. Tom. I. n. 12, Jo. de Rad. Controv. inter Thom. & ſcot. XIII. Part. III. artic. 2. Walenbur: ap. Kunæ: &c:

ex parte : & docere ea *in ſeſe* , non eſſe *merita ex Iuſtitiâ* ſeu *ex condignó* ; ſed complenda , ut talia fieri poſſint , [cum in ſe , tantùm ſint *merita ex congruô*] aut per *Dei promiſſionem* ſeu *pactum* ; aut per *gratiam* & *favorem*, ſive *Dei acceptantis* , ſive *Chriſti* & *Spiritus Sancti*,ea perficientium &c:ut *Concauſas*. Quanquã neq; illud emendatè. Nam præterquam, quod falſum ſit, *Opera noſtra in ſeſe eſſe vel tantillum meritoria* , etiam illa, per quæ *opera* , complere volunt , ſunt ἀπροσδιόνυσα. *Promiſſio* , non ſuperinducit *operibus* , aliquam aliam ab eâ , quam in ſe opera habent , *condignitatem* ; ſed eam tantùm allicit ſpe præmij , & repertam , [poſitô quod poſſit reperiri ,] compenſat. Eſt *condignitatis operis* , non *cauſa* , ſed *concomitans*. Atque , dari *pactum*, ſecundum quod , Deus velit *opera in ſe non-meritoria* , & *imperfecta* , ut *meritoria* & *perfecta* , accipere , nuſquam tradit *Sacer Codex*. Tum , ſi traderet , non eſſet *meritum*. Etenim accipere , [qui eſt modus *acceptilationis* , ſive *fictionis juris*] v. c. *quinque* vel *quatuor*, ut *octo* , aut *decem* non eſt accipere , ut *debitor verè talis* , ſive *ex Iuſtitiâ propriè dictâ* , hoc eſt; *expletrice*, *commutativâ* &c : ubi enim dati & accepti proportio ? ſed ut *donator liberalis* , ſeu ex

gratiâ. *Donum* verò *ex gratiâ*, & *meritum ex Juſtitiâ*, prorſus opponuntur. Id quod etiam de *favore*, ſive *acceptatione*, dictum eſto. Et quamquam fuit tempus, cum *Gratia*, poſſet opera ad æternum premium facere proportionata, [nempe in *ſtatu integrô primævô* &c:] tamen nunc res illa ſecus habet: poſtquam in *Juſtificatione* quidem, tollatur *culpa actus præteritus*, [neque enim ille poteſt reddi infectus,] & *reatus co-ſequens*; ſed non *culpa ipſa radicaliter*. Manent enim, quamdiu in viâ ſumus, adhuc *culpæ radices* & *ſemina malefica*, quæ per *ſanctificationem* quidem, [ipſis *juſtificationem meritoriam*,] attriveris, ſed nunquam ità exſtirpaveris, ut non ſubinde erumpant, & *perfectioni*, ſeu *condignitati emundationis*, ſint obſtaculo, Gal v, 17. Rom: VII, 15, 16, ſeq: *Receptivum recipit non ad modum imprimentis, ſed ad modum capacitatis ſuæ*. Unde etiam, ipſi *Pontificii*, eò ſeſe adigunt, ut agnoſcant, *gratiam*, neceſſariò opera non facere *meritoria*, quoties docent, *opera prævia ante juſtificationem*, ſeu *diſpoſitiva*, quæ ſecundum ipſos, fiunt ex *Gratiâ*, ut *Concauſâ*, non eſſe *meritoria*. Doctiſſimus (dd) *Voetius*, exiſtimat hæc re-

(dd) Diſputat. Theologic. part. 2, p. 730, 731.

requiſita meriti, jam non ſtringere *Pontificios*, poſtquam iidem *meritum ſuum modificatum contraxerunt*, *& juſtificationem diſtrinxerunt in primam & ſecundam* &c: Atqui etiamſi, *merita* Adverſariorum, jam ſint aliâ ceruſſâ interpolata; atque *Pontificij*, meritum, nunc quidem, juxtà *illas conditiones*, non exaſcient; tamen adhuc inſiſtunt, illa incruſtata opera ſua, *vera* appellare *merita*, atque ſic, ad *meriti conditiones*, non ineptè, adhuc revocari poſſunt. Tertió: *Praxis Patrum Beatorum*. Legimus, *Abrahamo*, Patri fidelium, non *τὸ operari*, ſed *τὸ credere*, imputatum ad juſtitiam. *Gen*: xv, 5, 6. *Rom*: IV, 2, 3, *ſeq*. Vana eſt *exceptio*: imputatum ad *juſtitiam primam*, non *ſecundam*. Etenim, *Abraham*, decennii ſpatiô, [quod fuiſſe tempus, inter primam ejus paritionem, & promiſſionem, cujus fides, ei imputata dicitur ad juſtitiam, *Gen*: xv,5,6. *Rom*: IV,2,3, *ſeq*: ipſi (ee) *Pontificij*] concludunt, jam dum multa opera ediderat; *altare exſtruxerat*, *Deum invocaverat*, *decimas exſolverat* &c: quæ ad Pontificium *primæ juſtificationis* ſtatum, nullô modô, revocari poſſunt. ſed & aliunde, *textus Pauli*, illam cavillationem non ad-

(ee) Arias Montan, in Chronolog. Biblic. Confer & Pagnin. in Chronolog: ad hæc temp:

mittit. *juſtitia* illa *prima*, ex ipſorum Hypotheſi, *prorſus abolet peccatum*: quippe quæ conſiſtit in *duobus*. Primó: *in remiſſione ſeu expulſione peccati*. Secundó: *In infuſione, ſive in acquiſitione juſtitiæ. ſicut Calefactio, quâ frigus expellitur, habet duas partes: Depulſionem frigoris, & acquiſitionem caloris* &c: Ita (ff) *Becanus*. Atqui *juſtitia* illa, cujus meminit Apoſtolus, *Rom*: III. dicitur eſſe *impij*, (v.5.) & talis, *per quam peccatum remittitur & obtegitur*, (v.7.) An ergò *inhæſivè juſtus*, erit *impius*? an quod *obtegitur*, prorſus *tollitur*? Fabulæ vaniſſimæ! Etiam *Paulus*, tum cum ſcripſit Epiſtolas ſuas, hoc eſt, jam *converſus* & *juſtificatus*, adhuc queritur de carnis ſuæ impotentiâ, *Rom*: VII, 14 *ſeq*. & *juſtitiam ſuam ex Lege*, vocat expreſſè σκύβαλον & ζημίαν, *Phil*: III, 9, 8. An ergò aliquid merebuntur *noxæ* & σκύβαλα, ſeu *projecta canibus*? Poſſem iis plura addere, ſi non *Scriptura*, factô compendiô, *omnium temporum beatis*, illam eampſe viam, attribueret, hoc eſt: *Fidem*, non *opera*, in ipſis commendaret. Quomodò intelligitur, ex *Actor*. XV, 10, 11. *Rom*: IV, 23, 24. Quartó: *Ejuſdem inutilitas & aſymphonia, cum aliis Pontificiorum Hypotheſibus*. Etenim otio-

(ff) Tom: 1, Cap. 3. Quæſt. 2.

tioſum eſt, velle regenitum, quærere *per merita ſua*, ἐξουσίαν regni Dei, quam à primô monentô ſuæ υἱοθεσίας *Joh.* I, 12. habuit in manu; quippe ante *meritam à Chriſtô.* Et cum, ſecundum *Ipſos*, vis promerendi Salutem, *infiniti valoris* ſit: Atque *iidem illi*, negant *vim infinitam* communicari poſſe *Carni Chriſti*, quomodò nunc audimus eam communicari poſſe *carni Sanctorum*? Non dicam, quod *Pontificij*, qui tantopere inſectantur *juſtitiam imputatam*, ipſi tamen eam adſtruant, per *nundinationum ſuarum Papalium* abacum, & *indulgentiarum*, mercatum: ubi *juſtitiæ alienæ*, [quamvis commentitiæ,] λογισμὸς & communicatio, expreſſè ſtatuitur. Adeò *utraque* hęc *Iuſtificatio Pontificia*, ęſt conficta; Cum *Scriptura* nonniſi unam atque eam longè diverſam *Iuſtificationis* viam, monſtret; quæ ſit *per imputationem Iuſtitiæ*, [ſolius perfectæ,] *Ieſu Chriſti, à nobis Fide apprehenſæ.* ut ex collatione *Rom*: IV, 5, 6. cum *Rom*: V, 18, 19. I. *Cor*: I, 30. 2. *Cor*: *V*, 21. *Actor.* IV, 12. *pateſcit.*

Fruſtrà nonnulli ex *Noſtris*, quibus

In nova fert animus, mutatas dicere formas,

etiam illi, *Diſtinctionem* conſuunt inter *Iuſtificationem negativam*, non condemnationem, vel *poſitivam*, ipſis idem quod

Salvationem. Quaſi ad *ſaluten acquirendam*, ſufficeret quidem *fides* & *Iuſtitia extrinſeca*; ſed ad eandem *conſervandam*, & *in cælis obtinendam*, requirerentur *opera*. Dudum enim, [poſtquam diſceſſero ab iis, quæ contrà *Iuſtificationem ſecundam*, fuere prolata,& huc quadrant]evictum eſt ab *Orthodoxis*,hęc ab *iisdem cauſis* exoriri:ſimulq; regenitũ,& *credere* & *habere vitam*,*Ioh*: I I I, 36.& *V*, 24.*Gal*: II. 20. Quippe etiam in hâc vitâ, γευσάμενον δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος, *Hebr*. V I, 5. tam verè, quàm hîc habet δικαιοσύνην, καὶ εἰρήνην, καὶ χαρὰν ἐν πνεύματι ἁγίῳ, In quibus *regnum Dei* conſtituitur, *Rom*: XIV, 17. Quanquam *gradus*, nemo non agnoverit. Ut ità quod hîc habet, non opus ſit, ut mereatur. Imò verò, quid hoc rei eſt? Velle ſtatuere, *Iuſtificationem* fieri per *fidem*, & tamen negare hanc ad *immiſſionem in ipſos cælos*; poſſe ſufficere? *Fidei objectum*, eſt *totus Chriſtus*, ſive [per quod hic *Fidei* prodeſt,] *Chriſti meritum*. Atqui verò, illud ipſum norunt, eſſe non ſolùm *paſſivum*, quô ſolvitur obligatio Legis ad pænam, & fit ſatisfactio pro peccatô; ſed & *activum*, quô fit ſolutio obligationis Legis ad obediendum, & fit acquiſitio mercedis, promiſſę Legem exſequentibus &c: Quare ergò & quomodò

Fi-

Fides, quæ in Chriſtum, [utique *totum* & non *diviſi operis &c:*]recumbit,non *hoc*,æquè ac *illud* apprehendit? aut ſi non apprehendit, cui bono, tum Chriſtus illud fuit meritus? quandò ipſe, certè, non eguit *præmiô Legis.* [2] *Privationis*, [non-entis] in *abſtractam*, quæ formaliter, vel *Concretam*, quæ materialiter ſupponat. *Illam*, idem ſtatuunt, cum *negatione purâ*: [ajunt enim *privationem* & *negationem formaliter*, convenire. *Hanc*, *negationem* ſimul ſumptam *cum ſubjectô*, faciunt. Solent eam, appellare *ens privativum* &c:Ità *neutrum membrum*, *convenit privationi*. *Prius* enim eſt *negatio pura*; [quomodò fuit inſinuatum,] atque ità, *privationi* opponitur. Notum enim eſt, *negationem* eſſe vel *puram*, vel *privativam*. *Poſterius*, *ſubjectum*, quod & illud alienum, complicat. Quid enim *Enti*, [ſubjecto] cum *non-ente* [privatione?] Ab *Ente* & *non-ente*, unus proprius conceptus, non poteſt abſtrahi. Ut non poſſit *Diſtinctio illa*, prout quidem ità pingitur, agnoſci quomodocunque, inter *Diſtinctiones*, ſive *nominis*, ſive *rei*. Maximè, ſi attendantur, quæ *Tmem:poſter: cap*: I. *Theſ*: VI. fuerunt inculcata. Interim, quià amitti eadem, non ſatis commodè poteſt, ob *uſum*, quem in Theologiâ, ad explican-

das *privationes morales*, ſeu *peccata*, adfert, non abs re me facturum exiſtimo, ſi penitius, quid ei intus atque in receſſu ſit, excuſſero. Poteſt ei *geminus ſenſus* eſſe. PRIMO: Ità. ut *privatio* quidem *formalis* ſeu *abſtracta* ſic ſumatur, quomodò ante; *Concreta* vero ſeu *materialis*, pro *negatione* & *reflexione ſimul ad ſubjectum*; Ita tamen ut *reflexio illa*, ſeu *ordo ad ſubjectum*, non ſit quidpiam *entitativè reale in ſubjectô*, aut *ſubjectum* ipſum complectatur &c: ſed ſit tantùm *realis* aliqua, ſeu *non ficta privativa relatio*, per quam *privatio à negatione purâ*, ſeparari poſſit. Ità *ſurditas*, verè, & nec te nec me fingente, dicit *abſentiam auditus in reſpectu ad aurem* &c: Quomodò *hæc Diſtinctio privationis*, neque illa bona eſt. *Privatio* enim *abſtracta*, contradictoriè *privatio* dicitur; ut quæ ſit in ſeſe, *negatio pura*, quæ nec jus, nec analogiam juris, ad *privationem* habere poſſit; cuj nempe, eſt oppoſita. Pertinet ergò, ad *Claſſem præced*: ut cum aliis ſuj ſimilibus, inde proſcribatur. *Dicet quis*: Interim *uſum* habet. Neque enim ſine eâ, intelligi in *Theologiâ*, quomodò *Deus ob peccatum juſtè poſſit iraſci*, *Chriſtus mori* &c: nempe, illud quidẽ, non ob *peccatum abſtractum*, ſive *nihil*; [cum ob *nihil*, id eſt, nullâ

cau-

cauſâ, *Ens luſtiſſimum*, nè commoveri quidem, nedum mori &c: debet] ergò, ob *peccatum concretum*, ſive *tale non-ens*, quòd *ordinem* habet ad *ſubjectum* aliquod, ſeu *bonum*, [certum nempe ſeu *habitum*, ſeu *actum*,] à quô excuſſum eſt, per laſciviam & abuſum voluntatis, ſecus quàm potuit atque oportuit &c: *Reſpondemus*: Uſum hunc illuſtrem, ſequi ex *Diſtinctione illâ*, quatenus *Diſtinctum* eſt *negatio*, & non quatenus *Diſtinctum* eſt *privatio*. Etenim dicere *privationem*, hôc in ſenſu, eſſe vel *abſtractam*, vel *concretam*, eſt dicere: *Negationem* eſſe vel *purè talem*, vel *privantem*. Quæ *Diſtinctio*, cum ſit bona & irreprehenſibilis, cognitum eſt, quomodò *privatio* illos, ad quos provocant, uſus ferat: nempe, *illius*, & non *ſuô nomine*. SECUNDO: Poteſt *Diſtinctio hæc*, ità accipi, ut *privatio* quidem *abſtracta*, ea ſit, quæ nuper fuit *concreta*: *Concreta* autem, quæ ſubjectum aliquod ſimul connotet, & ſit propriè *ens privativum* &c: Ita verò ſit *diſtinctio hæc*, primùm *diſtinctio*, nempe *Nominalis*, cum aliqua, & vel modicella ratio ſit, ob quam *ſubjectum*, quod *privationem* fulcit, appelletur *privatio*. Multum verò & hæc *diſtinctio*, lucis habet, quoties quæritur v. c. *quomodò Deus cum*

pec-

peccatis commiſſionis unà eſſe poſſit? &c: Utuntur eâ, tum *Noſtri* tum *Calviniani*; Verùm, impari ut ſenſu, ità laude. *Noſtri* diſtinguunt, inter *peccatum*, [nempe *Commiſſionis*; in peccatis enim *Omiſſionis*, nullum eſt *materiale* &c:] *abſtractum* ſeu *formale*, quod ſit ipſa ἀταξία ſeu inordinatio; vel *concretum* ſeu *materiale*, quod ſit ἀταξία cum actione ſimul. Ubi iterum ſordes purgant, dicuntque, *Deum concurrere quidem ad actionem ſive motum creaturæ ſuæ*, ſuſtentandô & cooperandô &c: ſed non ſimul ad ἀταξίαν, ſive ea *ſola*, ſive *actui ſubſtrata* fuerit. *Calviniani*, quemadmodum *hac diſtinctione* aberrant, ſuis locis oſtendetur. [3] *Diſtinctiones* quædam *Actus*, membri diſjunctę Affectionis Entis, in quibus *Scholæ*, hactenus dormitarunt. Videlicet; *Primò*: in *Purum*, vel *impurum*. *Illum*, qui nullam habeat potentiam paſſivam, ſeu ad non eſſe; qualis *actus* nonniſi *Deus* eſt; unde & vocatur *Ens ſummæ actualitatis* &c: *Hunc*, qui habeat; uti *creaturæ*. *Secundò*: in *Entitativum* vel *Formalem*. *Illum*, qui competat entibus non compoſitis ex formâ; ipſis nempe *formis*, [ſubſtantialibus, accidentalibus;] *materiis* &c: *Hunc*, qui competat compoſitis ex formâ; quomodò *actus* ſunt, *corpora naturalia*. *Tertiò*; in *Eſſentiæ* vel

ſub-

Subſiſtentiæ. *Illum*, qui ſit eorum, quæ tantum habent exiſtentiam, videlicet *ſubſtantiarum univerſalium*, *Carnis Chriſti*, *accidentium* &c: *Hunc*, qui ſit *ſubſtantiarum ſingularium*, quotquot ſint *ſuppoſita* &c. In hiſce *diſtinctionibus*, primi obſervamus, *neutrum membrum*, convenire *toti ſuo*. *Totum* enim, ſeu *diſtinctum*, hîc eſt, *Actus Affectio*. Sub hac enim, *diſtinctiones* illas ſolent recenſere &c. jam verò, *membra* loquuntur de *Ente ipſo*; prout nempe hoc talem vel talem, habet *exiſtentiam*, quomodò id diſpaleſcit vel ex *ipſis terminis*. Quid ergò *Enti*, [objecto] cum *affectione ſuâ*? Longè aliô diſtrictu, *illa* dividunt *actum*, prout nempe, hic ſumitur, pro *actu eſſendi*, ſive *Exiſtentiâ*. Quò alludit illud *Ariſtot*: 9. *Metaph. t.* 31. *Actus eſt*, *quô res exiſtit*, *non ità quemadmodum dicimus poteſtate*. Hac picturâ; *Actus*, ſit *ſynonymum Grammaticum Entis*; ſibique oppoſitum, vel potius æmulum habet, *τὸ eſſe potentiâ* ſeu *poſſibile*: Quod nempe *exiſtentiam* nunc non habet quidem, ſed tamen poteſt habere, *vi cauſæ*; In quâ latet, citrà repugnantiam. Dixi, hoc eſſe *æmulum actus*. Quò enim, *tale poſſibile*, eſt in *propinquiore ad actum potentiâ*, eò etiam propius ad *actum* tranſit, uſque dum in eum prorſus deſinat, & evaneſ-

neſcat. Ità *gallina*, quæ nondum ova peperit, eſt in *potentiâ remotiſſimâ*, ad [*actum*] pullum: In *propinquiore* autem, ad pullum *gradu*, poſtquam ovum, in quô ſemen pulli, peperit: denique in *proximô*, poſtquam *forma*, in ovô, factâ incubatione, aliquarum *pulli* partium, cæpit rudimenta; donec tandem partibus omnibus apparatis, fiat ex *pullô in potentiâ*, *actu pullus*. Colligo me: *Actus* ad hanc talem *potentiam* collatus, & *ſynonymus Exiſtentiæ* ſive *Enti*; is eſt, quem dicimus caput eſſe *harum diſtinctionum*, quandò dicitur: *Actus* eſt vel *purus*, vel *impurus*, Item: Vel *entitativus* vel *formalis* &c: adeoque ad *affectionem*, cum hac ſuâ *potentiâ*, nè hilum facit. [4] *Diſtinctio Loci*, [Carteſiana] in *Internum* vel *Externum*. *Illum*, qui ſit *reſpectus quidam ſitus ſuperficiei corporis*, *ad aliud corpus ſeu vicinum, ſeu remotum*: *Hunc*, qui ſit *ſuperficies, quæ proximè & immediatè ambiat locatum*. Per *ſuperficiem*, dicunt ſe intelligere, non *extenſionem* &c: *ſenſu Peripateticô*; Sed *terminum*, *qui medius ſit inter corpus ambiens, & quod ambitur*: *Poſſeque hunc modum manere, quamvis iſta corpora tollantur*, *modô tamen alia*, *quæ ſint accuratè ejuſdem magnitudinis & figuræ*, *in ipſorum loca ſuccedant*.

Ita

Ita (g) *Tatinghoff*, imitatus Præceptorem ſuum *Carteſium*: niſi quod (h) *Hic*, per *Locum Internum*, intelligat *ſpatium*, quod ſit ipſi *extenſio in longum, latum & profundum*, atque *realiter idem, cum ipſô Corpore ſeu ſubſtantiâ* &c: Nos, quàm contrà aliquid poſſimus experiri, prius neceſſe habemus, veram *formalem loci rationem*, conſtituere. *Locus*, itaque, *affectio corporis naturalis*, non eſt [a] *ſituatio corporis, aut ſuperficiei corporis ad corpus*. Nam quis neſcit *locum & ſitum* eſſe diverſiſſima? nemo, eôdem conceptu, quô apprehendit *ſitum*, v. c. *hominis incurvi, ſtantis* &c: apprehendit eum ſimul *locô* circumfuſum. Adhæc: poteſt Deus, quod volet corpus, in *vacuô* ponere, [*poteſt* inquam, *ponere*, quià poſuit, *tum πρωτόκτιστον*, nullô aliô, quod cingeret, coexiſtente: *tum* ſupremum; ſive illud *cælum* fuerit, ſive *aquæ* ſuprà cælum;] quod tamen *locô* deſtitutum, [vide *Ariſtotel.* 1. *de Cæl*: *c.* 9. *text.* 99. & 4. *Phyſic*: *cap.* 1. *t.* 4. &: *cap.* 5. *t*: 43, 47.] *ſitu* non carebit. Ut nihil dicam de *corporibus glorificatis*. *Dices verò*: *Locus* non eſt *ſitus*, ſed *relatio* ſeu *reſpectus ſitus*, ad aliud corpus. Imò nè hoc quidem certè: *tum*, quod *locus* non

(g) Clav. Phil. Natur. cap. IX, p. 240. ſeq. & p. 208. (h) Princip: Philoſoph. part. 2. n. XV, p. 41.

non magis fluere poſſit ex *reſpectu ſitus*, quàm *figuræ* &c: hoc eſt: *propter aliud*, cum *primò* ſit à *Corpore*: *tum*, quod *quarumcunque dimenſionum ſitus*, v. c. etiam *duarum* aut *unius*; poſſit habere *talem reſpectum*; cum *locus*, niſi in *omnibus dimenſionibus*, liberari aut ſalvari nequeat. *Regula* enim habet: *Locus & locatum ſibi debent eſſe adæquata*. Pergo. *Locus*, (b) non eſt *Quantitas*, *Ubi*, *Habitus*, aut *Ens aliquod Abſolutum*. Nihil n. opus hariolari, poſtquam *Relationis requiſita*, ſunt in promptu. Adeſt *Subjectum*; Corpus ambiens: Adeſt *Fundamentum*; adæquata circumſcriptio: Adeſt *Terminus*; quod locatur, ſeu ambitur. Ut propterea, [nam illa ad *relationem* ſufficere, infrà probo,] *locus* [c] non ſit aliud, quàm, *habitudo unius corporis ad aliud, quâ locans & locatum ad ſe referantur, propter locantis adæquatam circumfuſionem*. Hoc eſt; *Ens* non *abſolutum*, ſed *relatum*. Quâ quidem *formalitate Loci*, indagatâ, atque eâ, quaſi *Regulâ Leſviâ*, conſtitutâ, facile nunc fuerit *membra* à nobis accuſata, ad illam explorare. Et quod attinet quidem ad ipſorum *Locum internum*, præterquam quod *Locus* non magis dici poſſit *internus*, quàm *externus*, utpote *relatio ab unô ad aliud tendens* &c: ſicut demonſtratum, etiam

ſit-

ſuperficies, ſive *terminus*, in quô *Locum* hunc *internum* fundant, nuſpiam comparet. Nuſpiam enim in totâ naturâ rerum, exſtat alius, [*circà corpora*] *terminus*, quàm qui *finiat eorum extenſiones*, v. c. *extrema magnitudinum*, *figuræ* &c: quæ ſunt ſuis, ſingula, in corporibus, hærentia. At jam *terminus* ille *Carteſianus*, debet eſſe, & *medius inter corpora*, ſive *iis recedentibus incolumis*, [quomodò quidem eſt *extrâ corpus*,] & tamen poſt ſe *habere ſitum*; [vocarunt enim ſuprà, *locum internum*, qui ſit *reſpectus ſitus Superficiei talis*, ſive *termini*,] hoc eſt: *intrà corpus* eſſe; [*ſitus* enim certè eſt *intrà*; ut vel ipſi *formam eſſentialem* conſuunt, ex tali *ſitu*, *motu*, *figurâ* &c:] intelligere non poſſumus, quid hoc adeò rei ſit: niſi quod perſuaſi ſimus, *monſtrum hoc termini*, dum *ubique* eſſe vult; [hoc eſt: & *intrà* & *extrâ* ſimul;] tandem, prorſus eſſe *nuſquam*. Foret conſultius, ſi (iii) *Carteſiana factio*, ſuum ipſius *principium* conſiderare vellet, nempe, *Non oportere*, *de re aliquâ ferre judicium*, *niſi clarè & diſtinctè*, *eadem à nobis prius fuerit percepta*. Atque, poſitô vel maximè *talem terminum* percipi poſſe, nihilô tamen magis, *illius ſitus cum ſuô reſpectu*, fa-

(iii) Id. pag: 60. 195.

faciet ad *locum* producendum, quàm fecit ante *Situs reſpectivus*, in genere, à nobis, caſtigatus. Ecce verò *Locum*! Ajunt: (111) *Qui curru in ſylvâ vehitur, non mutat locum quatenus ſemper unum & eundem ſitum inter latera currus ſervat; dicitur tamen locum mutare, quatenus continuò ſitum ad arbores deſerit; ſive quatenus ab unâ arbore recedit & ad aliam accedit.* Nempe, hîc, *currus*, aut *latera currus*, ad quæ *ſitus ſedentis* habet *reſpectum*, erunt ejus *locus internus*. [*Externus* enim, ex confeſſô, proximè ambit corpus &c.] finge jam *currum* ſuprà & ad latera apertum, erit *locus*, qui vix tertiam *locati ſui* partem, claudit. Ubi ergò *loci* ad *locatum adæquatio*? *Locus Externus*, cum definitur, per *ſuperficiem* ſeu *terminum*, qui in rerum naturâ, non exiſtit; atque omittit *reſpectum*, [in quô *loci formale* eſt,] etiam ille procul, extrà *locum*, cadit. Quod autem *Carteſius*, audet, *extenſionem* ſive *Quantitatem*, confundere, non modò cum, *Locô*; ſed & cum *ipſâ ſubſtantia* &c: τῦ' ἑτέροισι γέλως; & vel recenſere, eſt refellere. [5] Poſſunt in hoc forô etiam conveniri *diſtinctiones Baptiſmi*, *Logicæ* &c: *Poriſm*: *præced.* 3. examinatæ. TERTIA CLAS-

(111) id p. 203. *imitatus exemplum Carteſii ſumptum a ſedente in navi &c.* Princip. Philoſoph. part, 2. n. XIII

CLASSIS, poteſt ſtatui pro *iis diſtinctionibus, in quibus membra, tantum ex ſemiſſe, ſeu ex parte, non congruunt toti ſuo.* Non poſſunt verò *hæ diſtinctiones*, commodè referri, ad *priores Claſſes*; *tum*, quod *non convenire ex parte*, & *ex totô*, ſint diverſa: *Tum*, quod, ſi facias ejuſmodi compendium, non tam præciſè, poſſit intelligi, quantum *ſingulæ diſtinctiones* exerrent. Nam *mitiores* ſanè ſunt habendæ, quæ *non conveniunt totis ſuis ex parte*, quàm quæ iiſdem prorſus non conveniunt. Ad *hanc Claſſem*, poſſumus referre, *Gratiæ* illam ſatis tritam *diſtinctionem*, in *Externam* vel *Internam*. *Illam*, quâ Deus foris ſive objectivè vocet, per verbum &c: *Hanc*, quâ ſimul collativè per verbum intus operetur, *vel* ad mentis illuminationem, ſeu officii convictionem; *vel* ad voluntatis etiam motionem, *ſeu* ad Fidei aliquam lætitiam; *ſeu* ad eandem veram & ſalvificantem. *Ultimam* hanc *gratiam*, nempe *collativam fidei ſalvificæ, ſolis electis, Calviniani* volunt deſtinatam: reliquos autem *gratiæ* modos, cum *rejectis*, faciunt communes. Prorſus, ſicut *vocationem externam*. Vide multorum inſtar (kkk) *Pareum*. Qui tamen *Gratiæ* ex-

(kkk) in Iudic. de Artic: Remonſtr. Dordrac. ſeſſ. 99, prælect:

externæ, non opponit *internam*, ἀντηλεξῆ, ſed *ſenſu*. Nam *Gratia Cooperans* & *Operans*, [quas *Externæ* opponit] ipſi dicuntur *intus* cooperari atque operari. Quod ſi *intus*; etiam *internæ* ſunt. *Operantem* verò, ità tripartitur: *Aliquorum* [inquit] *Deus miſeretur uſque ad bonum illuminationis, & fidei hiſtoricæ: Aliquorum, uſque ad bonum fidei temporariæ, & alicujus lætitiæ: Aliquorum denique, uſque ad bonum fidei ſalvificæ & regenerationis.* Applicant hęc (l) *Haſſiaci*: item (m) *Spanhem*: & (n) *Zuinger*. Qui etiam ità evaneſcunt, ut dicant, *Gratiam Dei*, quibuſdam obtingere, nonniſi ad *reatum majorem*, & *graviorem condemnationis materiam*. Ubi *Nota*. Doctores *Reformatos*, ſępius, *in ſpeciem* ità loqui, ac ſi per has *duras phraſes*, reſpicerent ad *gratiæ effectum*, *collativè*, & *à parte hominum*; cum tamen reverà ea, mente habeant repoſita, de *gratiâ in ſeſe*, *oblativâ*, & *à parte Dei*. *Pareus* enim ſuprà dixerat: *Deum aliquorum miſereri* &c [non dixerat, *homines* ipſos, fabros eſſe hujus ſuæ fortunę &c: Et *Haſſiaci*, *proximè citat. Locô*, improbant illam *theſin*, quâ dicatur: *Gra-*

(l) Act ejuſd. Syn: p. 245. (m) Exercit. de Grat. p. 2242. ſeq. (n) in Defenſ. Calvin: p. 547. Idem ſtat. Bremenſ. cum Leidenſ. in cenſ. c. 18. §. 3.

Gratiam ſufficientem ad converſionem, *etiam iis conferri*, *qui actu ipſô*, *non convertuntur*. Eſtque ea, [ut verbô addam] *una omnium ſententia*. Nam quanquam videri volunt *Bremenſes*; *Salmurienſes*, *Bergij* &c: culpam *inefficaciæ* Gratię rejicere in ipſos homines; tamen, *aut* hoc non intelligunt de *mediô eluctandi ad ſalutem proportionatô*, nempe *Fide*; ſed de *mediis quomodocumque eluctandi* aliis, ſuprà à nobis enarratis; videlicet, *illuminatione mentis*, & *excitatione quali quali voluntatis*, *ad officij convictionem* &c: *aut* tales fovent *hypotheſes*, per quas, *Gratia ad fidem ſufficiens*, *à parte Dei*, prorſus evertatur; velut quod *Deus reprobet negativè ſine intuitu peccati*, [quô de alibi;] & quod *Gratia in electis*, ſive *efficax*, ſit *irreſiſtibilis*. Quære enim, quare *irreſiſtibilis*? Reſpondebunt: Quià *intellectus electorum ita eſt colluſtratus*, *ut voluntas*, *bonum maximâ luce ſibi præmonſtratum*, *non poſſit non accipere*. Unde relinquitur; ſi *bonum fidei*, etiam *reprobis* fuiſſet *tantâ luce* repræſentatum, quod & ipſi illud, admiſiſſent. Nam poſt tale *donum illuminationis*, ſecundum ipſorum *Theologiam*, *nulla voluntatis ἀδιαφορία*, remanet *ad repugnandum*. Atque ità, adhuc culpam *Deo* imputant, qui *gratiam in tantô gradu illuminativan*, ut æquè

in aliis ac *in Electis*, poſſet eſſe *irreſiſtibilis*, non vult largiri. Quâ quidem ſententiâ, [ut revertar ex illô diverticulô,] *Gratia Externa Dei*, prorſus non eſt *Gratia*. *Interna* autem, vix minimâ ſui parte. Contrà *Externam*, militant ea, quibus *Claſſ*: *Primâ*, *Num*: 3. *Vocationem Externam*, protelavimus. Nolumus eandem crambem, pluribus inferre menſis. *Interna*, quæ non nititur in *fidem ſalutarem*, etiam illa, quidvis minus eſt, quàm *Gratia*. Etenim *Fides*, *Fides*, unica eſt, *quâ placemus Deo*. Heb. XI, 6. Si illam negat Deus, ut poſtremùm cruciándis animabus accumulemur, num nobis *Gratiam* facit, etiamſi ad aliquod tempus, bonis quibuſdam aliis, nos ineſcet? Non eſt illa *Gratia*, quæ in *Odium* exit, & per momentanea quædam beneficia, inſidiosè, nonniſi *ad carnificinam & aggravationem majorem*, affectat viam. Ut leve fuerit, de hac *Gratiâ*, uti *illô Simili*, quô *Spanhem*: (z) *Gratiam univerſalem*, [immerentem] inceſſit: *Eam*, nempe, *inſtar coloſſi Nebucadnezaris*, *caput quidem aureum habere*; *ſed corpore tamen deſinere in vile metallum*; aut eſſe quomodò *poma Sodomitica*, *quæ cum colore & aſpectu pulchra ſint*; *tactu tamen in favillas evaneſcant &c*: cum & illud dici, multò ma-

(z) In præfat: Exercit: de Grat:

majus crimen, poſſit; quod nimirum *talis Gratia, authorem ſuum, faciat tyrannum. Ille enim, qui ex pactô* obligatus eſt, omnibus malitiosè non reſiſtentibus, *fidem* dare, quâ ſerventur; [Obligat autem ſeſe Deus, in hunc modum, non obſcuris, neque paucis locis,] & nihilominus tamen ipſe occidi jubet eos, qui hac *fide* carent; quum iis eam nunquam dare voluit, & verò eam aliunde non poſſunt habere, &c: anne *tyrannum* inclementem, agit? In quem *ſervus* [ſi non gravius] dicere poſſit: *Timeo Domine, quià homo auſterus es; tollis quod non poſuiſti, & metis, quod non ſeminaſti*; Luc: XIX, 21. Quæ de *Deo* vel ſuſpicari, quantum ſcelus! Atque *hæc exempla*, ad *Canonis hujus, uſum Anaſcevaſticum*, ſufficiunt. Dabo nunc quidem aliqua, *uſus Cataſcevaſtici*; Sed multò pauciora. Nempè, in quibus, *membrorum, ad totum ſuum convenientiam*, adſtruemus. Ex eô genere ſunt *Diſtinctiones*, quæ hoc modô, rectè habent [1] *Voluntatis Dei*, in *Antecedentem*, προηγουμένην ſeu *Miſericordiæ*, vel *conſequentem*, ἑπομένην, ſeu *Iuſtitiæ*. *Illa*, eſt *univerſalis* & *conditionans*, [neque enim, eſt *Conditionata*; quià *Summæ Regulæ eſt, dare non accipere conditionem*,] *Quâ* nempè, *Deus vult omnes homines lapſos, ſub conditione non rejectionis mediorum ſibi oblatorum ſalva-*

re: *Hæc*, eſt *Particularis*, atque *Abſoluta*, *quâ Deus*, *ex prævißione applicationis illius conditionis*, [prout nempe, *media* ab hominibus *vel* admittuntur, *vel* rejiciuntur] *decernit aliquos ſalvare*, *& aliquos*, ſeu *maximam partem*, *condemnare*. *Prior ergò*, pro *objectô habet* omnes homines, quà poſt lapſum, *Deo reconciliabiles*, ſine complicatione *prævißionis* alicujus *determinatæ*. *Poſterior*, pro *objectô* habet, *homines in particulari*, prout jàm *reconciliatos*, aut *non reconciliatos*, ex *prævißione determinatâ finalis perſeverantiæ*, quæ ſemper Deo *tanquam facta*, præſentiſſima eſt. Dixi: *Determinatâ*; Nam *prævißio Dei generalis*, quâ ille, & *miſeriam peccati*, & contrà eam *media* proſpicit, à *Voluntate* ejus *Antecedente*, non poteſt excipi. Ut tranſire illud, ſine criſi, nequeam, quod dicatur *Voluntatem* Dei *Antecedentem*, reſpicere *Homines*, *quà homines* &c: quomodò enim reſpicit *quà homines*, qui reſpicit eos, ut *in peccatum lapſos*, & *per media ad ſalutis reſtaurationem perducibiles*, &c:? In hac ſententiâ, *Diſtinctio* illa, plurimis, non eſt ad Stomachum. Quicquid ſit de *causâ*, quam (o) *Menzerus*, conjicit, unà certè contrà *Voluntatem Dei Antecedentem*, ſignum ſuſtollunt, (p) *Molinæus*,

(o) De Ment. Calvin. th: 155. p. 61. (p) in Anatom. Arminianiſm. c. 5.

næus (r) *Maccovius*(s)*Chamier*,(t)*Trigland:* (u) *Rivetus* (x) *Wendelinus*, & quàm plurimi, quaſi conſpiratione factâ; contrà *expreſſam repræſentationem*, non *rationis* modò, ſeu *profanæ experientiæ*; ſed & *ſcripturæ revelatæ*; 1 Sam: XIII, 13. Matth. XXII, 9, 13. 1, Tim: II, 4. Apoc: III, 11. Quô de, fuſè *Alij*. Unum moneo, priuſquam *argumentis Adverſariorum* contraveniam; hanc *Voluntatis Dei diſtinctionem*, rectius eſſe *Subdiſtinctionem*; quæ *abſolutè*, comprobari nequeat. Etenim *membra*, ipſi ad *totum*, non eſſe *adæquata*; Sed pro *aliô* atque *aliô reſpectu*, illud aut *excedere*, aut *minuere*. Id quod alibi, hoc eſt: *Axiom: ſequ.* 6. etiam benè dici poſſet. Quod *excedant* patet. Quià non ſolum *Voluntas Dei*, *Antecedens* & *Conſequens* eſſe poteſt; ſed & *voluntas aliorum agentium liberorum*, ſeu *Voluntas in genere*; ſaltem quæ ſit *reſpectiva ad extrà*. Ita *Magiſtratus*, & ille, *antecedenter*, omnibus ſubditis ſuis benè cupit; ſed *conſequenter*, nonniſi iis, benè cupit, qui vivunt ex præſcriptô. Idem eſt de *hortulano*, cum ſuis arboribus, quos & ille tanquam à ſe

 plan-

(r) Colleg. Theol. I. de Prædeſt: Diſp. 4. p. 11. (s) Tom. 3. p. 115. (t) Tract. de Voluntat: Dei, à p. 174. ad 216. (u) Diſp. 17. de Iuſtific. th. 29. (x) Theol. Chriſt. l. 2. c. 19. p. 319.

plantatas *antecedenter*, omnes ferret in pometô ſuô, cum tamen, *conſequenter*, inutiles exſciudat: Idem & de *Mercatore*, qui in periculô conſtitutus, mercium facit jacturam, quas, abſque illô, *omnes* retinuiſſet &c. Imò: manendô adhuc intrà ambitum *ſolius voluntatis Dei*; fuit tempus, cum eadem, ità *Antecedens* & *Conſequens*, non ad *homines* modò, ſed & *Angelos*, ſe extenderet. Quibus & illis *antecedenter*, Deus omnibus benè voluit, quamdiu omnes, ſtarent in origine ſuâ; ſed *conſequenter*, & ex intuitu futuræ defectionis, voluit nonniſi eos, qui domicilium ſuum retinuerunt, beare. Quod *membra illa minuant* totum, ſive illô *ſtrictiora* ſint, pateſcit, quod ſi vel maximè contrahas ea, intrà ſolius *Dei voluntatem*, necdum tamen omnia, quæ vult Deus, iis poſſis colligere. Nam *voluntas Dei*, hôc modô, *Antecedens* & *Conſequens*, eſt tantummodò *reſpectiva*; nempe relata ad *creaturam rationalem*. Quæ ergò Deus vult, *ſimpliciter ad ſe ipſum*; vel *relatè* ad *alias creaturas*, quàm *has ipſas rationales*; imò, quæ vult *relatè* ad has ipſas, aliter quàm ad *ſalutem proximé*, nempe ad *ſtatum politicum* &c: ea omnia, *membris hiſce*, collocari nequeunt. Adeò conſtat, *hanc diſtinctionem*, non *de ſe* quidem, eſſe *diſtinctionem*

nem; ſed tantùm *Subdiſtinctionem Voluntatis Reſpectivæ*, in genere, &c: Tempus nunc eſt, ut ex illô excurſu, in viam me recipiam, & reſpondeam *argutiis Adverſæ partis*, quarum, contrà *diſtinctionem illam*, hæ ſunt magis ſpecioſæ. Ajunt: *Chryſoſtomus primus eſt diſtinctionis hujus Author*. Quid tum poſteà? *Datâ repræſentatione*, idem licuit *Chryſoſtomô*. ſicut hoc deduximus, *Poriſm*: 1. Cum *Chryſoſtomô* autem, [ſi conſenſum quæris] *diſtinctione hac*, qui uſi fuerunt, *Patres* & *Scholaſtici*; vide apud *doctiſſ. Voſſium*, *l.* 7. *Hiſtor*: *Pelag*. *p*. 636. *ſeq*: At verò: *Ais*: *Voluntas Antecedens*, *non eſt perpetua in Deô*, [*neque enim* ex confeſſô, *eſt in actu damnatos*,] Ergó: neutiquam eſt *vera voluntas Dei*. *Minor*, negatur & negationis explicatio, & ſtabilimentum, intrà ſubditur. *Probatio* ejus eſt inepta, quià *damnati*, pertinent ad *Voluntatem Dei Conſequentem*, & non ad *Antecedentem*. Simili connexione, etiam *Miſericordia*, non eſſet verè in Deo; quià nec illa fertur in *actu damnatos*. Pergis: *Voluntas* illa *Antecedens*, *Deum inſipientem atque imperfectum reddit*; *ut quæ nunquam compos fiat voti ſui. Nam nec ſapientiæ eſſe*, *velle*, *quod quis novit ſe non accepturum*; *nec potentiæ*, *non aſſequi*, *quod expetitur*. Reſpondeo, tum

indirectè & κατ' ἄνθρωπον: ſi à *voluntate non futurorum* ad *volentis fatuitatem* atque *imperfectionem*, liceret concludere, etiam *Deum* fore *inſipientem* atque *imperfectum*, cum *primos Angelos* & *homines* ſtare voluit, quos novit tamen, non ſtaturos: Et *Chriſtum*, cum calicem à ſe tolli petiit, quem novit non ſublatum iri. Quæ haud ſcio, an ex *majore ſuâ*, talia agnoſcere *Calviniani* volunt: *Nobis* certè abſurdiſſima ſunt. Tum *directè* atque κατ' ἀλήθειαν: tenendô, *voluntatem Dei inſipientem*, atque *imperfectam*, hinc non confici. Eſt enim & manet *Voluntas Dei*, hôc ipſô *ſapientiſſima*, *partim*: quod ſic niſi vellet, juſtitiam ſuam non poſſet conſervare; [neque enim poſſet Deus in tempore, juſtè condemnare reprobum, niſi eum ab æternô ſalvare voluiſſet,] *partim*: quod illa *non futura*, in ſeſe *mutabilia* ſint, potuerintque alia, & *futura* fuiſſe, modò homo, *cauſarum* ad hoc *ſufficientiam* non eluſiſſet; [nempe, *non eſt inſipiens, qui vult illud, ad quod novit ſe habere media* &c:] *partim*: [quæ eſt ſumma, & inimitabilis Dei ſapientia,] quod novit Deus; *mala*, [quæ *non futurorum à ſe volitorum*, locô fiunt,] bonô exitu claudere, atque *ordinem*, vel in ſummâ & intricatiſſimâ eorum confuſione, inve-

venire. *Imperfectio* hinc nulla accedit Deo quià quæ ſic optat, non optat *ſibi*, ſed *nobis*. Quomodò ergò, res hîc volita, ſi fuiſſet accepta, Deum non auxiſſet *perfectione* aliquâ, ità & illius fruſtratio, nullam Deo *imperfectionem*, allinit. Cujus non eſt *habitus*, ejus neque eſt *privatio*. Porrò, *ais*, conſequetur: *Unam Dei Voluntatem, nempe antecedentem, reſcindi, cum educitur conſequens*. Fluctus è ſimpuló: *Voluntas Dei Antecedens*, nunquam perit, quippe quæ ſemper appetit hoc ipſum, Nempe, ut *omnes ſub conditione ſalvet*. Stat conſilium Dei, *Eſai*:XL, 10. ſed homines illud contrà ſe ipſos ſpernunt *Luc*:VII, 30. Atqui verò *dices*: *Contradictoria ſunt; velle ſalvare omnes*, [Voluntate Antecedente] & tamẽ *velle quosdam non ſalvare*, [Voluntate Conſequente.] Rectè equidem, ſi *propoſitiones illæ*, *ἁπλῶς* & *πρὸς αὑτὸ* ſumerentur. Id quod jubet bona *contradictio*. At jam *prior*, loquitur conditionatè; *Poſterior* autẽ, abſoluté: *Prior* homines ſpectat quà reconciliabiles; *poſterior* eosdem, quà irreconciliabiles; januâ gratię, ob finalem impænitentiam, occluſâ. Ut hîc non ſit *contradictio*, *ſed Voluntatis* ſub *Voluntate* potius *ſubordinatio*, hoc eſt; *Conſequentis* in *Antecedente*, talis involutio, ut qui dicit ſe *omnes*, *velle juvare ſub conditione*, ſimul dicat

ſe eos nolle adjuvare, qui *Conditionem* non admittunt. Reſtat inquis: *Turpe eſſe, Voluntatem Dei Antecedentem, pendere incertam, donec conditio vel impleatur, vel non impleatur.* Quin hoc ſecus eſt. Non *pendet incertà.* Unum temporis punctum & momentum eſt, quô Deus Optimus, & *antedenter*, ordinem ſalutis conſtituit, & ſimul omnes hominnm voluntates penetrat, quatenus *eidem ordini* Conformes, aut difformes, permanſuræ ſunt, atque ità *Voluntati* ejus *Conſequenti*, obnoxiæ. Quomodò nihil hîcin *tempore*, ſuſpenſum. *Propoſitum*, [Voluntas Antecedens] & *propoſiti* ex *προγνώσεως exſecutio*, [Voluntas Conſequens] *re* ſunt *una actio*; ſed differunt *Ordine*, & noſtrâ *ἐπινοίᾳ*. Cognitum eſt, in *Æternitate*, dari Ordinem, [prout *Decretum unum, alteri præcedit: Creatio, lapſus permiſſioni &c:*] Sed non *tempus*, aut *ſucceſſionem temporis*. Atque hæc pro *Voluntate Antecedente*, dicta ſunto. [2] *Odij*, in *Reprobativum*, ſive *Abſolutum*, vel *Poſthivitivum*, ſive *Comparatum*, quô *odiſſe*, ſaltem *minus* eſt *diligere*, Ultimum hocce membrum, à Nobis fundatum, in *Gen*: xxv, 28. & xxix, 31, 33, 30. *Malach*: 1, 3. *Luc*: xiv, 26. arrodit quidem (ff) *Chamier*; ſed reſpondit-

(ff) Tom: 3, l. 7. c. 5. n. 14. p. m. 103.

dit ei, inter alios, (gg) *Dn. Danhawerus*, oſtenditque, quod *ipſius*, non Noſtra, [nam ità de nobis, *Chamieri* habet præjudicium,] *interpolatio, ſe ipſam inſulſitate ſuâ refutet*. Ad quem *Lector*, remitti velit. [3] *Cauſæ Efficientis*, in *Activam*, vel *Defectivam*. *Hanc*, quæ defectum; *illam* quæ *effectum* edat. Eſtque illa *Defectiva*, iterum, vel *Commiſſiva*, vel *Omiſſiva*. *Cauſam Deficientem*, Metaphyſici, utplurimùm prætereunt; utpote qui pro principiis uſurpant: *Efficientem eſſe, à quâ primò actio procedat*: *Efficientium eſſe agere* &c: Atqui *Voluntas Corrupta*, ſæpè fit *Cauſa Efficiens*, [nempe peccati] aliter quàm per *actionem*. Sicut etiam ſæpè *defectivè efficiunt involuntaria &c*: Certè, *Voluntas* eadem *peccaminoſa*, interdum non agit, ſeu *omittit agere*; [ut cum non orat, non dat pauperi &c:] interdum, cum vel maximè, *errat committendô*, non fit tamen *Cauſa*, propter *actionem*; [Hæc enim quà talis, in ſe bona eſt, & à Deô ipſô ſuſtentatur,] ſed propter ipſum *defectum* ſive *ἀνομίαν*, quæ ſupervenit *actioni*. Itaque; ſive *Omittendo*, ſive *Committendô*, peccat Voluntas mala, utique fit *Cauſa Efficiens*, aliter quàm per *actionem*.

(gg) Hodomor. Calvin. Phantaſm: 1. §. 108. p. m. 565.

Ut propter illam *Metaphyſicorum* ἀβλεψίαν, *DefeĉtiVè Efficientes Cauſæ*, non poſſint exulare. [4] *Termini Infiniti*, in *Æquivocum*, vel *Contradictorium*. Scholæ hactenus, *prius membrum*, neglexerunt, dum nullum alium *terminum infinitum*, agnoverunt, quàm qui, [Nobis *Contradictorius*] *actu neget*, *& ſupponat pro omnibus*, *præterquam pro quibus ſupponat terminus*, *cui* τὸ *non*, *eſt præfixum*. Ità *non-homo*, *non-lapis*, *&c*: [ſecundum *ipſos*,] animum vagum & ambiguum circumferunt per omnia entia hujus univerſi, [quæ ſub illis poſſunt denotari] præterquam per unum *hominem* & *lapidem*. Quibus ego: Quod *finitum* & *infinitum*, ſint *membra* ità *lata*, ut *Terminum Logicum*, *in genere*, debeant dividere, adeòque exhaurire omne illud, quod *Termini* nomine, *in UniVerſô regnô ſcibilis* poſſit comprehendi; hoc eſt: *Ens*, & *omne Ens*. *Logicæ* enim *Objectum*, eſt *utrumque*. Quibus ſanè partibus, *finitum* & *Infinitum*, non poſſunt defungi; Certè, non inijci, [ut alia nunc quidem taceam] *ÆquiVoco*, quamdiu, ità conſtringuntur. *Hoc* enim, neque *finitum*, [quià certam & determinatam rem non ſiſtit,] neque *infinitum*, [quià *particulam* ſibi *negatiVam*, non habet prejacentem] eſſe poteſt. Quare

re autem *Æquivocum*, non colligeretur eôdem jure, ſub *Termini diviſionibus*, quô ſub iis colliguntur, *Negationes Privationes, Complexa* &c: Etiam illa *ignobile Terminorum genus?* Pręcipuè, cum *Logicæ* ſit, *omne illud, in quô animus errare poteſt*, acci-pere? Unde relinquitur, *materialem* ſaltem eſſe *conditionem*, per quam *Logici*, *infinitum* ante deſcripſerunt: poſſeque illud dilatari, quià nihil eſt periculoſum, in illud inferre, niſi quod pertinet ad *formale ipſius oppoſiti* ſive *condiſtincti*, nempe *Termini finiti.* Quomodò ergò *Termini finiti formale*, in eô conſiſtit, ut aliquid *certò* & *determinatè* ſignificet: Ità *Infinito* contrà, ſatis eſſe poteſt aptum & conveniens, ut ſignificet, quę ſignificat, *indeterminatè.* Eà ratione, & *adæquatio* acquiritur, & neutrum irruit in fines alterius; quandò vi primi principij: *Quodlibet ſignificat aut determinatè, aut indeterminatè.* Quod hîc in τὸ *indeterminatum*, ſolvitur. Poſitô hoc modô *formali*, non difficulter, *Æquivoca*, Terminis *infinitis* accedunt: ut quæ mentem, variè diſtringant, & nomine illô ſuô polyſemô, nihil certi denotent. Ut ἀναμφίδοξον. ſimul & illud, facilè hinc deducitur, quod *Æquivoca*, ex *Analogiâ Attributionis*, in hôc Caſu, habeant exceptionem, hoc eſt:

quod ſint *Termini finiti.* Etenim *Analoga* ejusmodi *Attributionis*,[nempe *Extrinſecæ*, quæ ſunt *æquivoca*] *ſtant pro ſignificatione ſuâ famoſiori*; Et ſic non ſignificant *indeterminatè*, ſed *determinatè*. Cæterum ad *Poriſma* hoc *Quintum*,

OBSERVA, I.

§. Membrorum convenientia ad totum, ſeu Diſtinctum, æſtimanda eſt ex ſtatu, quem totum pro tempore habet, non quem habuit, aut habere poteſt.

Toti, non rarò in tempore aliqua, *aut* accedunt, *aut* decedunt, quæ tamen ejus *ſtatui præſenti*, nullô modô, præjudicare poſſunt. Res enim valet, ſecundum illud, quod in manu habet, non ſecundum illud, quod amiſit, aut amittet, aut ſperare poteſt. *Ubi Totum actuale, ibi & Partes actuales.* Quare, cum ſcribit (hh) Bellarminus: *Poteſt aliquis fieri Iuſtus, tum intrinſecè, per adeptionem Iuſtitiæ,* [ipſi, formalis,] *tum, extrinſecè per declarationem &c*: fuit quidem *primum membrum*, ſeu *Iuſtificatio intrinſeca*, [quà *formalis*] Con-

(hh) Libr. 2, de Juſtificat: Cap: 3.

Conveniens in *ſuô ſtatu*, nempe *integritatis*; ſed ab illô tempore, omnes, *formaliter Iuſti*, facti ſunt, *per declarationem extrinſecam*, *in Chriſtô imputatam*, atque *Iuſtitia* illa *intrinſeca formalis*, cerebri humani excrementum, evaſit. Quô de alibi, & ex inſtitutô. Olim etiam locus fuit *Diſtinctioni Verbi Dei*, ſeu *Canonis*, in *Scriptum* vel *Traditum*: quæ nunc ceſſat, atque nihil valet. Etenim, *Traditionibus omnibus*, certè ad ſalutem neceſſariis, in literas relatis, ità ut vel *Scriptura ſola*, hoc eſt: *Verbum Scriptum*, poſſit σωφίσαι εἰς σωτηρίαν, διὰ πίστεως &c: 1. *Tim*: III, 15. *ſeq*; *Ioh*: *xx*, 31. ulterius *Verbô traditô*, nil eſſe opus, manifeſtum eſt. Similiter, fuit tempus, cum *Diſtinctionem Partium Orbis Terræ* in *Europam*, *Aſiam*, vel *Africam*, nemo improbaret, quam tamen omnes nunc conclamant, eſſe *incompletam*: Quippe, addendas, ad illas Veteres Orbis partes, quæ Conjunctim unam inſulam conſtituunt, alias *duas* nunc detectas *inſulas*, videlicet *Americam*, & *Terram* ἀνεξερευνημένην. Ità & *Climata Orbis Terræ*, Veteribus non erant plura, *ſeptem*, aut *novem*; quod ultrà ea, credula Antiquitas, Orbem non putaret eſſe habitabilem. At nunc aliter re detectâ, *Climata* diſtingvimus in

Qua-

Quatuor & *Viginti*. Aliter: Futurum eſt ut deficiat ſuô tempore *irrationale*, neque tamen propterea, irrationale, nunc non manet *animalis Diſtingvens*. Et cum *Calendarÿ forma*, ſit vel *Iuliana*, vel *Gregoriana*, cum ſint hujus etiam vitia, collecta, inter alios, à *Dn. Doling*: *in Antichriſt. τυμβογίς*: *Cap*:8.*p*.42.*ſeq*: eſt in mediô, nunc quidem utraque. At ſi lucem viderit ingenioſum *anticipationes* præcavendi artificium, ad quod *Virum Clariſſ*:, illud qui ſub ſinu premit, nomine non modò *Patriæ Communis*, ſed & *univerſæ Reipublicæ literariæ*, hortor & obteſtor, *Gregorianæ correctionis*, minor gloria futura eſt.

OBSERVA 2.

§. Membrorum Convenientia ad totum, æſtimanda eſt ex Sphærâ, toti competente.

Sphæra Competens, obſervatur, cum *Sacra* ex *Sacris*, & *Profana*, ex *Profanis*, menſurantur. Quamquam enim *Scriptura* & *Natura*, [quæ ſunt *fulcra univerſi ſcibilis*] utraque id agunt, ut animum ad priſtinam ſuam formam expoliant; eſt tamen in *principiis*, *modôque cognoſcendi*, utriuſque, ea

ea diverſitas, ut miſceri invicem non poſſint ſine magnô perturbationis metu. Ut cum *Diſtincta*, obſervemus eſſe vel *Theologica*, vel *Philoſophica*, quędam verò etiam *Communia*, ſolerter providendum ſit, nè [quod dicitur] ſaltus fiat, & ubi res ipſa, ſeptum medium & intergerinum poſuit, *Scriptura*, *Naturæ*; aut *hæc*, *illi*, ingeratur. Quod foret, [uti fertur in proverbiô,] falcem mittere in alienam ſegetem. Unô verbô: *Membra Diſtingventia*, *purè Theologica*, an Conveniant, vel non conveniant ad *Scripturam ſolam*, exploranda ſunt: *Purè Philoſophica*, ad *Naturam*, alibi aliam, ut ſe ſcibile in greges ſcindit.

Quare rem ſeq; confundit (oo) *Dn. Spanhemius*. cum ut obtineat, *Mundum hominum*, eſſe non ſolum *Reproborum tantùm*, vel *Reproborum & Electorum ſimul*, [quę nos ſola *membra ejus*, reperimus] ſed & *Electorum tantùm*, *recipit è ſcripturâ*, ſe, ad illam latebram, quod *non ſit magis abſurdum, intelligere mundum de hominibus multis in mundô*, [ipſi Electis,] *qui conſtituant ſi non majorem, tamen meliorem mundi partem &c: quàm Civitatem, pro multis civibus*, *& Hieroſolymam aut Judæam, pro multis earum incolis &c: per Synechdochen*, *aut Metonymiam.* Etenim debuit *Span-*

(oo) Exercitat: de Grat: p. 174.

Spanhemius meminiſſe, quod *mundus*, hîc ſit *terminus Sacer*, Cujus ratio, non ex *modô concipiendi noſtrô*, aut ex *profanis Compatatis &c*: ſed ex *luerâ Scripturæ*, judicanda ſit. Quæ ſicut *tropicam* illam *mundi acceptionem*, *quà impios*, agnoſcit; ità *quà electos*, neſcit. In *Naturæ Circulô*, fortean momenti aliquid fuiſſet iſti *electorum*, ſeu *bonorum mundo*, ſic ut τελχετέμως dici poſſet: *Mundus* eſt vel *bonorum*, vel *malorum*, vel *bonorum* & *malorum ſimul*. At in *Theologiâ*, *prius membrum*, prorſus nullum & incongruum eſt, quod non liceat illic ſapere, ὑπὲρ ὃ γέγραπται. 1. *Cor.* IV, 6.

Similiter, in *Forô Extra-Theologicô*, bona eſt *Distinctio Reprobationis*, [ex *Lombardô*] in *Negativam*, cujus cauſa eſt in ſolô reprobante, vel *Poſitivam*, cujus cauſa eſt in ipſô reprobatô. *Illa* enim in Tyrannis &c: frequens. At cum ex *Pontificiis* aliqui, & *Calviniani* tranſmovent *hanc diſtinctionem*, ad *alienam ſphæram*, nempe *Theologicam*, & ibi eam uſurpant, de *Statu Gratiæ* & *Gloriæ*, quaſi (a) *Reprobatio negativa*, eſſet *Dei*, *ut* αὐτοκράτορος, *qui in quorundam præteri-*

(a) Juxta Spanhem. Diſputat. de Prædeſtinat. theſ. 30. Confer. Walæ: Reſp. ad cenſur. Corvin. Cap. 26. p. 563. Wendelin. Inſtit. l. 1, c. IV. th. VI. p. m. 187.

teritione aut deſertione, denegandô gratiam indebitam, de ſuô faceret quod vellet &c: Reprobatio autem *poſitiva*, eſſet *Dei ut judicis, in deſtinatione aliorum ad pœnam debitam &c: prius membrum*, non eſt commodum. Etenim talis *Negativa Reprobatio*, ſpongia eſt *juſtitiæ* & *æquitatis Dei*; ut qui, ſi præterit ſe non prætereuntem ante, [quomodò non præterit, qui reprobatur *citrà peccatum ſuum*, ſive *negativè*,] eſt injuſtus. *Adverſarij* (b) quidem, conantur hæc incruſtare *Simili* aliquô: Quaſi Deus hîc æquè maneret juſtus, ac *Princeps, qui ex pluribus ejusdem reis & convictis rebellionis, aliquos plecti jubeat, aliis impunitate conceſſâ*. Verùm *Simile illud*, prorſus eſt diſſimile. Etenim *Princeps*, talem ſibi ſumens poteſtatem, hoc eſt: ſine ſatisfactione parcens improbo, neque eſt *juſtus*, *Proverb*. xv. 11. 15. *Eſa*.v, 20. neque, cum Deô *reprobante negativè*, ullâ parte, quidquam obtinet commune. Deus enim, [quæ eſt *Adverſariorum* gloſſa,] *reprobat negativè, ſine intuitu peccati.* ſicut juxtà (c) Molinęum: *Peccatum non eſt cauſa voluntatis, propter quam Deus ponit diſcri-*

(b) Becan. Theol. Scholaſt. part. 1. c. 16. q. 14. n. 13. 14. Molin. in judic. Synod. Dordrac. prælect. ſeſs. 143. p. 29, Wendelin. Inſtit. l. 1. Cap. IV. th. VI. p. 187. (c) loc. prox. citat.

diſcrimen, *inter Electos & Reprobos*. Et ſecundum Alios: *Peccatum non requiritur ad cauſam decreti ſive præteritionis, & reprobationis negativæ*; *ſed ad cauſam tantùm exſecutionis decreti, ſive damnationis & reprobationis poſitivæ*. Ratio (d) *Wendelini*, eſt, *quod quâ peccatum omnes ſint pares*. Quæ ergò, concordantia, inter *Principem reprobantem poſitivè*, [nempe propter culpam,] & *Deum reprobantem negativè*, [nempe citrà culpam?] Non urgebo: Quod ſint ex ipſis *Adverſariis*, qui negent, παρέλευσιν *illam*, ſive *reprobationem negativam*, eſſe (e) *pœnam*, aut (f) *Cauſam* Conſequentium &c: At jam *Princeps plectens ob rebellionem*, anne *punit*, & fit *Cauſa* &c:? Quanquam alibi, illam *Hypotheſin Adverſariorum*, non eſſe veram, aut Conſtare ſibi, demonſtremus. *Poſtea*: Quanquam non inviti largiamur, Deum, poſt homines lapſos, *abſolutè*, potuiſſe *reprobare* ex iis, quotquot voluiſſet: Tamen quià ipſe hoc jus ſibi quaſi circumſcripſit, *dùm paſſus eſt ſibi pro lapſu & apoſtaſiâ hominum*, *in Chriſtô ſatisfieri*; illâ quidem ſatisfactione acceptâ, ſalvâ ſuâ *juſtitiâ*, non poteſt ità ludere cum mortalium Capitibus, hoc eſt: ali-

(d) Loc. prox: citat (e) Flocken. Oper. Theol. Tom: I. Diſp: 24 §p. 675. (f) Franc. jun. de Natur. & Grat. axiom. 49.

aliquem *præterire ſine peccatô* &c: Cum *æqualis ſatisfactio*, *æqualem beneficentiam, depoſcat*. Adeò, videndum quid Deus *voluit*, non quid *potuit*. Et deinde; videndum quid potuit *abſolutè*, & quid *limitatè*, nempe in reſpectu *ad Chriſti interventionem*. Ut ità concidant, quæ ſcribit (g) *Spanhem*: Nempe, *Efficacis Gratiæ æqualem diſpenſationem*, *à parte Dei tanquam αὐτοκράτορος*, *eſſe indebitam; & peccandi neceſſitatem, quæ cum præteritione & negatione Gratiæ eſt conjuncta, non pugnare cum hominis libertate; aut non Deum reum, & hominis pœnam, injuſtam reddere*; atque adeò, *Diſtinctionem actus reprobandi in negativum, vel poſitivum, in ſcripturâ, fundamentum habere*. Contrarium enim, ex illis paucis, quæ adſtruximus, abunde poteſt elici. Neque, quomodò *ille idem* (h) præſumit: *inequalitatis hominum Cauſa, eſt diverſa Gratiæ conceſſæ, vel negatæ diſpenſatio*, quæ cum univerſali *Dei φιλανθρωπίᾳ* & *ἀπολυτρώσει Chriſti*, non poteſt conſiſtere; ſed *diverſimodè ferociens Natura*, atque *Efficacis Gratiæ oblatæ, diverſa ſeu repulſio, ſeu non-repulſio*. Quæ *non-repulſio*, [ut *Wendelino*, etiam reſpondeamus,] eſt *æqualis* qui-

(g) Diſputat. De Prædeſtin. Theſ. 32. 35. 29. 30. 31. (h) Diſput. poſter. de Prædeſt. th. 31.

quidem in omnibus, ſecundum *malitiam originalem* & *connatam*; ſed non ità ſecundùm *malitiam actualem* atque *affectatam*. *Hæc*, non *illa*, facit differentiam, ob quam præviſam, fit *Electio*, vel *Reprobatio*: Ut tamen nulla *Cauſalitas diſcretionis*, ſive ad *Gratiam*, ſive ad *Gloriam*, cum *Pelagianis*, aut *Semi-Pelagianis*, viribus hominis, aut Naturæ, tranſcribatur. Id quod (i) *alibi*, fuſius oſtendimus.

OBSERVA, 3.

§. Ad dignoſcendam membrorum convenientiam ad totum, opus eſt inveſtigatione fundamenti, ſecundum quod, totum illud, eſt Diſtinctum.

Fundamentum totius, inveſtigatur, quoties *anomalia ejus*, ſeu *omnimoda*, ſeu *ex hypotheſi*, elicitur. Interdum enim, *diſtinctum*, prorſus eſt *anomalum*, & ſuppoſitionis falſæ: Interdum, de ſe quidem illud bonum eſt; ſed tamen non in eô, quô ſupponit, *ordine*. Ut cum *nominalia* pro *realibus*, &c: proſtituuntur. *Utrobique totum*, in *fundamentô ſuô*, accuratè eſt præcognoſcen-

(i) Ad Axiom. 7. prope fin. & Tmem. poſter. Cap. 2. Poriſm, 7.

noſcendum, quò ad illud rectè conſtitutum, *membra*, tantò felicius examinari & num eidem ſe conforment, vel non conforment, obſervari poſſint. *Anomaliæ Omnimodæ* exemplum, conferet *Diſtinctio* illa *Georgraphica*, pervulgata, *Incolarum Terræ*, [ratione *Umbræ*] in *Heteroſcios*, *Amphiſcios*, vel *Periſcios*. Videtur *totum*, fundari, in *umbrâ diurnâ quâvis*, atque *verſus quamcunque mundi plagam*: Aliàs enim, nulli ipſis eſſe potuerunt *Periſcij*, quippe quorum *umbra*, gyrat ſe per *omnes mundi cardines*, ut eſt in *conceſsô*. Verùm, illud *fundamentum*, *falſum* eſt. Nam ex illô quidem *umbræ* reſpectu, nec *Amphiſcios*, nec *Heteroſcios* habebimus; ſed erunt omnes, Quà *umbras* conſiderati, aut *Triſcii* ſeu *Triumbres*, [habentes nempe *umbram diurnam*, verſus *occaſum*, *ſeptentrionem* atque *ortum*,] vel *Tetraſcii* ſeu *Quadrumbres*, [verſus, unà & *meridiem*; velut qui diem habent horarum 24.] Itaque, nè hæc ità perturbentur, deprehenditur, poſt paulò diligentius ſcrutinium, *fundamentum regulare hujus diſtincti*, eſſe, [non *umbra* ſed] *umbra hæc*, nempe *meridiana*, ſeu quæ ſpargitur, cum ſol ad *meridianum* venit. *Umbra* verò, tum quidem eſſe alia non poteſt, quam vel *boream*, vel *auſtrum* ver-

verſus; poſtquam illum unum ſitum, habet *meridianus*. Atque eô exſculptô *fundamentô*: Erunt *Habitatores Terræ*, ſeu *zonarum*, nonniſi, vel *Heteroſcij*, qui *umbram* habent *in meridie*, vel verſus *boream* vel verſus *auſtrum*, [ut in *zonis Frigidis*, cum ſol ipſis occidit; & *Temperatis*, niſi cum ſint *Aſcij* &c:] vel *Amphiſcij*, quorum umbra meridiana vergit, & quà *boream*, & quà *auſtrum*: Idque *eôdem* vel *die*, [ut in *zonis frigidis*, juxtà polum, quandò ſol non occidit,] vel *annô*; [ut in *torridâ*.] Habent verò *Amphiſcij*, etiam hoc commune, cum aliquibus *Heteroſciis*, [iis nempe, qui interiora *Zonarum Temperatarum* colunt;] ut *meridiana umbra*, illis proijciatur, vel *rectê* & *perpendiculariter*, cum nimirum ſol, *illis*, in *æquinoctialibus*; *his* in *ſolſtitialibus punctis*, fit verticalis, [quanquam alij tum àppellant eos *aſcios*, ſeu *anumbres*,] vel *obliquè*, cum ſol, ab illis punctis, verſus latera declinat. In hac ergò recognitione, patet, *membrum Periſciorum*, non convenire *toti ſuo*. Eſt enim impoſſibile, ut *Circumumbres*, habeant *umbram*, tantum ad *meridiani* ſitum. Atque ità cadit *Diſtinctionis tripus*, unô ei pede ſubductô. Non eſt melioris commatis, *Diſtinctio Ortus & Occaſus Poetici*, in *Coſmi-*

micum, *Acronychum*, vel *Heliacum*. Nam & illic, *fundamentum falſum* eſt; ut quod *Ortum* & *Occaſum* diſtringat, tum ad *horizontem*, tum ad *ſolem*. Cum tamen, ſi illa *ſyderum relatio ad ſolem*, [quâ nempe eadem, ſe illius radiis involuunt aut evolvunt] faceret ſtatim *Ortum* & *Occaſum*; habituri eſſemus *Ortus* & *Occaſus* infinitos: nempe non ſolùm, illum *Heliacum*; ſed & *Lunarem*, *Venereum*, *Iovialem* &c: Dicam breviter: Quoties in univerſum, aut *planetæ* à ſe invicem, & *novis ſtellis*; aut *ſtellæ fixæ* & *novæ*, à *planetis*, emergunt aut teguntur. Quare enim *ſydus*, quod tegitur aut ſe expedit à *Sole*, magis dicetur *occidere* & *oriri*; quàm quod tegitur, aut ſe expedit ab *aliis ſtellis*? Illa ſyderis à ſydere occultatio & digreſſio, perpetuò *Ptolomæo* dicta, φάσις & κρύψις, primoque (b) *Servio*, Ortus & Occaſus Heliacus, facit *Aſpectum*, ſed non *Ortum* & *Occubitum*. Adeò, nihil aliud quàm *Horizon*, veri *Ortus* & *Occaſus*, *fundamentum* eſt. [id quod *Aſtronomi*, vel inviti agnoſcunt, quoties negant, in *ſphærâ parallelâ*, dari *Ortum* & *Occaſum*: nimirum quod in eâ, ſtellæ non tranſcendant *horizontem* &c:] Cui *fundamento*, cum non convenit *Heliacus*, procul

E eum

(b) In Commentar. ad 1. Georgic.

eum ab *Ortu* & *Occaſu*, eſſe judicamus. Quod ſupereſt, non diffitemur, *Ortum* & *Occaſum*, *accidentaliter*, [cum *eſſentialiter* non ſit niſi *unus*, nempe *horizontalis*,] diſtingui poſſe, in *tantùm horizontale*, [qui *à potiori*, dicitur *Poeticus*,] vel [unà] *Æquinoctialem*, ſive *Aſtronomicum*; qui ſolet dici *Aſcenſio* & *Deſcenſio*, & refertur ſimul ad *Æquatorem*. *Anomaliæ Hypotheticæ* exempla, dant *Diſtinctiones*, [1] *Meriti*, in *de Rigore Iuſtitiæ*, *de Condignô*, vel *de Congruô*. *Tannerus* (c) vocat *meritum de rigore Iuſtitiæ*, cujus vis & dignitas non fundetur in gratiâ creditoris promerenti factâ: *Meritum de Condignô*, cui præmium debeatur ex Iuſtitiâ, interveniente pactô & promiſſione, eſto fortaſſe ipſius operis dignitas & valor nitatur *gratiâ* creditoris &c: Nota: Solent & *Pontificii*, *Meritum ex Condignô*, ampliare, ad ipſum *meritum ex rigore Iuſtitiæ*: Quomodò (d) BELLARMIN: *Non deſunt*, inquit, *qui cenſeant*, *opera bona juſtorum*, *eſſe* meritoria *vitæ æternæ*, ex condignô, *ratione Operis*, *etiamſi nulla exſtaret Divina conventio*. Redeo ad *Tannerum*: *Meritum ex congruô* porrò facit, cui etſi nulla merces debeatur ex Iuſtitiâ, congruum

(c) Tom: II. Diſp. VI. quæſt: 6. Dub. 1, 2. ſeq. (d) De Iuſtificat. l. 5. cap. 17.

um tamen ſit ut aliquid, premij locô, refundatur &c: *Hæc Diſtinctio*, bona eſſe poteſt, ſi termini ejus rectè explicentur. Nempe ſi dicatur; *Meritum de rigore Iuſtitiæ* eſſe, quod ex intrinſecâ ſuâ dignitate proportionem habet ad mercedem, ita ut nulla accedat promiſſio: V. c. Si quis non rogatus, aliquem è morte liberarit, dignus eſt *mercede* ſuâ, utut nulla anteceſſit *conventio* &c: Et Dicunt alii, mortis Chriſti pretium adeò fuiſſe excellens, ut etiam *ſine ſtipulatione Dei*, eſſe potuiſſet *meritum*: *Meritum ex condignô*, quod ex intrinſecâ, ſuâ dignitate, habet proportionem ad mercedem, accedente etiam promiſſione; Velut cum operarius mercede conductus, opus facit præmiô æquivalens: *Meritum ex congruô*, quod non habet proportionen ad mercedem, ſed vel *ex parte*, vel *ex totô*, eſt *gratuitum*. Ut ſi quis pro officiô ut 5, reddat præmium ut 8, atque idem vocet *meritum* &c: Ità & *Fides*, ſolet dici *mereri Iuſtificationem*; hoc eſt; ut medium, ex *gratiâ purâ*, impetrare. Et ipſa *Romana Eccleſia* canit: *Felicem Adami culpam, quæ talem* meruit *habere Redemptorem* &c: Nempe, hôc modô, poteſt hæc *Diſtinctio* eſſe *nominalis*, atque eos intrà limites, *conveniens*. Nam non raró, tam apud *Sacros*, quàm

Profanos authores, merita ejusmodi *ex congruô*, [gratuita,] ſolent apellari *merita*; & *mereri*, idem eſt quod *impetrare* &c: Conferatur, *Rom*: IV, 4. 5. & *Matth.* V, 46. cum *Luc*: VI. 32. Nempe, quomodò dicitur *emptio ſine pretiô*, *Eſa*: LV, I. ita hîc *meritum* ſine *Iuſtitiâ comproportionatâ*, ſeu ex *gratiâ*; hoc eſt: *æquivocé*. At cum *Tannerus*, & alii *Papicolæ*, [Docentes opera noſtra, *verè* poſſe *mereri* apud Deum, ſivè *ex condignô*, ſivè *ex congruô*] ſupponunt hanc *Diſtinctionem* pro *Reali*; membra ejus ultima, *toti* ſuo non conveniunt. Etenim, quià *merita ex Condignô* & *Congruô*, [Juxtà *illos*,] niti poſſunt *gratiâ*, & *non Iuſtitiâ*; *meriti verè dicti* ſeu *realis*, ratio in iis nulla; eſſe poteſt. quando *gratia* & *meritum*, [propriè ſumptum, ſive ex Iuſtitiâ proportionatâ,] opponuntur. Rectè (d) *Marcus Anthon. de Domin: Vera*, inquit, *& propria ratio meriti, non eſt niſi ubi eſt proportio inter opus & mercedem, cum interventu juſtitiæ, ſeu diſtributivæ, ſeu communitativæ: Quod ſi intercedat gratia, jam ceſſat ratio & meriti & mercedis*. Confer, *Rom*: IV, 4. & XI, 6. *Gal*. III, 18, 21. Et Quanquam *Pontificij*, etiam illi, ſolent appellare *meritum ſuum ex Iu-*

(d) De Republ. l. VII. C. XI. n. 56. p 2. 277.

juſtitiâ; [quippe definientes (e) *Meritum*, *per actionem illeram cui merces debeatur ex juſtitiâ*; Cum & *Tannerus* (f) alibi, *ſolum propriè dictum meritum*, deſcribat per *opus, quod ſecundum modum aliquem æqualitatis & juſtitiæ, ſive commutativæ ſive diſtributivæ, compenſari debeat* &c:] tamen obſervandum eſt eos ludere, & cothurnum facere ex voce *juſtitiæ*. ut quæ *illis*, non ſumatur *ſenſu noſtrô*, quæ ſit *exactè proportionata ad mercedem*, & *oppoſita gratiæ*; ſed quæ ſit *exilior* atque *relaxata*, quaſi Deus, propter ſatisfactionem Chriſti, nobis nunc præſcripſit, *tolerabiliorem* quandam *normam juſtitiæ*, juxta quam, opera noſtra vel let expendere, ut ea, quanquam in ſe *improportionata*, tamen haberentur pro *proportionatis* &c: Quô quidem *pſeudocanone* conſtitutô, alacres concludunt, opera in hac vitâ poſſe dari *perfecta*: attractis poſteà in eoſdem errores, *Socinianis*, *Arminianis*, &c: Verùm, quemadmodum talis *juſtitia remiſſa*, in ſe nil niſi *Gratia* eſt, [Quâ cauſâ, fortean, *Tannerus* non auſus fuit *Gratiam* à *meritô de condignô* ſive *ex juſtitiâ*, ſuprà excludere; quanquam ἀπαιδεύτως quæ ſunt *Gratiæ*, vocet *ex*, *juſtitiâ* &c:] Ità nullô apice *Scripturæ*, unquam probabitur;

 eſſe

(e) alleg. Coſter. in Enchir. p. 271. (f) l. llæ Theol. Diſp. V. c. 2. n. 29.

eſſe *juſtitiæ Dei normam* niſi *unam*, hoc eſt ;aliam, quàm *exactam*. Prout & *juſtitia Dei*, nè quidem pro filiò ipſius unigenitò, quicquam potuit remittere, *Matth*: III, 15 *Luc*: XXIV, 26, 46. Ità conſtat *Opera Gratiæ*, non eſſe *merita*, niſi *nominetenus*. Eſt hic quidem *obligatio*, quatenus Deus liberè ſe obſtrinxit ad recompenſandum *opera fidelium*, benedictione *vitæ hujus*, & *futuræ*, [nempe non ad *gloriam* eſſentialiter ; cum ei paria opera, ex voluntate humanâ, poſt primum vulnus ſemper ſemiſauciâ, non poſſint elici ; ſed ad *gloriæ differentiam*, accidentaliter,] tamen illa *obligatio*, non eſt ex *dignitate operis* & *operantis* [quæ facit verum & proprium meritum] ſed ex *fidelitate promittentis* : quatenus Vir Bonus, *obligatus eſt* fidem ſervare in *omni promiſſô*, & ſic eô, etiam *gratuitô*. juxtà quod dicitur: *Omne promiſſum cadit in debitum.* Nos certè *cum fecerimus omnia, quæ nobis præcepta ſunt, fecimus quod debuimus*. *Luc*: XVII, 10. Et ſic nihil poſſumus *mereri*. Eſt enim homo, conditus initiò rationalis atque aptus ad parendum, & ſic creatori ſuo debet conformitatem & obſequium, abſque omni [ex opere] *obligatione*. Unde eſt quod legimus, primo homini dictam pœnam, ſi tranſgrederetur Legem, Gen: II,

11,17. Sed non legimus promiſſam *mercedem*, ſi perſiſteret in concreatâ integritate. [2] Ex Philoſophicis: *Principij Phyſici*, in *Transmutativum*, vel *Conſtitutivum*, *Illud*, vocant *Privationem*: *Hoc*, *Formam* & *Materiam*. *Totum* hîc eſſe poteſt, *diſtinctum nominale*; [quatenus *corpora naturalia*, à *non eſſe poſſibili*, ad τὸ *eſſe actuale*, tranſeunt, tanquam à *terminô*: ſolet verò *terminus à quô*, *in Metaphyſicis*, *nominaliter dici principium* &c:] ſed *Phyſici* ità diſtinguentes, illud ſupponunt pro *diſtinctô reali*, ut qui *privationem*, pro *verô principiô* habent. Eô in ſenſu, *membrum* ei *alterum*, non convenit. Nam quomodò *non-ens*, [*privatio*] erit *entis realis verè dictum principium*? Cùm ad *hoc tale* requiratur, *realis* & *prioritas*, & *conſecutio*. A quibus *privatio*, tam longè abeſt, ut nè illa ſit quidem, [puta, ut aliquid *entitativè reale*,] tantô minus, illô modô, aut ſit *prior*, aut *emanationem aliquam ad aliud*, more *principij*, verè exſpirare poſſit. Conſors ei eſt *Diſtinctio Actus*, [*membri Diſjunctæ Affectionis Entis*] apud *Metaphyſicos*, in *Primum* vel *Secundum*. Quam & illam pro *Reali*, ſolent venditare. At cum *Actus*, quatenus *Affectio*, nihil debet ſuperaddere *Enti ſuo*, præter nudam *actionis* σχέσιν; ipſiquè

actum illum *primum* exponunt, vel de *formâ operativâ*, [ſeu *Subſtantiali*, ſeu *Accidentali*;] vel de *formæ potentiâ ad actionem*, [ipſis tum quidem *actum ſecundum*]; rariſſimè autem, *cum inſinuatione actionis*: [velut, cum λόγον *actu primô*; *carnem* autem, *actu ſecundô*, *dicunt vivificare* &c:] *Diſtinctio* illa pro aliâ, quàm *nominis*, [ſaltim quà omittit *actionem*,] non poteſt agnoſci. Etenim *forma*, aut *potentia ad actionem*, non poteſt eſſe *ipſa actio*, niſi *Tropicè*, & juxtà *nomen* tantùm.

6. Membra diſtinguentia, debent convenire toti ſuo adæquatè.

Hærent omnia ex prioribus, tanquam annuli ex ſe invicem, in catenâ. Quià enim cognitum fuit, *membra illa*, ſe habere tanquam *partes*, facilè intelligitur, quàm non eadem, neque *plura*, neque *pauciora* eſſe poſſint, quàm quæ ad totum *adæquatè* ſat ſint. In omni re offendit *nimium*, & *parum*. ſed & *Vetus Regula* præcipit: *Diſtinctum & Diſtinctionem, inter ſe reciprocari* debere. Quod ſine eorum *præciſâ* ad ſe invicem *adæquatione*, non poteſt fieri. Cæterum ex *Canone* illô noſtrô *generali*, *duæ*

re-

Regulæ Speciales ſe diffundunt, quaſi duo ſurculi, ex unô ramô. Quarum

Prima Regula Specialis eſt:

§. Membra diſtinguentia, non debent excedere totum ſuum.

Hoc eſt: effundere ſe extrà pomœria ſui *diſtincti*, ſic ut cum eô, *adæquatè*, non poſſint retrocedere. Id quod tum fit, cum *membra diſtingventia*, ita ſunt in *totô ſuô*, ut aut *aliquod eorum*, ſeorſim, *totius ſui* latididudinem, exhauriat: aut ea *junctim ſumpta*, altius aliquod principium emanandi habeant. Sicut cum *totum*, non diſtinguitur in *membra* ſua *próxima*, ſeu *immediata* &c: *Caſus utriuſque* exempla dabimus.

Primi quidem, per *Diſtinctionem Entis*, in *Actum* vel *Potentiam*. [Quomodò enim etiam *Affectiones Diſjunctæ* colliguntur ſub *Diſtinctionibus*, habes infrà *Cap*: III. *Theſ*: IV.] *Membrum Actus*, ità eſt ſuperfluum, ut *ſola Potentia* ſufficiat ad diſtinguendum *Ens*: cum nihilominus, etiam *Actus*, hoc eſt; aliô reſpectu, ſit *Ens*. Etenim, quià *Potentia* definitur; *quæ aut recipiat, aut lagiatur actum*: ſeu, *quæ ſit vis agendi aut patiendi*,

conſtat *Omne Ens*, indubitatò, *Vi* vel *hac*, vel *illâ*, prædìtum eſſe. Etenim, ſi nullum alud *ens* ageret, certè aget *Infinitum*, *conſervandô ordinem à ſe poſitum* &c: atque ſic *potentiam agendi*, etiam habiturum eſt. Illi verò *Potentiæ* & *Actioni*, neceſſariò reſpondebit, *creaturarum* aliqua *Potentia Paſſiva*, & *Paſſio*; quâ *potentiæ creatoris ſui*, ſubdi poſſint. Quomodò *ens*, ſat habet diſtingui, in vel *potens ad agendū* vel *potens ad patiendum*; ſine *Actus* ope. Ut idem ſit, cum dico: *Ens eſt vel Actus* vel *Potentia*, ac ſi dicerem; *Ens* eſt vel *Principium*, vel *Unum*. Æquè enim, *Potens*, ac *Unum*, cum *Ente*, *ſine ſociô*, retrocedit; modò *Potens* abſtrahas ab *Activô*, & *Paſſivô*. Aliàs, ut hoc etiam pro re natâ moneam, [quanquam διεξοδικῶς,] *Actus*, oppoſitus *Potentiæ*, ſibi non conſtat. Definitur, ab aliis: *Qui compleat aut perficiat potentiam*. Ab aliis: *Qui ſit modus, entitatem ſive Operationem deſignans*. Ità *actus*, eſt ſeu *ipſa eſſentia*, ſeu *actio eſſentiæ*. *Illô modô*, *Actus*, eſt *Ens*, & nequidquam *Entis Affectio*: [Qualis interdum eſt *Actus Primus*; ſemperque ille, qui à *Purô*, & *Impurô*, aliiſque de quibus diximus *Poriſm. præced*: abſtrahit:] *Hoc modô*, eſt quidem *Actus*, *membrum affectionis Entis*, ſed tamen non in oppoſitione

ad

ad *Potentiam.* Etenim, *illa duo*, ex *vulgatâ hypotheſi*, nunquam exhaurient *Entis ſui* latitudinem. Quippe *Potentia* ità *Actui oppoſita*, debet ab *Actu perfici* & *compleri*, [ità enim *Actus* ab illis ſuprà fuit definitus,] At *Potentia Activa*, certè præcurrit *Actui*; [ſaltim *eminenter*; prout *ſubſtantia nulla, eſt immediatum actionis ſuæ principium*;] ergò non poteſt *illa* perfici ab *Actu*, [qui nempe eâ eſt, non modò *poſterior*; ſed & ejus *quaſi effectum*,] & ſi poſſet, fieret *Paſſiva*. Unde, ex *definitione Actus*, quæ meminit *Potentiæ*, non poteſt elici alia, quæ *Actui* opponatur *Potentia*, quàm *Paſſiva*. Illa verò, cum *Actu ſuo*, immanè, quàm eſt ad has partes, tenuior. Neque enim *omne Ens*, eſt *talis actus* [Actio,] aut *Potentia* [Paſſiva.] Quid enim fiet etiamnum de *Potentiis Activis*? Imò: Quid de *Paſſionibus*, quæ non ſunt ipſæ *Potentiæ Paſſivæ*? Adeò, *Actus*, [ſalvis illis quidem hypotheſibus] neceſſariò ſibi *aliud* adſciſcet *membrum*, modó debet eſſe *Affectio*. Quod certè, in rerum naturâ, aliud quàm *Paſſionem*, non invenies. Etenim *Agens* & *Patiens*, [abſtracta ſunt *Actus*, & *Paſſio*] & ſe mutuò, præ aliis, reſpiciunt; & cum *ente ſuô*, juſtè convertuntur. Quid enim? an *Actio* & *Potentia*,

aut *aliud quodcunque*, ità ſe reſpiciunt ut *Actio* & *Paſſio*? Vel an aliquid eſt quoquô modô, quod non *agat*, ſive *patiatur*? ſaltem ſi reſpicis *influxum conſervationis Primæ Cauſæ* &c:? *Dices*: *Paſſio* tamen differt *realiter* ab *Ente* ſuô; cum *Affectionis Entis* membrum, differet ab *ente*, non-niſi *formaliter*. Reſpondeo: *Paſſionem*, abſtractè conſideratam, æquè nunc quidem, habere *formalem* ab eſſentiâ *differentiam*, ac habuit dudum, [ex communi *hypotheſi*,] *Potentia*, etiam à *Paſſivâ*, abſtrahens. Ut quæ ſemper fuit *Affectio* &c: Et in *Deo*, ubi nulla *Paſſio realis*, ſæpe *actiones elicitæ*, tranſeunt ad *prædicationes paſſivas*. Quomodò non ſolùm, intrà *eſſentiam Dei*, aliquid *generare*, & *ſpirare* &c: dicimus; ſed &, [in *paſſivô*] *generari* & *ſpirari*. Quod quid vetat, quomodò ſonat, concipere, hoc eſt; *paſſivè*? Dico: *Concipere*, & quà *noſtram* ὑπόληψιν. Ut ſit *Paſſio* non *realis*, [quæ eſt *impotentia à parte rei*, atque ideò, non cadit in Deum;] ſed tantummodò *notionalis*, quæ eſt *impotentia à parte noſtri*; ideoque ad Deum applicata, & innoxia: Quatenus, nos cogimur illud, quod in ſe eſt *unum*, [ob *infinitam ſui ſimplicitatem*, ad quam *intellectus* noſter *finitus*, non habet proportionem,] pluribus diſtinctis actibus in-

indagare. Et quid multis? ſi Concipis in Deô, *actionem*, neceſſe eſt, ut etiam concipias *actionis receptionem*, ſive *Paſſionem*: Quià fruſtrà ſunt, qui arbitrantur, *illam*, ſine *hac*, eſſe poſſe: Quum ſi *Actio* & *Paſſio*, ità eſſent *ſeparabiles*, differrent *realiter*; [quod eſt contrà ipſorum principia.] Et *deinde*; exempla quæ obducunt, [nempe *actionum intelligendi*, *videndi* &c:] talia ſint, ut ipſa eos refutent. Nemo enim, *intelligit*, *videt* &c: ſine *ſpecierum competentium receptione*, nempe, vel *verè tali*, vel πρὸς ἡμᾶς. Ut ubi *actio immanens*, ibi & actionis *immanens receptio*, hoc eſt [ſanè abſtrahendô,] *Paſſio*. Atque ſic, non eſt *de formali Paſſionis quà Paſſionis*, ſive *tranſcendentalis*, ut differat ab *ente* ſeu *ſubjectô ſuô realiter*; ſed tantùm *Paſſionis hujus*, ſive *prædicamentalis*. Ut proinde velint *Metaphyſici*, officioſè cogitare, quàm ex hiſce fundamentis, eſſe poſſit, *primò*: *Potens*, Entis *Affectio Unita*. Et *Deinde*: *Actus* atque *Paſſio*, ſive [rectius] *Agens* & *Patiens*, Entis *Affectio Diſjuncta*. Contrà, quàm fuit hactenus decretum.

Casus Posterioris, exemplo eſſe poteſt, *Diſtinctio Potentiæ Paſſivæ*, in *Naturalem*, vel *Obedientialem*. Quanquam enim *Potentia* tum *Naturalis*, quam quid habet per naturam ſuam; tum *Obedientalis*, quam

quid habet præter naturam ſuam, ab aliô ſibi communicatam, [quæ una, recta eſt *terminorum iſtorum*, hôc in locô, explicatio, & ſententia,] eſſe poſſit *Paſſiva*; tamen eſt *Diſtinctio illa*, hac de cauſâ, adhuc in crimine, quod ejus *membra, toti ſuo non ſint preſsè adæquata*. Neque enim *converti* cum eô poſſunt, quia dividunt, etiam *Potentiam Activam*. Quare, eadem ſubjicienda veniunt, non *Paſſivæ*, ſed *Potentiæ in genere*, prout illa ab *Activâ* & *Paſſivâ* abſtrahit. Habemus enim *Potentias Naturales*, *Activas* & *Paſſivas*; ut cuivis, vel hîc hoſpiti, perſpectum. Habemus etiam *Obedientiales*: Etenim hôc modô, *Activè* ſe habent; *Caro Chriſti*, ad Idiomata Divina ἐνεργητικά; *Symbola ſacramentalia terrena*, ad Gratiam; *Verbum Dei*, ad Regenerationem; *Voluntas converſa*, ad τὸ συνήδεσθαι bono; *Aſina Bileami* ad loquelam &c: *Paſſivè* autem, *Caro*, ad unionem perichoriſticam cum λόγῳ; *ſol* ad ſtandum; *anima* ad recipiendum lumen Spiritus S., ad videndum Deum, ad fruendum beatitate perfectiſſimâ, &c: Plura *hujus argumenti*, ſæpe incidunt; Præcipuè *Poriſm. præced*: 3, *n*, 4. & *Cap. Seq*: 111. *Poriſm*, 4.

Se-

Secunda Regula Specialis, eſt:

§. Membra diſtinguentia, non debent ſtrictiora eſſe totô ſuô.

Abſque dubiô: Nam ſi *debitæ ad totum partes*, non conferuntur, fit vel *nullum totum*, vel *mutilum*. Quare, *Lege illâ* interrogati, reſpondebunt, qui *diſtinguunt* [1] *Voluntatem Dei*, in *Signi* vel *Beneplaciti*. *Voluntas Beneplaciti*, inquit (h) THOMAS, *eſt vera & propriè dicta voluntas; Voluntas autem Signi, eſt voluntas metaphoriiè, quatenus ſignum voluntatis, voluntas dicitur.* Confer, (i) *Lombard.* (k) *Suarez* (l) *Gregor. de Valenc.* & qui eandem expoſitionem ex *Calvinianis* retinent, (m) *Ferri: Spanhem:* (n) Et alios. *Maccovius*: (o) ad eam notat: *Quando*, inquit, *Voluntas Dei diſtingvitur, in voluntatem ſigni & beneplaciti, tum hæc eſt diſtinctio, non realis, ſed verbalis. Neque enim voluntas Signi, eſt propriè dicta voluntas; ſed eſt verbum Dei.* Maccovio ὁμόψηφος pro-

(h) par. 1. ſumm. Quæſt. 19. artic. 11. (i) l. 1. ſentent. Diſt. 45. (k) Super prim. Thom. l. 3. De attribut. Div. c. p. 2. 148. (l) tom. 1. diſp. 1, quæſt. 19. (m) In Specim. Schol. Orthod. p. 384. (n) De Grat. p. 2219. (o) Colleg. 1, Theol. de prædeſt. diſp. 2. p. 4.

propemodum eſt (p) *Trigland* : cum inquit: *Si ritè expendantur, inepti ſunt illi termini* [nempe voluntatis beneplaciti & ſigni,] *inepti appellandi modi. Melius diſtingverent, ſi accuratè loqui vellent, inter Beneplacitum, & inter ſignum Voluntatis Divinæ.* Hæc illi. At quanquam dari poſſit *Voluntatem Dei*, ita *melius diſtingvi*; hoc eſt; *minus malè*: tamen adhuc tantum abeſt, eos, qui ſic diſtingvunt, *loqui*, [quomodò ille ait] *accuratè*, ut nè quidem *Maccovio*, pro iis ad *Diſtinctionem Verbalem*, ſe interponenti, gratia aut locus, eſſe poſſit. Nam & *hæc*, debet *membris adæquatis* uti: quæ hîc adeò nulla ſunt, ut etiam eôdem jure, quô *Signum Voluntatis*, *Voluntas* dicitur, [non quidem *Metaphoricè*, ut cum *Thomâ*, *Rivetus*, *Spanhem.* &c: cæcutiunt; ſed *Metonymicè*,] poſſint etiam alia fieri ejus *membra diſtinguentia*; nempe *Effectum*, *Adjunctum*, *Subjectum* &c: Quorum planè Similis eſt *cognatio* ad *Voluntatem*. Ita *Voluntatem Dei* haberemus, non modò [ſicut uſu venit,] *Signi* vel *Beneplaciti*; ſed & *Effecti*, & id genus plurium. Ut hæc ſit non *Diſtinctio*, ſed *diverſitas* tantùm aliqua *inadæquata*, ſive *diſparatio*; ejus formæ, ac ſi dicerem: *ho-*

(p) De Volunt. Dei, p. 158.

homo, vel eſt *propriè homo*, vel eſt *cauſa hominis* &c: Dextras autem facilè conjungimus cum iis, qui cum (q) *Dn. Mareſiô*, accipiunt *Voluntatem Signi*, & *Beneplaciti* pro *Voluntate Revelatâ*, & *Occultâ*, fundatâ præciſè, in *Deuteron. xxix*, 29. atque ità, ut ad *Voluntatem Beneplaciti*, non referatur *Decretum reprobationis obſolutæ non revelatum* &c: quò videtur contendere (r) *Chamier*, per *Diſtinctionem Voluntatis Dei in* εὐδοκίαν, vel εὐαρεστίαν &c: Talis enim Dei *Voluntas Beneplaciti*, ſeu quandoque *Arcana*, in iis, quæ non pertinent ad πληροφορίαν Fidei, manifeſtiſſima eſt. Velut, quare Deus, *operę* non unô, ſed *ſextiduali*, hoc univerſum voluit condere: Quare, idem *igne*, & non aliâ re, in Conſummatione ſeculi, vult evertere: Quare ad uſum Sacramentorum, *Aquam*, *Panem*, & *Vinum*, & non alia, voluit adhiberi: Quare in *temporalibus*, unum magis ornat & auget, quàm alium &c: [2] *Statum hominis*, in *Confectionis*, ſeu *Naturæ inſtitutæ*; *Defectionis*, ſeu Naturæ deſtitutæ; vel *Refectionis* ſeu Naturæ reſtitutę. Deeſt enim *Status Rejectionis infidelium*; ſive *Ignominiæ*, in futura re-

(q) Syſtem: Theolog. Loc. 2. th. 48. p. 38.
(r) Panſtrat. Tom: 3. l. 7. c. 6. cit. Berg: Prax: Catholic. Diſſert. VI. n. CXCII. p. m. 884.

reſurrectione &c: Silentiô tranſmittam *Statum gloriæ fidelium*, quem illi forſan putant ſe ſub ſtatu naturæ reſtitutæ, poſſe comprehendere. [3] *Ens* in *Reale*, vel *Rationis*. [Diſtinctione *nominis*.] Poteſt enim *ens nominaliter acceptum*, adhuc paulò latius extendi, v. c. ad *Negationes* & *Privationes*; quatenus hæ, *eſſentiam* tollunt, & ſunt *Non-entia*. Neque enim illæ, ſunt *Entia Rationis*, poſtquam ad modum *entium poſitivorum realium*, non concipiuntur; &, multò minus *Entia* ſunt *realia*: Scilicet, *Realitate Eſſentiæ* ſive *Subſiſtentis*, ſive *Inhærentis*. Nam alioquin *realitas convenientiæ*, ipſis non poteſt denegari; Quatenus nempe verè *convenit* iiſdem, ut unum non ſit aliud, citra *mentis* operam aut fictionem. Quare conducibilius exiſtimo, propter acquirendam adęquationẽ, *Ens ſecundum nomen*, primò diſtinguere, in *Reale* vel *Non-Ens*: *Non-ens* iterum in *Poſitivum*, ſive *Ens Rationis*, vel *Negativum*: quod viciſſim ſit vel *Purum*, [ad quod pertineant *Negationes puræ*;] vel *ſecundum quid*; ut *Entia Potentialia*; ad quæ ſpectent, etiam *Privationes*. Nam & hæ *ordinem* habent ad *entitatem*, ſuô tempore, per virtutem vel *ſubordinatæ*, vel *ſupremæ cauſæ*. Simili egent collyriô, qui diſtinguunt *Relationem Secundum Nomen*, in

in *Tranſcendentalem*, vel *Prædicamentalem*, ſive *Accidentalem*. Neque enim ea talis *Diſtinctio*, omnes, *ſecundum nomen Relationes*, exhaurit. Nam & multæ *Relationes ſecundum Dici*, non ſunt *Tranſcendentales*: Et *Relationes Rationis*, non ſunt *Prædicamentales*, ſed nec *Tranſcendentales*. Poſſumus verò hanc lacunam complere, ſi dicamus: *Relationem nominaliter acceptam*, eſſe vel κτ̀ τὸ λέγεσθαι, ſeu *ſecundum dici*; vel κτ̀ τὸ εἶναι, ſeu *ſecundum eſſe*, [dictam aliunde, *Prædicamentalem*, ſive *Accidentalem*:] *Hanc*, quæ omnia relationis bonæ *Requiſita*, [infra adducenda,] ad amuſſim habet: *illam*, quæ quomodocunque deficit ab aliquó iſtorum *Requiſitorum*; atque eſt vel *Tranſcendentalis*, [*communitate* quidem, inter terminos tranſcendentales; *nobilitate* autem inter Relationes Trinitatis; quam Relationis ſpeciem, vocant *Myſticam* &c:] vel *Determinata*, inter *Entia* vel *Rationis*, [genus & ſpeciem, ſubjectum & prędicatum] &c: vel *Realia*, in ſe *abſoluta*; amare & rem amatam; ſcientiam & ſcibile; alam & àlatum &c: [4] *Cognitionem Corporis Naturalis*, in *Intellectualem*, vel *Senſualem*. Datur enim pręterea *Cognitio Naturalis*; ſecundum quam, ſciunt *pulli recens nati*, quos non prius viderant, mil-

vos fugere; *Araneæ*, tela ſua texere, ſine magiſtrô; *Gravia* deſcendere; *plantæ* alimenta ſibi convenientia attrahere &c: Imò verò, inquit (ſ) *Carteſianus*: *nec Sperlingius, nec coerteri, qui in hac Quæſtione, cum ipſô faciunt, clarè & diſtinctè perceperunt unquam, quid illa cognitio naturalis & ſenſitiva ſit, & in quô conſiſtat, ac ab intellectu diverſa ſit. Nam,* [*argumentatur,*] *Si plantis & lapidibus cognitio naturalis, & in brutis cognitio ſenſualis daretur, eſſet illa vel cum diſcurſu, vel ſine diſcurſu. Neutrum dici poteſt;* [*quia ſi diſcurſiva, hoc eſt; ex præcognitione unius notioris ad aliud minus notum, eſſet intellectualis; ſi ſine diſcurſu, eſſet intuitiva, ſoli Deo propria* &c:] Ergó: *talis cognitio non datur.* Reſpondeo: ſi *Major*, per *cognitionem cum diſcurſu* & *ſine diſcurſu*, intelligat *Diſcurſivam* & *Intuitivam*, nos negare ejus *connexionem*, tanquam quæ laborat *inſufficienti enumeratione partium.* Nam cognitio *Intuitiva* & *Diſcurſiva*, non diſtinguunt *Cognoſcens adæquatè*; ſed illud tantùm *Liberum* ſeu *Voluntarium.* Datur verò prætereà etiam cognoſcens *Naturale*, [nempe *Brutum*, & *Inanimatum*,] cujus *cognitio* etiam illa [non mi-

(ſ) Tatingh. Clav. Phil. nat. Cap. 8. p. 159.

minus, quàm *intuitiva,*] pars eſt *Cognitionis ſine diſcurſu.* Niſi ſi quis ità malit *Propoſitionem Majorem*, corrigere : *Si daretur cognitio aliqua in brutis & inanimatis*, *eſſet illa vel Intuitiva*, *vel Diſcurſiva*, *vel his Analoga.* Nam *Cognitio* quidem *Bruta*, ad *Diſcurſivam*, & *Naturalis* ad *Intuitivam*, accedit: Eâ ratione, quâ in *hac*, ſimplex impetus; in *illâ*, impetus, quaſi ex *tertiô* ſeu *mediô aliquô*, prorumpit. (5) *Ortum & Occaſum Pœticum*, in *Coſmicum* ſeu *Matutinum*, vel *Acronychum*, ſeu *Veſpertinum*. Proſcriptô enim *Heliacô*, ſecundùm actionem contrà eum inſtitutam, *Poriſm. Præced* 5. *Obſervat.* 3. necdum *Coſmicus*, & *Acronychus*, ſunt *ad totum ſuum, adæquati.* Ut qui complectuntur ſaltem eos ſyderum *Ortus* & *Occaſus*, qui fiunt, *ſole ſtringente horizontem.* Atqui & poſt, & ante, ſtellæ multæ, tranſeunt horizontem. Quarum *Ortus* & *Occaſus*, etiam ille *Ortus* & *Occaſus* eſt. Addimus ergò, ut *membra* fiant *adæquata*, prẹter illum *Coſmicum* & *Acronychum*, etiam *Ortum* & *Occaſum*, *Metacoſmicum*, qui poſt tempus matutinum; & *Metacronychum* qui poſt tempus veſpertinum, fiat. (6) *Aſpectum Planetarium*, in *Conjunctum*, *Sextilem*, *Quadratum*, *Trinum*, vel *Oppoſitum*. Accurati enim cæli & Syderum Menſores, multò plures, obſerva-

varunt; nempe, *Semiſextum*, ſeu *Duodecilem*, *Decilem*, *Octilem*, *Quintilem* &c. (7) *Syllogiſmum Truncatum*, ſeu *Enthymematicum*, in *Inductionem*, vel *Exemplum*. Dantur enim, *Diſcurſus* perquàm multi *Defectivi*, qui ad *neutrum*, poſſunt referri, velut *Enthymemata ſtrictè ſumpta*: Habet vulnus in corde, ergò brevi morietur &c: (8) *Acutum*, in illud quod ſtimulat *tactum*, vel quod ſtimulat *auditum*. Dicimus enim etiam *acutum ingenium*, *acutum viſum*, *morbum acutum*, & ſimilia.

7. Membra diſtingventia, debent diſſentire inter ſeſe.

Ariſtot. (t) itá: Τοῖς ἀντικειμένοις, χρὴ διαιρεῖν. Eſtque *ratio*: non dicam, quià *membra illa*, ſe habent ut *partes plures*; [ubi autem *plura* illic unum non eſſe aliud neceſſe eſt; *multitudo* namque *non eſt unitas*;] ſed quià vel maximè, ſinguli experimur, cum *membra diſtinctionum* applicamus eidem rei, fieri hinc *Veritatem*, illinc *Falſitatem*. Quæ autem ſe ut *vera* & *falſa* habent, *opponuntur*. Ità *diſſenſio* hîc non intelligitur *Phyſica* ſeu *Contrarietatis*; quomodò per qualitates antipatheticas, unum alteri repugnat, *aqua*

(t) 1. de part. an. c. 3.

aqua igni, *allium magneti* &c: ſed *Metaphyſica*, ſeu *Diverſitatis*; atque eadem adhuc, non *Formalis* ſeu *Conceptiva*, quam intellectus facit, objecto in re uno exiſtente, (*hæc* enim non eſt *oppoſita*, ſicut debet eſſe *Diſtinctio*; *Oppoſitio* enim γίνεσμα eſt *Diverſitatis Realis*, non *Formalis* &c:) ſed *Materialis*, ſive *Objectiva*; quam facit non Intellectus ſed Natura ipſa: idque in *omni Oppoſitione*, ſolam ſi excipis *Contradictoriam*. Quanquam enim, omnis bonæ diſtinctionis membra, *Contradictoriè* quidem opponi debent *radicaliter*, & quà *menſuram*, (niſi enim, in hanc ultimò reſolvi poſſunt, non ſunt *adæquata* &c:) tamen non ſic debent *formaliter*, & quà *præſentiam*. Ratio eſt: quià *Contradictio*, alterum membrorum, fundat in *non-ente*; quod non poteſt eſſe bonum *diſtinctionis membrum*, niſi in extremô & inevitabili neceſſitatis caſu; quomodò diſſero ad *Axiom*: 4. *præc*: In reliquis autem *Oppoſitionum* generibus, *Diſſenſus membrorum*, facilè incidere poteſt. Quomodò experientia comprobat opponi, *Relativè* quidem; membra Diſtinctionis, *Conjugis*, in maritum vel uxorem; *Scholaſtici*, in magiſtrum aut diſcipulum &c: *Privativè*: membra diſtinctionis, *Animalis*, in ægrum vel ſanum; cæcum vel videns &c: *Hominis*, in

in Pauperem vel Divitem ; Rudem vel Doctum, &c: *Contrariè* : *Corporis Naturalis*, in Mobile vel Quieſcens ; *Corporis Elementis*, in Calidum vel Frigidum ; Grave vel Leve ; Humidum vel Siccum &c: Adeò, fallitur & fallit, (t) *Scherzerus*, cùm exiſtimat, *membra diſtinctionum*, non poſſe, opponi aliter, quàm aut *Relativè Tranſcendentaliter*, (ſicut ſubſtantiam & accidens, Deum & creaturam, formam & materiam &c:] aut *Contradictoriè*. Diverſum enim modô fuit demonſtratum. Et quod ſcribit de illâ *Oppoſitione Relativâ Tranſcendentali*, [ſupponendô de illâ tali *propriâ* & *proximâ*,] *aut* eſt inſufficiens, *aut* falſum. Si in *Diſciplinis Tranſcendentalibus*, ſive *Univerſaliſſimis*, locus eſſe poſſet *Oppoſitioni ejusmodi Relativæ*, *inter membra*; quid etiamnum, fieret de *membris diſtinctionum*, *Inferiorum Diſciplinarum*: videlicet, *Phyſicarum*, *Mathematicarum*, *Ethicarum* &c: ? Nimirum : *Aut* hæc, non opponentur proximè, *relativè tranſcendentaliter* ; *aut* nullum erit Oppoſitionis genus, aliud quàm hoc ipſum. *Deinde*. Non mirabor, quid *Oppoſitio hæc*; [*terminus tranſcendentalis*,] faciet, inter *terminos purè prædicamentales*, quibus ſolis, *Diſciplinæ Inferiores* debent impleri ; ſed ſuô

(t) Aurifodin. Diſtinct. p. 18. §. 8. 9. 11.

ſuô locô (t) aſſeram, nè quidem in ipſis *Diſtinctionibus Tranſcendentalibus*, (paucisſimis exceptis) membra opponi (*proximè,*) *Relativè Tranſcendentaliter*, ſed *Contrarié*: quomodò etiam opponuntur exempla à *Scherzerô* adducta, nempe, *Deus* & *creatura*; *ſubſtantia* & *accidens* &c: ubi etiam, quare addo terminum *proximè*, explicabitur. Atque hunc in modum vindicatô *membrorum Diſſenſu*, nihil nunc quidem ſupereſſe video, niſi ut ad *Canonis Abuſum*, atque *Uſum*, rectà hinc pergamus. Quô quidem nomine, nobis compellandi ſunt, qui *diſtinguunt*, (1) *Senſum ſcripturæ*, in *Literalem* vel *Myſticum*: atque *hunc* iterum *ſubdiſtinguunt*, (ex *Pontificiis* quidem) in *Tropologicum*, qui mores inſtruat; *Allegoricum*, qui ſtatum eccleſiæ militantis tractet; vel *Anagogicum*, qui ad ſtatum eccleſiæ triumphantis, avocet. Vide *Tanner. tom.* 1. *p.* 126. Quanquam alij, *Senſu Myſticô* præterito; *immediatè* ſenſum ſcripturæ, *quadrimembrem* faciant. juxtà *verſum*:

Litera geſta docet: Quid credas, *Allegoria*:
Moralis, quid agas; Quò tendas, *Anagogia*.

(Ex *Noſtris* autem: *Senſum Myſticum*, qui ſubdiſtinguunt,) in *Allegoricum*, cum *res verè geſta* ad uſum ſpiritualem applicatur;

Typicum, cum ſub Propheticis factis aut viſionibus, res occultæ figurantur, aut cum perſona, perſonam adumbrat; vel *Parabolicum*, quando res ficta & quaſi geſta, ad ſpiritnale aliquod deſignandum adhibetur. *Hæc res multas tricas habet.* Ex quibus feliciter ut expedire nos poſſimus, prænotandum. *Primò*: *Literalem ſenſum*, hîc non ſumi *Grammaticè*, pro eô, quem immediatè voces atque literæ ſignant; (quô pactô, *Senſus Literalis*, idem eſt quod *proprius* & opponitur *Improprio*) Verùm *Logicè*, pro eo, *qui ſit à loquente intentus*; cognitus ex ſubjecti & prædicati &c. indagine. Qui *improprium* includit. Quis enim neſcit, ſenſa animi etiam *tropis* &c: reddi poſſe? *Secundò*: Non negari talem *Senſum Literalem*, *eſſe poſſe virtualiter fecundum.* Poſſe enim ex unâ, & ſimplici aliquâ ſcripturę propoſitione, multos uſus deduci per conſequentiam &c: quomodò *Rabbini* ajunt: *Nullum eſſe apicem Literarum, ex quô non montes doctrinarum pendeant.* Id quod ex *praxi concionatoriâ*, abundè liquet. Illi verò *ſenſus*, non ſunt *æquè primi*; ſed uni alicui *ſenſui principali & primò intento*, ſubordinati. Aliàs enim nulla *ſermonis prophetici lux* & *firmitas*, 2. *Petr.* 1, 19. eſſe poſſet. Nam quis de illô *ſenſu*, v. c. certus fuerit, qui
poſt

poſt omnem adhibitam *Logicam inveſtigationem* &c: nihilominus hinc inde trahi, & *æquè primò*, ſi non *oppoſita*, ſaltim *diverſa*, deſignare poſſit? Quod notandum contrà *Pontificios*, & nonnullos ex *Calvinianis*, ſtatuentes *Senſus Literales*, *multiplices*, *æquè primos*, in Scripturâ, dari poſſe. *Tertiò*: *Negari* illum *Literalem ſcripturæ Senſum*, *poſſe habere ſibi alium* aliquem *ſenſum*, *oppoſitum*, ſive *Myſticum*, ſive *Tropologicum &c*: Oporteret enim hunc eſſe non *intentum à Loquente Spiritu*, [ſicut oppoſitæ oppoſitorum fiunt Conſequentiæ;] quod repugnat. Cum aliunde etiam conſtet, *ſenſum illum*, ſermonis formam eſſe: Atqui *forma* in unâ & eâdem re, *oppoſita*, non poteſt eſſe. Ut digni reprehenſione ſint, cum *Pontificiis*, *illi*, qui *ſenſum Myſticum*, *Literali* opponunt, Cui eſt ſuppoſitus, quippe *intentus* &c: cum *Ipſi* etiam hoc, vel inviti atque imprudenter agnoſcunt, quoties affirmant, *Senſum Myſticum, fundari in Literali.* Quomodò enim, quæſo te, *fundabitur*, ſi non ei, fuerit *ſubordinatus*? Certè, *Oppoſita non fundantur in ſe invicem*. Quô, *in genere*, premiſſô apparatu, facilè nunc quidem *in ſpecie*, & rectius, reſpondetur ſingulis. Et *primò* quidem, *Pontificiis*, quod *membra ipſorum diſtinguentia*, *ab invicem non diſſen-*

 tiant.

tiant. Quid enim ? annè *Senſus Literalis*, non & ille, *mores* & *Eccleſiam* concernet, aut quid credes edocebit? anne *Senſus Allegoricus*, & *Anagogicus*, non & illi erunt *Tropologici*, aut *vice verſâ* ? Aliò pertinet, illa virgula, quod *hæc membra* non ſint adæquata toti ſuo. Ut quæ *Senſum ſcripturæ* variant ad *ſubjecta*; vel ad *ſubjecti* ejusdem, [nempe *hominis*,] varios *ſtatus*, aut *habitus* &c: Nunc verò, multò plura ſunt *Scripturæ objecta*, quàm homo; quorum certè reſpectu, eôdem jure, etiam varii poſſent concipi & concipiendi eſſent *ſenſus*. Nempe: *Theologicus*, de Deo Trinunô; *Chriſtologicus*, de Chriſto binunô; *Angelologicus*, de angelis; Adhæc, *peculiaris*, pro reliquis creaturis præter hominem & Angelum, ſeu irrationalibus. Poſteà, alii atque alii *ſenſus*, iterum introducendi eſſent, pro *ſingulorum* horum *Objectorum*, aliô atque aliô *ſtatu*: quorum numerus inexputabilis foret. Adhæc: neque licet augurari, cur cum ad *ſtatum hominis militantis* atque *triumphantis* eſſent efformandi *ſenſus*, non fuerunt ſui etiam conformati, pro *ſtatu hominis integri*. Et cur teſtimonia de *ſtatu hominis damnati*, non & illa novum facerent *ſenſum*. Nam ſcriptura certè, non tantum ſurrigit ad *cæli* contem-

templationem; *anagogicè*; ſed & *catagogicè* demittit ad *infernum*, ſeu *inferni* γνῶσιν. Atque hæc contra *Pontificios*. *Noſtros* admonemus, præter ante inculcata, *Primò*: quod *Senſus Allegoricus* & *Parabolicus*, minus rectè ſubijciantur *Myſtico*. Etenim *Senſus Myſticus*, eſt à ſolô Deô: *Allegoriæ* autem & *Parabolæ*, ſchemata ſunt ſermonis etiam humani, ſeu cujusvis. Quomodò in *Rhetoricâ*, [circà ſermonis quà ſermonis cultum occupatâ,] ſedem habent. Atque ità *membra illa*, in *præcedens Axioma* peccant, ſeu *excedunt totum ſuum*. *Secundò*: Quod ex inſtitutô hîc urgendum eſt,] *membra illa ſtylô uſuque fori ſui, non diſſentiunt*. In *Scripturâ* enim *Typus*, in genere, eſt *Exemplar*, *Phil.* III, 17. I.*Theſſ.* I,7. 2 *Theſſ.* III. 9. I.*Cor*: X, 6. *Ebr.* VIII. 5. Quomodò verò *Allegoriæ* & *Parabolæ*, non & illæ erunt *Exemplaria*? *Parabola* eſt *ſimilitudo*; *Matth.* XXIV, 32. *Marc.* III, 23. At etiam *ſimilitudinem* habet *Typus*, *Rom*: V,17. & *allegoria*, I *Cor.* IX, 9. Unde cum *Typô*; *Allegoria* quidem, *Gal*: IV, 24. *Parabola* autem *Ebr.* IX, 9. & XI, 19. permutatur. Sed &, extrà *uſum ſacrum*: *Allegoria*, troporum continuatio, continet ſub ſe, *Apologum*, *Ænigma*, *Parœmiam* &c: & ſic etiam, unà & *parabolam*. *Nos* itaque, nullam

Diſtinctionem ſenſus ſcripturæ, niſi *Literalis*, agnoſcimus; & quæ hîc pretii & momenti alicujus ſunt, ità poſſe colligi, exiſtimamus. Nimirum: *Senſus ſcripturæ*, ſive *Literalis*, *dupliciter* diſtingui poteſt. *Primò*: Ratione *formæ* ſive *termini ſignificantis*, in *Proprium* vel *Improprium*, ſive *Figuratum*. Dicitur de his *Tmem, poſter. cap.* I. Ad *improprium* autem reduci debent, non ut *membra* aliqua *ſubdividentia*; ſed ut elegantiæ & picturæ, ſermonis ſacri: *Tropi*, *Allegoriæ*, *Parabolæ* &c: Quanquam *hæc diſtinctio*, rectius *ſubdiſtinctio* ſit. Non enim *Proprium* vel *Improprium*, adæquatè diſtinguunt, *ſenſum ſermonis ſacri*, ſed *communis*. *Secundò*: Ratione ferè *materiæ*, ſive *rei ſignificatæ*, in *Simplicem*, vel *Myſticum*. *Illum*, qui verbis, [propriis vel tranſlatis] proximè à Spiritu loquente, intenditur: *Hunc*, qui iterum intenditur ex ſenſu verbis primum deſignatô. *Ille* ergò immediatus eſt; *Hic* mediatus. *Ille* à verbis; *Hic*, à re ſignificatâ, fluit. Lucem his fœnerabimur aliquot exemplis. *Olla fervens*, & *catena lignea*, à Prophetâ circumgeſtata, *Ier. cap.* I & *xxVIII*. *Senſum* primò *ſimplicem*, & *ocularem*, habuerunt. Inde ex hôc *ſenſu*, iterum dimanavit *ſenſus alius*, nempe *Myſticus*, præfigurans illinc incendium; *hinc*

hinc captivitatem &c: Quomodò & *erectio ſerpentis ænei* in deſertô, primò *ſenſum ſimplicis enarrationis* habuit, prout *Moſes* factum refert, *Num*: XXI, 9. *ſeqq*. Inde *Senſus Myſticus*, ſimul reſultavit, quem allegat Chriſtus, *Ioh*. III, 14. Si *Senſum Myſticum*, etiam *Typicum* voces, non errabis. *Typus* enim in ſcripturâ, generaliter *Exemplar* notat. Ut oſtendimus. Et in omni *Senſu Typicô*, etiam *Antitypus*, non in *Verbis Typi*, ſed in *re*, fundatur. Quæ eſt ipſa *ſenſus Myſtici*, natura. Quin &, ſicut *Typus* & *Antitypus* conveniunt in aliquô *tertiô*, ità *ſenſus myſticus*, & ille, ſupponit *tertium aliquod*, ſive *fundamentum*, ob quod ex ſenſu vocum ad ſe alienarum, elici atque ſcaturire poſſit. [2] *Voluntatem Signi*, in *Præceptum*, *Prohibitionem*, *Permiſſionem*, *Conſilium*, vel *Operationem*. Crebra eſt illa *Diſtinctio*, apud *Scholaſticos*. Qui &, [nè periret memoria tanti furfuris, ſcilicet,] *membra* ejus, *Verſui*, ſic incluſerunt:

Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit, implet. Atqui *membra illa*, primò non diſſentiunt à *totius ſui condiſtinctô*, nempe *Voluntate Beneplaciti*. De quâ alibi. *Præceptum* enim, *Prohibitio* &c: etiam *Voluntati Beneplaciti*, poſſunt ſubjici; prout fas eſt hęc omnia, prius *Dei* intus fiant *beneplacitum*

 quàm

quàm forinſecus, in *ſigna* poſſint erumpere. *Deindè*: Neque diſſentiunt *Membra illa*, Legitimè inter ſeſe. Nam *Præcepti*, & *Conciliy*, quà ſunt *ſigna*, nemo dabit differentiam. Atque *Prohibitio*, *Præcepto* eſt ſubordinata. Omnis enim *Prohibitio* eſt *Præceptum*. Adhæc: *Permiſſio quà Permiſſio*, Voluntatis Dei, propriè ſumptę, non eſt *ſignum*. Ea enim quà talis, non verſatur niſi circà *mala*; [*bona* enim Deus non *permittit ſolùm*; ſed & *facit approbatque*.] Quomodò *Permiſſio*, voluntatis ſaltim *interciſio* ſeu ἐποχή, non *ſignum* eſt. Dico: *Voluntatis propriè ſumptæ*. Nam *Permiſſio* quidem, *ſignum Voluntatis Permiſſivæ*, eſſe poreſt; verùm ea, non eſt *propriè Voluntas*; ſed *voluntatis* [quomodò dictum] *ſuſpenſio* & *retractio*. [3.] *Unitatem*, in *Formalem*, *Univerſalem*, vel *Singularem*. Nimis officioſè additur illa *Unitas Formalis*. Nam, quià *hanc* faciunt, quæ ſit *indifferens ad Unitatem Univerſalem & Singularem*; quam v. c. haberet *animal de ſe*, & priuſquam conſideraretur *ut pluribus communicabile &c.* oppidò intelligitur, eam à reliquis non *diſſentire*. Poſtquam *contradictoria* ſunt: *Eſſe unum communicabile pluribus κατ μέθεξιν*; & *non eſſe unum communicabile pluribus κατ μέθεξιν*. Unde & neceſſariò, hinc *ſingulare*, il-

illinc *Univerſale*, fiet. Nullam enim *communicationem* repugnare *Singulari*, præter illam κατὰ μέθεξιν, in confeſſo eſt. Qualiſque *communio*, talis *Unio*, & *Unitas*. Quare cum *Unitas Formalis*, ſecundum ipſos, *indifferens* ſtatuitur, ſeu *communicabilis*, non poteſt eadem non relabi ad *Unitatem*, ſive *Univerſalem*, ſive *Singularem*; & ſic ipſa perdi ,& concidere. Velle *animal* aliter facere *unum*, quà *præciſè* conſideratur, & aliter *quà augetur aptitudine ſe communicandi multis*, otioſa eſt ſubtilitas, idemque ac ſi dicerem: *Socratem*, aliter eſſe *unum*, prout *abſolutè* intelligitur, & aliter ut attenditur *tanquam incommunicabilis ad plura* &c: Nonnulli, *Unitati ſingulari* ſynonymum faciunt τὸ *Reale*: diſtinguentes ſcilicet *Unitatem*, in *Singularem* ſive *Rei*, vel *Univerſalem*, ſive *Rationis*. ſed *Unitas Singularis*, etiam illa interdum *Rationis* eſt; velut, in *ſingularibus fictis*; *Cerbero*, *Chimærâ*, *Acheronte*, *Poliphemô* &c: & propterea ei non eſt *opponenda*. [4] *Actum*, in *Signatum*, *Exercitum*, vel *Directivum*. Termini clari ſunt ex *Metaphyſicis*. Non eſt opus, ut *Actus Directivus*, pugnet cum *Exercito*: Quià *exercitè* aliquid cognoſco, *tàm* κυρίως ſive principaliter, *quàm* ἀρχιτεχθονικῶς, ſive inſtrumentalitur. Ità *Veritas*, quæ in Me-

taphyſicis, *ſignatè* ſiſtitur, quà *Eſſentiam* &, *materialem Varietatem*, applicatur *Exercitè*, & *Organicè* quidem, *Logicæ*; [cujus inſtrumentis, inveſtigatur, *aut* corroboratur,] *principaliter* autem, reliquis *habitibus inferioribus*, qui de eâ, partem, aliquam, pro naturâ ſuâ, ſinguli decerpunt. [5] *Diſtinctionem*, in *Realem*, *Modalem*, vel *Rationis*: [ſeu ut aliorum opera eſt,] in *Realem*, ex *Natura rei*, vel *Rationis*. Membra paſſim explicantur apud *Metaphyſicos*. Verùm enimverò, cum omne, quod eſt ab aliô *diſtinctum*, deprehenditur diſtinctum eſſe, vel per *intellectum* [ſolum,] unde fit *Diſtinctio Rationis*; vel per *Naturam ipſam*, unde fit *Diſtinctio Realis*, tertiô hîc nullô opus erit. Quià illud vel *huc*, vel *eò*, cadet neceſſarió. [6] *Per ſe*, in *Eſſendi*, *Prædicandi*, *Cauſandi* vel *Exiſtendi*. Quam *diſtinctionem* noto & refingo *Tmem: poſt: cap:* 11. atque oſtendo, quomodò *Membra Cauſandi* atque *Exiſtendi*, ſeſe induant in *priora duo*. [7] *Accidens prædicamentale*, in *Quantitatem*, *Qualitatem*, *Relationem*, *Actionem*, *Paſſionem*, *Quandò*, *Ubi*, *Situm*, vel *Habitum*. Receptam quidem illam *Diviſionem*, ſcribunt, jam inde ab *Ariſtotele*, aut *Architâ*, aut *Pythagorâ*: ſed reverà illa non caruit ſuis Oſoribus

bus & Cenſoribus, qui utut eam retinuerunt *authoritate Veterum*, (quæ ipſis ſemper ſudes in oculis fuit;) tamen non obſcurè ſignificarunt, ſe *prolixitatem ejus* habere ſuſpectam. Imò; inventi ſunt, qui manu injectâ, eam alii, aliis modis, reformarunt. VALLA (v) dicit: *Duo* tantum eſſe *Accidentia*; nempe, *Qualitatem* & *Actionem*. BURGERSDICIUS contendit, (w) *nulla ex accidentibus prædicamentatibus, eſſe vera accidentia, aut entia accidentalia præter Qualitates*: Quin *nec omnes Qualitates pro accidentibus habendas eſſe*; *ſed ſolùm Habitus & Qualitates Patibiles, maximam partem*: *Potentias* Naturales, *quaſdam ſaltem*: *Formam & Figuram nullatenus*. *Burgersdicii* ergò ſententiâ, *Accidens* non poteſt diſtribui, niſi in *Habitus*, *Potentias Naturales*, & *Qualitates Patibiles*. AMESIUS (x) dicit: *Decem illa genera, vel Prædicamenta, in quæ forte fortunâ potius, quàm certâ ratione, dividunt Peripatici ens Creatum &c*: Et paulò poſt: *Decem iſta tam Heteroclita Capita &c*: Quibus paria, habet CLAUBERGIUS (y) cum ſic inquit: *De Categoriis litem nè moveas; decem heteroclita capi-*

(v) I. 1. Dial. c. 13. & 17. (w) Metaph. part. 2. c. 17. p. 357 (x) Diſput. contrà Metaph. th. 19. (y) In præfat. Logic. quadripartit:

ta ſunt, *de quibus in fine Ontoſophiæ*, *jam pridem judicium protuli meum*. *Solùm addo*, *rectè ſenſiſſe ſubtilem Scholaſticum*, Rodericum de Arriagâ; *eſſe tantùm Communes modos Loquendi*, *etiam ex Ariſtotelis ſententiâ. Aliàs ſi quis in rigore dicere velit bonam eſſe illam* entis in decem prædicamenta, *diviſionem*, *regerendum*, *vix ullam dari*, *in quâ tot ſunt vitia* &c: Carteſianus Tatinghof, (z) poſtquam nullum *ens reale*, agnoviſſet præter *ſubſtantiam*; ex hôc fundamentô, quod *omne ens reale per ſe ſubſiſtat*, [reliqua, *nobis*, Accidentia, facit aut idem cum ſubſtantiâ, aut *Modos*, qui non ſint entia realia &c:] tandem hunc in modum concludit: *Poſſumus tamen* inquit, *nè nimis videamur rigidi cenſores*, *numerum Categoriarum*, *aliquô modô retinere*, *ſi Categorias ſumamus non pro veris & realibus entibus*; *ſed pro communibus prædicandi modis* &c: Hæc *illi*. Quæ tamen eô fine hîc non conquiſimus, ut cum iis in omnibus conſentiremus; ſed ut hæc ruditer tantùm opponeremus iis, qui pro *vetere prædicamentorum numerô*, ſolô *Doctorum ex conſenſu*, argumentantur. Nam poſthac curæ nobis erit, rem adſpicere, at-

(z) Clav. phil. Natural. c. iv. p. 57, 58, 59. It. p. 189. ſeqq.

atque ubi *nævi* reperiuntur, non ità obſequi *conſuetudini*, hoc eſt; mancipia fieri aliorum, ut non illos, detegamus. Nam, *Ego verò* [quod (a) *Ille* ait,] *utar viâ veteri; ſed ſi propriorem invenero, hanc muniam.* Itaque, ut manum ulceri admoveamus, hoc eſt, quod exiſtimamus: *Patronos novenarij Accidentium numeri*, peccare eorum tum *exceſſu*, tum *amethodiâ*. Neque enim *Claſſes* uſitatas *accidentium*, aut tot eſſe quot feruntur; [aliquæ enim inter ſe, non ſunt *oppoſitæ*] aut quotquot ſunt, *ordine*, quô ſolent, collocari poſſe. Nempe: oſtenſuri ſumus, (præter *ordinis* vitia,) *Actionem* & *Paſſionem*, facere unam Claſſem. *Ubi* & *Habitum*, eſſe *Relationes*. Et *Situm*, eſſe ſpeciem *Qualitatis*, nempe *Figuram*. Singula excutientur. *Actio* & *paſſio*, ex *Hypotheſi*, non differunt *realiter*: Ergò quæ ſunt *una res*, manebunt etiam intrà *unam claſſem*. Hîc mihi omnes occurrent: *Numerum Prædicamentorum Accidentalium*, colligendum eſſe, à *diverſitate*, non *entitatis*, ſed *denominationis ad primam ſubſtantiam.* quippe, neque differre *realiter*, *figuram* à *Quantitate*, aut *fundamentum* à *Relatione*, & tamen differre *prædicamentis*; *illam*, tanquam ſpeciem Qualitatis; *hoc* ut

(a) Senec. Epiſt. 33.

ens aliquod abſolutum &c. Miror ego verò, quomodò tot *fœcunda & limata judicia* poſſent terreri fulmine tam brutô, & quod reverà, larva umbratilis eſt. Etenim, ut auferamus mangonium, ſi *diverſa denominatio* ad *primam ſubſtantiam*, poteſt ſufficere ad *Reale Prædicamentum*, fiet illud, vel quià eſt *denominatio*; Et ſic etiam *denominationes ſictæ* & *negativæ*, facient *prædicamentum reale*, poſtquam & illæ diverſimodè denominare poſſunt primas ſubſtantias; ut ſi dicas: *Beliſarius eſt generis maſculini*, aut *cæcus &c.* Quod abſurdum. Vel quià eſt *denominatio talis*, ſeu *realis*; ità *denominationes modales* & *formales*, [quæ *reales* eſſe poſſunt,] etiam conſtituent *diverſum prædicamentum*: hoc eſt; [non dicam; *unum, verum, bonum*, quæ *ſubſtantias primas* certè denominant; ſed vel maximè ex *ordine inferiori*,] *pugnus* & *palma*; *Manſuetudo* & *virtus &c.* etiam illa, *claſſibus diverſis realibus* diſlocabuntur; ob hanc ipſam ratiunculam: quod *realiter*, *aliter & aliter poſſint primas ſubſtantias*, *denominare*. Quod eſt *priori* multò abſurdius, vel ex confeſſô. Quid ergò ſtabilimenti eſt, in illâ ceruſsâ: *Diverſitas denominationis* & non *entitatis*, numerat *prædicamenta*? Aut quid reſtat, à quô *diſcretio prædicamentorum*, ſumi poteſt,

aliud

aliud quàm ipſa *entitatis*, [in ſummô conceptu] differentia: hoc eſt; quàm *res*, & non *modus rei*? Id quod non minùs fiet evidens, ſi quis ſcopum *Prædicamentorum* ſive *claſſium Realium*, tam in *Metaphyſicâ* quàm in *Logicâ*, voluerit conferre. Certè, *Metaphyſica*, Ens ſub minori abſtractione, *certis Claſſibus*, ſibi facit repræſentari, maximè propter *Horiſticen*, ſive ut in illis *diſtinctis tabulis*, tanquam in mappis quibusdam univerſalibus, omnium entium varietate repręſentatâ, *limites Habituum*, *ſibi inferiorum*, poſſit contemplari, atque ſic *objectum*, [& quę illud à *priori*, aut à *poſteriori*, comitantur,] ſingulis tantò rectius aſſignare. Jam verò, *Habituum* iſtorum *Inferiorum objecta*, [cum ſuis *pertinentiis*,] non ſunt *modi*, ſed *Entia* &c. Minimè ergò, poteſt, *Ens*, in *claſſes Subſtantiæ* & *Accidentium*, digeri, ut pręſcindens ab *Entibus* & *Modis*, [quomodò neceſſe eſt diſponatur, ſi *denominatio* etiam *modalis*, jus *diſtincti prædicamenti*, habitura eſt;] ſed ut præſcindens ab *Entibus*, ſeu *Rebus ſolùm*. In *Logicâ*, *Claſſes Reales*, [vulgò, *Prædicamenta Ariſtotelica*,] eô fine proponuntur, ut *repræſentare poſſint materiam operationis Logicæ*, *in Naturâ hac determinatâ*. *Modi* autem *rebus* contradiſtincti, ſuas

ſuas peculiarès *Claſſes* habent. Unde & *Logici* accurati, *tres materiæ* ſuæ, ſegreges *Claſſes* faciunt. Unam, *Supra-prædicamentalem*, pro iis, quæ naturam hanc determinatam tranſcendunt. Alteram, *Prædicamentalem*, pro entibus per ſe, poſitivis, naturæ hujus determinatæ. Et tertiam, *Infra-prædicamentalem*, quę eſt ſylloge Entium *Per accidens*, *Negativorum*, *Rationis* &c. judicent verò jam omnes, quibus *Veritas* cordi eſt, & qui vacant ſtudiô partium, utrum qui proponit, *res* hujus univerſi, *certis Claſſibus* colligere, rectius facit, cum ea colligit in *unam Claſſem*, quę natura ipſa collegit, & *realiter* unum fecit; an qui illud, quod in ſe nonniſi *una res* eſt, diſtrahit ad alia & alia *Prædicamenta*? Cum pręcipuè *modus cognoſcendi*, eâ cauſâ, neutiquam impediatur. Quem enim *uſum* habet v. c. repræſentatio *Actionum* & *Paſſionum*, in *diverſis claſſibus* ſeu *prædicamentis*, habet etiam in *eôdem prædicamentô*. Præſumptio eſt, *figuram* à *Quantitate*, & *fundamentum* à *Relatione*, non differre *realiter*. Omninò enim, & nec te nec me fingente, aliud eſt Quantitas ſeu *extenſio*, & aliud eſt *Figura Quantitatis* ſeu *extenſionis*. *Extenſio* ipſa, non eſt *terminus* extenſionis. Si *figura*, ideò non erit diſtincta *realiter* ab *exten-*

tenſione, quod non ſit *actu*, ab eâ ſeparata; differet certè, neque *color*, neque ipſa *extenſio*, realiter à *materiâ*; quod neque illa, ſint ab eâ, illô modô, hoc eſt, *actu*, ſeparata. Nihilô magis, vincet *inſtantia*, de *Relatione*, & ejus *fundamentô*. Differt enim omninò *fundamentum* à *Relatione*, [non illâ quidem neceſſariò *quâcunque*, ſive etiam *non-mutuâ*, *ſecundum dici &c.* Sed *ſecundum eſſe*, & *verè tali*,] *realiter*. Et habemus certè confitentes reos *Adverſarios*, vel invitos, quoties pertendunt *fundamentum Relationis*, etiam eſſe poſſe *Subſtantiam*. Nam id, ſi ità eſt, differet ſanè Relatio à ſubſtantiâ, *realiter* &c. Quanquam illud nunc non quidem ago; *utrum Subſtantia*, *Relationis fundamentum*, *eſſe poſſit*, *necne?* Sed vel aliter, χωρὶς ἐκείνου, poſſum oſtendere, *fundamentum*, *realiter* differre à *Relatione ſuâ*. Idque ex *Separabilitate*, quæ eſt index & character infallibilis, *Diſtinctionis Realis*. Poteſt enim certè ſeparari, in *Relatione accuratâ*, ſeu *fundamentum* à *Relatione*, [velut ſublatis, quæ ſunt tranſitoria, *actu* quidem *generandi*, à patre; *actu* autem *collocationis ad limitandum*, à lapide, quæ ſunt *rationes fundandi*, illinc *paternitatem*, hinc *limitem &c*: poteſt nihilominus ſalva eſſe *Relatio patris*, quam-

quamdiu vivit *filius*; & *limitis*, quamdiu eſt quod limitet &c.] Seu *Relatio* à *fundamentô*; [velut ſi *paries albus* denigretur, tollitur *Relatio*, *ſimilitudo*, inter *parietem* illum, & v.c. *cygnum*, cum nihilominus maneat *hujus relationis*, *fundamentum* in cygnô, nempe *albedo* &c. An verò non tollitur *nova entitas* in cygnô; ſed *terminus Relationis* tantùm deſtruitur? Imò verò, eô ipſô, quô aufertur *terminus*, etiam exſtinguitur *Relatio*, & ſic aliquid in *cygnô*, nempe *reſpectivum*, deſinit. Fruſtrà dices: Hæc non probare *omnes Relationes differre realiter à fundamentis ſuis*; Sed tantùm *aliquas*. eſſe enim ad minimum *fundamentum inſeparabile*, in *Relatione creaturæ ad Deum*; ut quæ *terminum* habet indefectibilem &c. Nàm *Reſpondemus*: Omninò idem eſſe etiam de aliis *Relationibus accuratis*. *Relatio creaturæ ad creatorem*, non modò eſt *non accurata*, & *vulgaris*, [quippe *non mutua*, ſicut alibi] verùm & illa, *ſeparabilis*, [eſto de *terminô*, quicquid ſit, cum ille jam non controvertitur, ſaltem] ratione *fundamenti*. Hoc enim, *proprium* & *proximum*, à parte *creaturæ*, non poteſt eſſe aliud, quàm *τὸ actu creari*. Id quod certè dudum deſiit; *Relatione creaturæ, ad creatorem* inconcuſſâ. Atque ità nihil ſolidi fuit

alla-

allatum, quod evincat *Actionem* & *Paſſionem*, repræſentanda eſſe, in *diverſis prædicamentis*; aut quod obſtet, quò minus *unâ claſſe*, poſſint colligi. Si lubet autem ea, unô nomine comprehendere, & vocare, ſi non *Motum*, [quod is propriè ſit *Qualitas*,] ſaltem *Motionem*, non errabis. Pergo ad Prædicamenta *Ubi* & *Habitus*, & ea ad *Relationes*, referenda ſtatuo. Provehamur in altum. *Relatio*, [puta, accurata, & prædicamentalis,] eſt *accidens*, *ſecundum quod*, *aliquid*, *quicquid eſt*, *totum ad aliud eſt*. Nempe: *Relatio* hic definitur, quà *abſtracta* & *formalis*. Nam ſolent aliàs varia *Relationis requiſita* facere; ut ſunt: *Subjectum*, *fundamentum*, *ratio fundandi*, *terminus*, *relatum*, & *correlatum*. Sed & illa & alia, hîc, multâ egent emendatione: Quando vix alibi, tot *Philoſophia* ſcatet *tricis*, imò *regulis falſis*, quot hîc una doctrina *Relationum*. Principiô oportuit ipſos diſcreviſſe *requiſita*, quæ pertinent ad Relationem *à priori*, atque ut Relatio eſt *Ens per ſe*, ab iis, quæ ad eam pertinent *à poſteriori*, atque ut eſt *Ens per accidens*. Quid enim *enti per accidens*, cum *Relatione*, *terminô prædicamentali?* A *priori*, ſeu *abſtractè*, ad *Relationem* requiruntur nonniſi *duo*; *fundamentum*, & *terminus*: *Illud*, ut efficiens; *hic*

hic ut aliquid ad formam. Eſt enim *fundamentum*, nihil aliud, quàm *accidens abſolutum*, quod eſt cauſa, ob quam aliquid ad aliud refertur. Ita actio generandi, eſt *cauſa efficiens* paternitatis; Albedo, ſimilitudinis inter nivem & cygnum &c. Etiamſi verò *accidens*, non eſt *efficiens* alterius accidentis, niſi elevatum à *ſubſtantiâ*, atque *inſtrumentaliter*; tamen quià non *ſubſtantia* ſed *accidens* eſt, quod hic proximè determinat *Relationes*, & facit ut aliquid ad aliud referatur, etiam illud ſolum, hîc recipiendum eſt. *Inſtas*: ſi v. c. *albedo*, facit & eſt cauſa, quod reſultet *Relatio ſimilitudinis*, faciet idem etiam ſine *terminô*, & *ſemper*, quod *abſurdum*. Nam *cauſa phyſica quod agit*, *ſemper agit* &c. Reſpondeo: *agere*, ſed *datis ad agendum neceſſariis*; quale quidem neceſſarium ad *Relationem* eſt *terminus*; Ità ut hôc oblatô, non ceſſet v.c. *albedo*, facere, ut dimanet *Relatio*, *ſimilitudo*. Unde licitur, *tum* quod *fundamentum hocce*, æquè in *correlato* ac *relatô* debeat inveniri, & ſic omnis *Relatio*, eſſe *mutua*: [nam debet certè etiam *terminus*, habere *cauſam*, quod ſit *terminus*, cum non liceat quodlibet ad quodlibet referre, ſed ubi adeſt *fundamentum* &c.] *tum*, quod *fundamentum* illud ſit *realiter* à ſubjectô ſuô di-

diſtinctum. Nam ut taceam, quod oporteat ſit diverſum aliquid à ſubjectô, quod facit ut ſubjectum *novâ formâ*, imbuatur [nempe *relativâ*,] etiam *Relatio* carere ſubjectô poteſt, *quà Relatio*; [*Subjectum* enim non pertinet ad *Relationem*, niſi *concretam*, atque *à poſteriori*,] at carere *fundamentô*, [efficiente ſui,] non poteſt. Itaque, cum ſint *ſeparabilia*, differunt *realiter*: *Tum*, quod cum alii *fundamentum* faciunt vel *remotum* vel *propinquum*, quod ſit *ratio fundandi*, ſolum *poſterius*, poſſit ad *Relationem*, ſufficere. *Fundamentum* enim *remotum*, ſicut non reperitur in *omni Relatione*, [debebat vero ſi eſſet *requiſitum Relationis quà Relationis*,] ità vel ſæpiſſimè coincidit cum *ſubjectô inhæſionis*, [velut cum *fundamentum remotum paternitatis*, vocant *ipſum eſſe* & *naturam patris*,] quod non eſt *de eſſentiâ Relationis*; imo: De ſe nunquam fundat *Relationem*. Nunquam enim verbi cauſâ; *potentia generandi*, aut *natura generationi apta*; [fundamentum, *ipſis*, remotum] faciet ut *animal* ſuſcipiat *Relationem Parentis*, niſi tranſeat ad ipſum *generandi actum*; qui eſt *fundamentum* Relationis iſtius *propinquum &c*: *Terminum relationis* cum nomino, non intelligo aliquid, quod ſubſequatur *Relationem*; ſicut

cum

eum accipiunt, qui *Fructum Relationis*, [velut *Unionis*, communicationem]. vocant *terminum*; & ſolent aliàs appellare *ſuppoſitum* generationis, & *calorem* calefactionis, *terminum*; ſed illud *ad quod Relatio refertur*, atque ita eſt *Relationi de eſſentiâ*. Stat enim certè *eſſentia Relationis* in *τῷ eſſe, ſeu ferri ad*, nempe ad *terminum*; quomodò pridem habuit ejus *definitio*. Utut autem *terminus* hic, *intrinſecus Relationi* non poteſt dici, quippe ab eâ *realiter* diſtinctus; ſed & interdum, per longa ſpatia ità ſeparatus, ut poſſit *Cygnus in Daniâ*, propter *ſimilitudinem*, referri ad *Cygnum* qui ſit in *Hiſpaniâ* vel *Indiis* &c: tamen haberi debet *de eſſentiâ Relationis*, eô modò, quô Relatio, *ſine reſpectu ad hunc talem terminum*, non poteſt eſſe. Unde non auſus fui, *terminum* vocare ipſam *formam Relationis*, ſed tantùm *aliquid ad formam relationis*. Cæterum *terminus* ille, *formaliter*, non eſt ipſum *correlatum*: Hoc enim quà tale, non incipit niſi factâ jam *Relatione*, ut mox infrà, pluribus patebit. Atqui *terminus*, debet eſſe *Relationi de eſſentiâ*. Neque eſt *abſolutum* illud, quod eſt *cauſa* ſeu *fundamentum Relationis in correlatô*; ut nunc multi ſplendidè nugantur. Quàm enim eſt certum, quod *terminus* om-

omnis bonæ Relationis debeat eſſe *aliquid abſolutum*; tam eſt certum, quod *formaliter*, illud, *fundamentum correlati*, non poſſit eſſe. quià *terminus* debet eſſe *coexiſtens cum Relatione*, & *ab eâ ſimpliciter inſeparabilis*. At *fundamentum correlati*, ſæpe evaneſcit. velut *actu generari* in *filiô* &c: Dictum de his etiam ſuprà fuit. Ergò nihil aliud manet reliquum, quod *Relationis terminus* eſſe poſſit, [nempe *formalis*,] præter *Subjectum* illud, cui ſupervenit, quod adeptâ *relatione*, dicatur *correlatum*. Idem verò non *Accidens*, ſed *Subſtantia* eſſe debet. Quià enim ſuprâ deduximus, omnem *Relationem bonam*, debere eſſe *Mutuam*, neceſſe eſt ut eadem à *terminô* retrograda, fulciatur, [ſicut alia omnia *accidentia*] à *ſubſtantiâ*, & ſic eâ parte etiam *terminetur à ſubſtantiâ*. Itaque fruſtrantur ſe & alios, qui docent; *Relationes eſſe poſſe etiam inter accidentia*, ut *albedinem* & *albedinem* &c: præterquam enim quod *terminus* ità, non ſit *ſubſtantia*; etiam *fundamentum*, cum *ſubjectô Relationis*, coincidit. Id quod pridem fuit caſtigatum. Atque ità fuerunt examinata *Requiſita Relationis*, *à priori*. Ad *Relationem* autem *à poſteriori*, ſeu *Concretam*, præter modò explicata, *fundamentum* & *terminum*, etiam requiritur certum aliquod

ſub-

Subjectum inhæſionis: Quô ſine, *Relationes*, non magis poſſunt ſubſiſtere; quàm omnia reliqua accidentia. Ingens verò in *Philoſophiâ* pudendum, committunt, qui ſine delectu, æquè *ſubjectum*, ac *fundamentum*, *terminum*, *&c*: ad *Relationem* requirunt: Cum *ſubjectum hoc*, non magis eſſe poſſit *requiſitum Relationis*, quàm ſit requiſitum aliorum *omnium Accidentium*; hoc eſt: ubique & ad *Relationem*, & ad alia *accidentia prædicamentalia*, ſic ſit ineptum, ut *Relatio*, aut aliud *quodcunque accidens*, ſumptum cum *tali ſubjectô*, non ſit niſi *Ens per accidens*. Quod in *Categoriis Ariſtotelicis*, non habere locum, manifeſtum eſt. Rectè (b) JAVELLUS: *Prædicamenta, quià ſunt ſumma genera, idcircò debent eſſe aliquid ſimplex*. Si quis autem volet *hæc requiſita*, ſub *cauſarum* ſchemate concipere, [fiet vero id multò rectius] habebit *Relationis materialis* ſeu *concretæ*, Cauſam *Efficientem* quidem, *fundamentum*: *Formalem*, ipſam proclivitatem, ſeu reſpectum aut tendentiam ad terminum: *Materialem*, Relationis ſubjectum in quô. Ubi ipſi ſubſiſtendum eſt. Etenim *Finis*, pro hac amplitudine non ſuppetet. Quià, utut ille quidem eſſe poteſt *aliquarum Relationum*, velut *unionum propriè talium*;

(b) 5. Met. q. 23.

tum; quarum *finis* eſt *communicatio* &c: tamen quem mihi *finem* dabis, *ſimilitudinum*, *æqualitatum* &c. Poſt hæc, facilè intelligitur, quorſum evadunt *relatum* & *correlatum*. Nam *relatum*, non eſt *requiſitum* alicujus Relationis; ſed eſt ipſa *Relatio concreta*, quippe *ſubjectum Relatione affectum*. Similique cenſurâ, *correlatum*, neque illud *requiſitum* eſt *Relationis*, aut *abſtractæ*, quià [ſicut dictum] poſt Relationem, primò incipit: aut *concretæ*, quià hæc ſat habet in *formâ* [*relativâ*,] & *ſubjectô*, [quomodò omnia *accidentia concreta*.] Eſt ergò, nonniſi *termini*, aliquod *conſequens adjunctum &c.* Quibus expeditis, res nunc monet, ut ex illâ διεκβάσει, [quę mihi prius fuit neceſſaria] redeam ad propoſitum, de *Ubi* & *Habitu*. *Ubi prædicamentale*, definiunt accuratiores, *Alii*, per *accidens, notans præſentiam finitam* : *Alii*, per *accidens habitudinem inferens ad Spatium* : Atque faciunt vel *Defintivum*, [ſpirituum finitorum,] vel *Circumſcriptivum*, ſive *locum*, [corporum] Nos ſicut extrà ſcopum, admiramur, quàre, cum ex dilaudatâ hypotheſi, *Loci* ratio, ponatur in *ſpatiô*, nunc vult aliquis, *ubi* definire, per *habitudinem ad idem ſpatium*. Foret enim illô ſenſu, *Locus*, qui eſt *ubi circumſcriptivum*, etiam ille *habitudo ad ſpatium*, hoc eſt; *ad ſeipſum &c*: Ita poſt paulò dili-

gentiorem ἀιόσωφον, nihil adeò hîc invenimus, quod *diſtinctum prædicamentum*, aperire poſſit. *Ubi Circumſcriptivum*, ſive *Locum* ante patuit, eſſe *Relationem*. *Ubi* autem reliquum, ſeu *Definitivum*, mox conſtabit, aut non eſſe *Accidens*, aut & illud, nonniſi *Relativum*. Quô quidem demonſtratô, hoc eſt; *Utroque Ubi* detractô, nihil vel ex confeſsô, manebit reliquum, quod *hanc claſſem*, complere aut tenere poſſit. Invadamus rei arcem. Si *Spirituum*, v. c. *Angelorum habitudo ad ſpatium finitum*, erit *accidens*, erit etiam tale, ſive *accidens*, in *ſpatiis extrà mundum*, ſeu *imaginariis*: Cum & in illis, *Angeli* Deo ſuo infinito, præſentes, *ſpatium* ſibi *finitum*, definiunt. At ſic, *aut* nullum erit *Ubi tranſcendentale*; [quomodo enim hoc explicabis, niſi per *præſentiam*, *remotô omni extrinſecô*, ſeu *in vacuô?*] *aut*, præſentia corporum in tali *extrà mundum ſpatiô*, eſſet & illa *accidens*: Quod *abſurdum*. Siquis vult reponere, quod *habitudo ad ſpatium finitum*, ſaltem cum additô, *intrà mundum*, faciat *Ubi*, quod ſit *accidens* in *ſpiritibus finitis*, æquè ac facit in *corporibus*; poteſt ille ſenſu abundare ſuô. Quanquam nondum attulit aliquid, quod evincat, *Ubi* adhuc facere aliquod *diſtinctum prædicamentum*. Foret enim adhuc *tale Ubi*,

[æquè

[æquè ac *locus* corporum,] *Relatio*: quippe nihil aliud, quàm *reſpectus Angeli ad aliquod intrà mundum corpus, ad vel intrà quod, Angelus præſentiam ſibi definivit.* Ità *Relationis* hujus *fundamentum*, eſt *à parte* quidem *Angeli*, tanquam *ſubjecti*, actualis definitio, talis intrà mundum ſpatii; *A parte* autem *Corporis*, tanquam *termini*, actualis receptio ejuſdem definitionis. Ex quo *fundamentô*, ipſa illa *Ubietas*, ſeu *Relatio*, reſultat inter *Angelum*, & illud cui *Angelus* eſt præſens. Atque hôc factô, *ubi prædicamentalis* ad *Relationes*, tranſitu, claſſis ejus vacua, & ſic nulla, remanet. Nequidquam meliori fato obnoxium eſt, etiam *Prædicamentum Habitus*. Ad quod oſtendendum, per *aſſertiones aliquot*, tanquam gradus, ibo; & ſub iis, *veteris ſententiæ rationes*, magnam partem, refutabo. Primó: *Norma & principium conſtitutivum prædicamenti Habitus, ſicut omnium aliorum prædicamentorum, eſt forma ſeu denominans, non concretum ſeu denominativum. Forma*, inquam, *latè ſumpta*, ſic ut *fonti omnis denominationis accidentalis*, reſpondere poſſit: Neque enim aliàs, omnia accidentia, in rigore ſunt *formæ*. Ità *Concluſio noſtra*, per ſe manifeſta eſt. Nam non ſolum ipſi conſonant, in *Prædicamentis*, primum locum eſſe deferendum *formis* & *ſimplicibus*; inde atque re-

ductivè, *concretis ex formâ &c.* Sed & in *Paronymô*, terminô circa Syllogen omnis denominationis extrinſecę occupato, prius æſtimant, quod in eô, eſt *abſtractum* ſeu *denominans*, quàm *quod denominatur*, aut *denominationem.* Ergò ad *prædicamentum Habitus*, non debent [ſicut fit,] congeri ſola *denominativa*, ocreatus, loricatus, numellatus &c. Sed vel maximè & *primò* inquirendum in illud, quod dat talem denominationem, & quod eſt illius *forma.* Secundò: *Forma ſeu principium ejusmodi denominationis, non poteſt ſtatui formaliter in aliquô adjacente, multò minus corpore.* Hoc eſt: *Habitus*, non poteſt *formaliter* dici, aliquid *adjacens*, idque *corpus. Prius*, patet: *Tum*, quod *ejusmodi adjacentia*, magnam partem, *Entia* ſint *per accidens*, [quippe concreta ex *Naturâ*, quæ dat ſubjectum, & *Arte*, quę dat formam, velut *diadema, gladius, tunica, ocrea, pallium &c.*] ἀφιλόσοφον verò foret, *prædicamentum* erigere ex *entibus per accidens*, ſive *omnibus*, ſive *aliquibus*: *Tum*, quod ejusmodi *concreta*, aliò pertineant *primariò*; [quanquam enim de ſe, *Ens per accidens*, in nullô prædicamentô ſit; interim, ſi hæc manufacta, tamen aliquò δι' ἀναγωγῆς ſunt referenda, futura eadem ſunt, non *Habitus*, ſed *Qualitates*,

&

& certarum materiarum *figuræ*:] *Tum*, quod ejuſmodi, non ſint *denominantia*, adhuc *proxima*; ſed *remota*. Nam non dicitur v. c. aliquis *tunicatus*, *calceatus &c.* proximè à *tunicâ*, aut *calceô*; ſed ab *unione* ſeu *adhæſione tunicæ*, aut *calcei ad partes corporis*. Quomodò ergò *aurum* & *argentum*, non ſunt *Habitus*, quià *remotè* aliquid denominant *deauratum*, & *inargentatum*; ità neque *tunica &c.* *Proximè* enim ab *aurô*, *argentô*, *ære*, *&c.* denominantur *aureus*, *argenteus*, *æreus*, *ſalſus &c.* quæ longè aliud ſunt, quàm *deauratum*, *inargentatum*, *obæratum*, *ſalitum &c.* quià *illa*, formam inſinuant *ſolitariè*, & cum *ſubjectô propriô*, [quatenus per ſe, aliquid eſt ex *aurô*, *argentô &c.*] *Hæc* autem, *unitè*, & cum *ſubjecto communicato*, [quatenus forma *auri*, *argenti*, *æris &c.* aliis eſt appoſita.] *Poſterius* patet: Quià pleraque *denominantia Habituum*, non ſunt *corpora*. Certè *lorica*, *Stola*, *pileus*, *ocrea*, *gladius &c.* ex quibus denominari volunt *loricatum*, *Stolatum &c.* non ſunt *Corpora*, ſed *Accidentia*. Res enim valet à *formâ*, quæ hîc *accidentalis*. Tertió: *Forma & principium denominationis habitualis*, *non poteſt formaliter ſtatui in adjacentiâ*, *ſeu quacunque ſeu artificiali*. Solent *Scholæ*, colligere ſub *hoc prædicamento*,

to, denominationes ab *adexiſtentiâ* rerum *externâ*, & eâ potiſſimum *artificiali*, petitas; velut quod dicatur aliquid *calceatum*, *cucullatum*, *numellatum &c.* Sed nequidquam *adæquatè*. Datur prætereà, etiam *adjacentia naturalis*, velut *crinium* circà caput, *ſquamæ* circà piſcem, *corticis* circà arborem &c. Unde fluunt denominationes, *crinitus*, *ſquamatus*, *corticatus &c.* de quibus quæri poteſt, *cujus* fuerint *prædicamenti*? Certè, quò jure *artificialium adhæſio*, erit *Habitus*; erit etiam Habitus, *adhæſio horum naturalium*. Nam denominationes; *crineus*, [da veniam neceſſitati] *ſquameus*, *corticeus &c.* aliò pertinent, hoc eſt; propter *formas ſuas*; ad *Subſtantiam*. *Deinde*: Repræſentat Natura nobis ad intuendum, non ſolùm denominationes ſumptas, *à ſtatu rerum adjacendi ad extrá*; ſed etiam *à ſtatu rerum inexiſtendi ad intrá*. Quomodò vulgare eſt: *pectus* eſſe *pulmonatum*, [incidunt verò hîc neceſſariò aliquot *novi termini*, qui mihi condonandi ſunt, poſtquam ob *defectum terminorum*, Natura non poteſt negligi &c.] *caput cerebratum*; *uterum impragnatum*, (ſive fœtu intus gravem;) *oſſa medullata*; *cælum ſtellatum*; *locum corporatum*, [hoc eſt, corpore intrà ſe repletum,] *tonnam aeratam*, *cereviſiatam &c.* Quò autem in *prædica-*

dicamento, diſponuntur *cohæſiones rerum ad extrà*, etiam diſponentur *cohæſiones hæ ad intrà*, & ſic æquè erunt *Habitus*, ac *illæ*. Quartó: *Forma denominationum*, *à rerum cohæſione*, *ſivè ſyndrome petitarum*, *tam ad intrà*, *quàm ad extrà*, *hoc eſt*; *univerſum prædicamentum Habitus*, *nil niſi unio*, *ſeu Relatio eſt*. Hæc coitio erit acerrima; quià ſic ægrè volent Quirites. Interim res ſe tamen ità habet; & δεῖ καὶ βέλτιον ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας, καὶ οἰκεῖα ἀναιρεῖν. *Sancta Veritas*, *tenenda*. Quid enim amabò, *pileatus*, *coronatus*, *ocreatus*, *tunicatus*, *ſtolatus*, *cucullatus*, *inargentatus &c.* aliud ſunt, quàm *uniones* ſeu *Relationes*, *pilei*, *ocreæ*, *coronæ &c. ad ſua corpora?* Quarum *fundamentum*, ſit à parte quidem *ſubjecti*, ipſa *unitio*, [v. c. τὸ *eſſe pileatum*, pileatio, ſeu appoſitio pilei ad verticem.] à parte autem *termini*, actualis unitionis iſtius [v.c. pileationis] *receptio*. Ut *forma* ipſa, ex quâ fluant tales denominationes, non ſit aliud quàm *unio*, ſeu *ſtatus permanens* iſtorum unitorum ad ſe invicem, atque ſic *Relatio*. ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Pergo ad *Situm*, & ſimiliter concludo. Primó: *Situs non eſt formaliter habitudo partium in ubi*. Quare enim *habitudo partium in ubi*, magis faciet diſtinctum *accidens prædicamentale*, quàm

quamdiu vivit *filius*; & *limitis*, quamdiu eſt quod limitet &c.] Seu *Relatio* à *fundamentô*; [velut ſi *paries albus* denigretur, tollitur *Relatio*, *ſimilitudo*, inter *parietem* illum, & v.c. *cygnum*, cum nihilominus maneat *hujus relationis*, *fundamentum* in cygnô, nempe *albedo* &c. An verò non tollitur *nova entitas* in cygnô; ſed *terminus Relationis* tantùm deſtruitur? Imò verò, eô ipſô, quô aufertur *terminus*, etiam exſtinguitur *Relatio*, & ſic aliquid in *cygnô*, nempe *reſpectivum*, deſinit. Fruſtrà dices: Hæc non probare *omnes Relationes differre realiter à fundamentis ſuis*; Sed tantùm *aliquas*. eſſe enim ad minimum *fundamentum inſeparabile*, in *Relatione creaturæ ad Deum*; ut quæ *terminum* habet indefectibilem &c. Nam *Reſpondemus*: Omninò idem eſſe etiam de aliis *Relationibus accuratis*. *Relatio creaturæ ad creatorem*, non modò eſt *non accurata*, & *vulgaris*, [quippe *non mutua*, ſicut alibi] verùm & illa, *ſeparabilis*, [eſto de *terminô*, quicquid ſit, cum ille jam non controvertitur, ſaltem] ratione *fundamenti*. Hoc enim, *proprium* & *proximum*, à parte *creaturæ*, non poteſt eſſe aliud, quàm *τὸ actu creari*. Id quod certè dudum deſiit; *Relatione creaturæ*, *ad creatorem* inconcuſſâ. Atque ità nihil ſolidi fuit alla-

allatum, quod evincat *Actionem* & *Paſſionem*, repræſentanda eſſe, in *diverſis prædicamentis*; aut quod obſtet, quò minus *unâ claſſe*, poſſint colligi. Si lubet autem ea, unô nomine comprehendere, & vocare, ſi non *Motum*, [quod is propriè ſit *Qualitas*,] ſaltem *Motionem*, non errabis. Pergo ad Prædicamenta *Ubi* & *Habitus*, & ea ad *Relationes*, referenda ſtatuo. Provehamur in altum. *Relatio*, [puta, accurata, & prædicamentalis,] eſt *accidens*, *ſecundum quod*, *aliquid*, *quicquid eſt*, *totum ad aliud eſt*. Nempe: *Relatio* hic definitur, quà *abſtracta* & *formalis*. Nam ſolent aliàs varia *Relationis requiſita* facere; ut ſunt: *Subjectum*, *fundamentum*, *ratio fundandi*, *terminus*, *relatum*, & *correlatum*. Sed & illa & alia, hîc, multâ egent emendatione: Quando vix alibi, tot *Philoſophia* ſcatet *tricis*, imò *regulis falſis*, quot hîc una doctrina *Relationum*. Principiô oportuit ipſos diſcreviſſe *requiſita*, quæ pertinent ad Relationem *à priori*, atque ut Relatio eſt *Ens per ſe*, ab iis, quæ ad eam pertinent *à poſteriori*, atque ut eſt *Ens per accidens*. Quid enim *enti per accidens*, cum *Relatione*, *terminô prædicamentali*? *A priori*, ſeu *abſtractè*, ad *Relationem* requiruntur nonniſi *duo*; *fundamentum*, & *terminus*: *Illud*, ut efficiens;

hic

hic ut aliquid ad formam. Eſt enim *fundamentum*, nihil aliud, quàm *accidens abſolutum*, quod eſt cauſa, ob quam aliquid ad aliud refertur. Ita actio generandi, eſt *cauſa efficiens* paternitatis; Albedo, ſimilitudinis inter nivem & cygnum &c. Etiamſi verò *accidens*, non eſt *efficiens* alterius accidentis, niſi elevatum à *ſubſtantiâ*, atque *inſtrumentaliter*; tamen quià non *ſubſtantia* ſed *accidens* eſt, quod hic proximè determinat *Relationes*, & facit ut aliquid ad aliud referatur, etiam illud ſolum, hîc recipiendum eſt. *Inſtas*: ſi v. c. *albedo*, facit & eſt cauſa, quod reſultet *Relatio ſimilitudinis*, faciet idem etiam ſine *terminô*, & ſemper, quod *abſurdum*. Nam *cauſa phyſica quod agit*, *ſemper agit* &c. Reſpondeo: *agere*, ſed *datis ad agendum neceſſariis*; quale quidem neceſſarium ad *Relationem* eſt *terminus*; Ità ut hôc oblatô, non ceſſet v.c. *albedo*, facere, ut dimanet *Relatio*, *ſimilitudo*. Unde licitur, *tum* quod *fundamentum hocce*, æquè in *correlato* ac *relatô* debeat inveniri, & ſic omnis *Relatio*, eſſe *mutua*: [nam debet certè etiam *terminus*, habere *cauſam*, quod ſit *terminus*, cum non liceat quodlibet ad quodlibet referre, ſed ubi adeſt *fundamentum* &c.] *tum*, quod *fundamentum* illud ſit *realiter* à ſubjectô ſuô di-

diſtinctum. Nam ut taceam, quod oporteat ſit diverſum aliquid à ſubjectô, quod facit ut ſubjectum *novâ formâ*, imbuatur [nempe *relativâ*,] etiam *Relatio* carere ſubjectô poteſt, *quà Relatio*; [*Subjectum* enim non pertinet ad *Relationem*, niſi *concretam*, atque *à poſteriori*,] at carere *fundamentô*, [efficiente ſui,] non poteſt. Itaque, cum ſint *ſeparabilia*, differunt *realiter*: *Tum*, quod cum alii *fundamentum* faciunt vel *remotum* vel *propinquum*, quod ſit *ratio fundandi*, ſolum *poſterius*, poſſit ad *Relationem*, ſufficere. *Fundamentum* enim *remotum*, ſicut non reperitur in *omni Relatione*, [debebat vero ſi eſſet *requiſitum Relationis quà Relationis*,] ità vel ſæpiſſimè coincidit cum *ſubjectô inhæſionis*, [velut cum *fundamentum remotum paternitatis*, vocant *ipſum eſſe* & *naturam patris*,] quod non eſt *de eſſentiâ Relationis*; imo: De ſe nunquam fundat *Relationem*. Nunquam enim verbi cauſâ; *potentia generandi*, aut *natura generationi apta*, [fundamentum, *ipſis*, remotum] faciet ut *animal* ſuſcipiat *Relationem Parentis*, niſi tranſeat ad ipſum *generandi actum*; qui eſt *fundamentum* Relationis iſtius *propinquum &c*: *Terminum relationis* cum nomino, non intelligo aliquid, quod ſubſequatur *Relationem*; ſicut

cum

eum accipiunt, qui *Fructum Relationis*, [velut *Unionis*, communicationem] vocant *terminum*; & ſolent aliàs appellare *ſuppoſitum* generationis, & *calorem* calefactionis, *terminum*; ſed illud *ad quod Relatio refertur*, atque ita eſt *Relationi de eſſentiâ*. Stat enim certè *eſſentia Relationis* in *τῷ eſſe, ſeu ferri ad*, nempe ad *terminum*; quomodò pridem habuit ejus *definitio*. Utut autem *terminus* hic, *intrinſecus Relationi* non poteſt dici, quippe ab eâ *realiter* diſtinctus; ſed & interdum, per longa ſpatia ità ſeparatus, ut poſſit *Cygnus in Daniâ*, propter *ſimilitudinem*, referri ad *Cygnum* qui ſit in *Hiſpaniâ* vel *Indiis* &c: tamen haberi debet *de eſſentiâ Relationis*, eô modô, quô Relatio, *ſine reſpectu ad hunc talem terminum*, non poteſt eſſe. Unde non auſus fui, *terminum* vocare ipſam *formam Relationis*, ſed tantùm *aliquid ad formam relationis*. Cæterum *terminus* ille, *formaliter*, non eſt ipſum *correlatum*: Hoc enim quà tale, non incipit niſi factâ jam *Relatione*, ut mox infrà, pluribus patebit. Atqui *terminus*, debet eſſe *Relationi de eſſentiâ*. Neque eſt *abſolutum* illud, quod eſt *cauſa* ſeu *fundamentum Relationis in correlatô*; ut nunc multi ſplendidè nugantur. Quàm enim eſt certum, quod *terminus* om-

omnis bonæ Relationis debeat eſſe *aliquid abſolutum*; tam eſt certum, quod *formaliter*, illud, *fundamentum correlati*, non poſſit eſſe. quià *terminus* debet eſſe *coexiſtens cum Relatione*, & *ab eâ ſimpliciter inſeparabilis*. At *fundamentum correlati*, ſæpe evaneſcit. velut *actu generari* in *filiô* &c: Dictum de his etiam ſuprà fuit. Ergò nihil aliud manet reliquum; quod *Relationis terminus* eſſe poſſit, [nempe *formalis*,] præter *Subjectum* illud, cui ſupervenit, quod adeptâ *relatione*, dicatur *correlatum*. Idem verò non *Accidens*, ſed *Subſtantia* eſſe debet. Quià enim ſuprâ deduximus, omnem *Relationem bonam*, debere eſſe *Mutuam*, neceſſe eſt ut eadem à *terminô* retrograda, fulciatur, [ſicut alia omnia *accidentia*] à *ſubſtantiâ*, & ſic eâ parte etiam *terminetur à ſubſtantiâ*. Itaque fruſtrantur ſe & alios, qui docent; *Relationes eſſe poſſe etiam inter accidentia*, ut *albedinem* & *albedinem* &c: præterquam enim quod *terminus* ità, non ſit *ſubſtantia*; etiam *fundamentum*, cum *ſubjectô Relationis*, coincidit. Id quod pridem fuit caſtigatum. Atque ità fuerunt examinata *Requiſita Relationis*, *à priori*. Ad *Relationem* autem *à poſteriori*, ſeu *Concretam*, præter modò explicata, *fundamentum* & *terminum*, etiam requiritur certum aliquod

ſub-

Subjectum inhæſionis: Quô ſine, *Relationes*, non magis poſſunt ſubſiſtere; quàm omnia reliqua accidentia. Ingens verò in *Philoſophiâ* pudendum, committunt, qui ſine delectu, æquè *ſubjectum*, ac *fundamentum*, *terminum*, *&c*: ad *Relationem* requirunt: Cum *ſubjectum hoc*, non magis eſſe poſſit *requiſitum Relationis*, quàm ſit requiſitum aliorum *omnium Accidentium*; hoc eſt: ubique & ad *Relationem*, & ad alia *accidentia prædicamentalia*, ſic ſit ineptum, ut *Relatio*, aut aliud *quodcunque accidens*, ſumptum cum *tali ſubjectô*, non ſit niſi *Ens per accidens*. Quod in *Categoriis Ariſtotelicis*, non habere locum, manifeſtum eſt. Rectè (b) JAVELLUS: *Prædicamenta, quià ſunt ſumma genera, idcircò debent eſſe aliquid ſimplex*. Si quis autem volet *hæc requiſita*, ſub *cauſarum* ſchemate concipere, [ſiet vero id multò rectius] habebit *Relationis materialis* ſeu *concretæ*, Cauſam *Efficientem* quidem, *fundamentum*: *Formalem*, ipſam proclivitatem, ſeu reſpectum aut tendentiam ad terminum: *Materialem*, Relationis ſubjectum in quô. Ubi ipſi ſubſiſtendum eſt. Etenim *Finis*, pro hac amplitudine non ſuppetet. Quià, utut ille quidem eſſe poteſt *aliquarum Relationum*, velut *unionum propriè talium*;

(b) 5. Met. q. 23.

tum; quarum *finis* eſt *communicatio* &c: tamen quem mihi *finem* dabis, *ſimilitudinum*, *æqualitatum* &c. Poſt hæc, facilè intelligitur, quorſum evadunt *relatum* & *correlatum*. Nam *relatum*, non eſt *requiſitum* alicujus Relationis; ſed eſt ipſa *Relatio concreta*, quippe *ſubjectum Relatione affectum*. Similique cenſurâ, *correlatum*, neque illud *requiſitum* eſt *Relationis*, aut *abſtractæ*, quià [ſicut dictum] poſt Relationem, primò incipit: aut *concretæ*, quià hæc ſat habet in *formâ* [*relativâ*,] & *ſubjectô*, [quomodò omnia *accidentia concreta*.] Eſt ergò, nonniſi *termini*, aliquod *conſequens adjunctum &c.* Quibus expeditis, res nunc monet, ut ex illâ διεκβάσει, [quę mihi prius fuit neceſſaria] redeam ad propoſitum, de *Ubi* & *Habitu*. *Ubi prædicamentale*, definiunt accuratiores, *Alii*, per *accidens*, *notans præſentiam finitam*: *Alii*, per *accidens habitudinem inferens ad Spatium*: Atque faciunt vel *Defintivum*, [ſpirituum finitorum,] vel *Circumſcriptivum*, ſive *locum*, [corporum] Nos ſicut extrà ſcopum, admiramur, quare, cum ex dilaudatâ hypotheſi, *Loci* ratio, ponatur in *ſpatiô*, nunc vult aliquis, *ubi* definire, per *habitudinem ad idem ſpatium*. Foret enim illô ſenſu, *Locus*, qui eſt *ubi circumſcriptivum*, etiam ille *habitudo ad ſpatium*, hoc eſt; *ad ſeipſum &c*: Ita poſt paulò dili-

G gen-

gentiorem [illegible], nihil adeò hîc invenimus, quod *diſtinctum prædicamentum*, aperire poſſit. *Ubi Circumſcriptivum*, ſive *Locum* ante patuit, eſſe *Relationem*. *Ubi* autem reliquum, ſeu *Definitivum*, mox conſtabit, aut non eſſe *Accidens*, aut & illud, nonniſi *Relativum*. Quô quidem demonſtratô, hoc eſt; *Utroque Ubi* detractô, nihil vel ex confeſsô, manebit reliquum, quod *hanc claſſem*, complere aut tenere poſſit. Invadamus rei arcem. Si *Spirituum*, v. c. *Angelorum habitudo ad ſpatium finitum*, erit *accidens*, erit etiam tale, ſive *accidens*, in *ſpatiis extrà mundum*, ſeu *imaginariis*: Cum & in illis, *Angeli* Deo ſuo infinito, præſentes, *ſpatium* ſibi *finitum*, definiunt. At ſic, *aut* nullum erit *Ubi tranſcendentale*; [quomodo enim hoc explicabis, niſi per *præſentiam*, *remotô omni extrinſecô*, ſeu *in vacuô?*] *aut*, præſentia corporum in tali *extrà mundum ſpatiô*, eſſet & illa *accidens*: Quod *abſurdum*. Siquis vult reponere, quod *habitudo ad ſpatium finitum*, ſaltem cum additô, *intrà mundum*, faciat *Ubi*, quod ſit *accidens* in *ſpiritibus finitis*, æquè ac facit in *corporibus*; poteſt ille ſenſu abundare ſuô. Quanquam nondum attulit aliquid, quod evincat, *Ubi* adhuc facere aliquod *diſtinctum prædicamentum*. Foret enim adhuc *tale Ubi*,

[æquè

[æquè ac *locus* corporum,] *Relatio*: quippe nihil aliud, quàm *reſpectus Angeli ad aliquod intrà mundum corpus, ad vel intrà quod, Angelus præſentiam ſibi definivit.* Ità *Relationis* hujus *fundamentum*, eſt *à parte* quidem *Angeli*, tanquam *ſubjecti*, actualis definitio, talis intrà mundum ſpatii; *A parte* autem *Corporis*, tanquam *termini*, actualis receptio ejuſdem definitionis. Ex quo *fundamentô*, ipſa illa *Ubietas*, ſeu *Relatio*, reſultat inter *Angelum*, & illud cui *Angelus* eſt præſens. Atque hôc factô, *ubi prædicamentalis* ad *Relationes*, tranſitu, claſſis ejus vacua, & ſic nulla, remanet. Nequidquam meliori fato obnoxium eſt, etiam *Prædicamentum Habitus*. Ad quod oſtendendum, per *aſſertiones aliquot*, tanquam gradus, ibo; & ſub iis, *veteris ſententiæ rationes*, magnam partem, refutabo. Primò: *Norma & principium conſtitutivum prædicamenti Habitus, ſicut omnium aliorum prædicamentorum, eſt forma ſeu denominans, non concretum ſeu denominativum. Forma*, inquam, *latè ſumpta*, ſic ut *fonti omnis denominationis accidentalis*, reſpondere poſſit: Neque enim aliàs, omnia accidentia, in rigore ſunt *formæ*. Ità *Concluſio noſtra*, per ſe manifeſta eſt. Nam non ſolum ipſi conſonant, in *Prædicamentis*, primum locum eſſe deferendum *formis* & *ſimplicibus*; inde atque re-

 ducti-

ductivè, *concretis ex formâ &c.* Sed & in *Paronymô*, terminô circa Syllogen omnis denominationis extrinſecę occupato, prius æſtimant, quod in eô, eſt *abſtractum* ſeu *denominans*, quàm *quod denominatur*, aut *denominationem*. Ergò ad *prædicamentum Habitus*, non debent [ſicut fit,] congeri ſola *denominativa*, ocreatus, loricatus, numellatus &c. Sed vel maximè & *primò* inquirendum in illud, quod dat talem denominationem, & quod eſt illius *forma*. Secundó: *Forma ſeu principium ejusmodi denominationis, non poteſt ſtatui formaliter in aliquô adjacente, multò minus corpore.* Hoc eſt: *Habitus*, non poteſt *formaliter* dici, aliquid *adjacens*, idque *corpus*. *Prius*, patet: *Tum*, quod *ejusmodi adjacentia*, magnam partem, *Entia* ſint *per accidens*, [quippe concreta ex *Naturâ*, quæ dat ſubjectum, & *Arte*, quę dat formam, velut *diadema, gladius, tunica, ocrea, pallium &c.*] ἀφιλόσοφοι verò foret, *prædicamentum* erigere ex *entibus per accidens*, five *omnibus*, ſive *aliquibus*: *Tum*, quod ejusmodi *concreta*, aliò pertineant *primariò*; [quanquam enim de ſe, *Ens per accidens*, in nullô prædicamentô ſit; interim, ſi hæc manufacta, tamen aliquò δι' ἀναγωγῆς ſunt referenda, futura eadem ſunt, non *Habitus*, ſed *Qualitates*,

&

& certarum materiarum *figuræ*:] *Tum*, quod ejuſmodi, non ſint *denominantia*, adhuc *proxima*; ſed *remota*. Nam non dicitur v. c. aliquis *tunicatus*, *calceatus &c.* proximè à *tunicâ*, aut *calceô*; ſed ab *unione* ſeu *adhæſione tunicæ*, aut *calcei ad partes corporis*. Quomodò ergò *aurum* & *argentum*, non ſunt *Habitus*, quià *remotè* aliquid denominant *deauratum*, & *inargentatum*; ità neque *tunica &c.* *Proximè* enim ab *aurô*, *argentô*, *ære*, *&c.* denominantur *aureus*, *argenteus*, *æreus*, *ſalſus &c.* quæ longè aliud ſunt, quàm *deauratum*, *inargentatum*, *obæratum*, *ſalitum &c.* quià *illa*, formam inſinuant *ſolitariè*, & cum *ſubjectô propriô*, [quatenus per ſe, aliquid eſt ex *aurô*, *argentô &c.*] *Hæc* autem, *unitè*, & cum *ſubjecto communicato*, [quatenus forma *auri*, *argenti*, *æris &c.* aliis eſt appoſita.] *Poſterius* patet: Quià pleraque *denominantia Habituum*, non ſunt *corpora*. Certè *lorica*, *ſtola*, *pileus*, *ocrea*, *gladius &c.* ex quibus denominari volunt *loricatum*, *ſtolatum &c.* non ſunt *Corpora*, ſed *Accidentia*. Res enim valet à *formâ*, quæ hîc *accidentalis*. Tertió: *Forma & principium denominationis habitualis, non poteſt formaliter ſtatui in adjacentiâ, ſeu quacunque ſeu artificiali.* Solent *Scholæ*, colligere ſub *hoc prædicamento*,

to, denominationes ab *adexiſtentiâ* rerum *externâ*, & eâ potiſſimum *artificiali*, petitas; velut quod dicatur aliquid *calceatum*, *cucullatum, numellatum &c.* Sed nequidquam *adæquaté*. Datur prætereà, etiam *adjacentia naturalis*, velut *crinium* circà caput, *ſquamæ* circà piſcem, *corticis* circà arborem &c. Unde fluunt denominationes, *crinitus*, *ſquamatus*, *corticatus &c.* de quibus quæri poteſt, *cujus* fuerint *prædicamenti*? Certè, quò jure *artificialium adhæſio*, erit *Habitus*; erit etiam Habitus, *adhæſio horum naturalium*. Nam denominationes; *crineus*, [da veniam neceſſitati] *ſquameus*, *corticeus &c.* aliò pertinent, hoc eſt; propter *formas ſuas*, ad *Subſtantiam*. *Deinde*: Repræſentat Natura nobis ad intuendum, non ſolùm denominationes ſumptas, *à ſtatu rerum adjacendi ad extrà*; ſed etiam *à ſtatu rerum inexiſtendi ad intrà*. Quomodò vulgare eſt: *pectus* eſſe *pulmonatum*, [incidunt verò hîc neceſſariò aliquot *novi termini*, qui mihi condonandi ſunt, poſtquam ob *defectum terminorum*, Natura non poteſt negligi &c.] *caput cerebratum*; *uterum impregnatum*, (ſive fætu intus gravem;) *oſſa medullata*; *cælum ſtellatum*; *locum corporatum*, [hoc eſt, corpore intrà ſe repletum,] *tonnam aeratam*, *cereviſiatam &c.* Quò autem in *prædica-*

dicamento, diſponuntur *cohæſiones rerum ad extrà*, etiam diſponentur *cohæſiones hæ ad intrà*, & ſic æquè erunt *Habitus*, ac *illæ*. Quartó: *Forma denominationum, à rerum cohæſione, ſivè ſyndrome petitarum, tam ad intrà, quàm ad extrà, hoc eſt; univerſum prædicamentum Habitus, nil niſi unio, ſeu Relatio eſt.* Hæc coitio erit acerrima; quià ſic ægrè volent Quirites. Interim res ſe tamen ità habet; & δεῖν ϗ βέλτιον εἶναι ἐπὶ σωτη-ρίᾳ τ̃ ἀληθείας, ϗ οἰκεῖα ἀναιρεῖν. *Sancta Veritas, tenenda.* Quid enim amabò, *pileatus, coronatus, ocreatus, tunicatus, ſtolatus, cucullatus, inargentatus &c.* aliud ſunt, quàm *uniones* ſeu *Relationes, pilei, ocreæ, coronæ &c. ad ſua corpora?* Quarum *fundamentum*, ſit à parte quidem *ſubjecti*, ipſa *unitio*, [v. c. τὸ *eſſe pileatum*, pileatio, ſeu appoſitio pilei ad verticem;] à parte autem *termini*, actualis unitionis iſtius [v.c. pileationis] *receptio*. Ut *forma* ipſa, ex quâ fluant tales denominationes, non ſit aliud quàm *unio*, ſeu *ſtatus permanens* iſtorum unitorum ad ſe invicem, atque ſic *Relatio.* ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Pergo ad *Situm*, & ſimiliter concludo. Primó: *Situs non eſt formaliter habitudo partium in ubi.* Quare enim *habitudo partium in ubi*, magis faciet diſtinctum *accidens prædicamentale*, quàm

facit *earundem habitudo in duratione*, ſive in *tempore?* Adhæc: notum eſt *Situm*, debere eſſe tanquam *accidens*, à ſubjectô ſuô diſtinctum. At quid obſecro datur, quod *formaliter*, faciet illud *accidens* in *Situ?* An *reſpectus ad ubi?* Minimé. Poteſt enim eſſe *Situs*, quô locô, *ubi*, & *reſpectus ad ubi*, non ſunt niſi *tranſcendentalia*; ut ſi quis ſteterit, aut ſederit *extrà mundum &c.* Ubi ergò *ubi*, aut *reſpectus ab ubi*, non ſunt ipſa *accidentalia*, neque poſſunt *Situi*, comparare *eſſe* aliquod *accidentale*. Secundò: *Situs formaliter, non eſt ordo, aut poſitio partium.* Præterquam enim, quod, [*παχυμερῶς* loquendò,] *ordo*, aggregationem notet, quæ non cadit in *accidens prædicamentale*, & *poſitio*, ſit *Actio*, [ut manifeſtum] etiam datur *Situs*, æquè *partis*, ac *partium. Oris* enim *ſpecies*, *ſupina*, *prona*; *manus in rectum protenſa*, *convoluta*; *brachia pendula*, *ſinuoſa &c. pedes inflexi*, *alterni*, *divaricati &c.* anne & illa, boni *Situs* ſunt? Atqui eadem, non ſunt *partium*, ſed *partis*. Pergo & concludo Tertió: *Situs formaliter non eſt ipſa extenſio*, *ſeu Quantitas.* Ratio in promptu eſt, quià poteſt v. c. *Stans* & *cubans*, eandem partium, quà *longitudinem*, *latitudinem &c.* habere *extenſionem*, [velut ſi quis *membris uniformiter diſpoſitis*, primò ſteterit, hinc

hinc jacuerit,] cum tamen adhuc *ſtans*, non poſſit dici *cubans &c.* Quartó: *Situs formaliter eſt ſpecies Qualitatis*, nempe *figura*. Patet: Quià remotis, de quibus modò fuit concluſum, *Ubi*, *Ordinatione*, *Quantitate &c. Situs* aliter quàm ut *figura*, ſub conceptum, non poteſt cadere. Quid enim, *ſeſſiones*, *cubationes*, *ſtationes*, *genuflexiones &c.* aliud ſunt, quàm certæ corporum *formæ*, aut *figuræ*? Itaque *figuræ* veterem definitionem amplio, [nam quid vetat?] & ſic corrigo. *Figura eſt qualitas terminans quantitatem, quâ lineæ, vel linearum diſpoſitionem, aut ſtatum corporis partium, vel partis.* Aliqui eam definiunt, per *qualitatem, modificantem quantitatis terminos*. Sed deſideramus in illâ definitione, *tum*, quod adhibeatur terminus *modificare*; per quem intelligunt *modificationem* non *realem*; ſed *rationis*: quaſi *figura* non differret *realiter* à *quantitate*; in quod ſuprà fuit animadverſum: *tum*, quod modificatio illa referatur ad *terminos quantitatis*. Poteſt enim ſenſus eſſe, quaſi *figura hæc*, aggregaretur ex multis *terminis*, atque ità fieret ex iis, *Ens per accidens &c.* Quò alludunt, qui *figuram*, confundunt cum ipſâ *pulchritudine*, coagmentatâ ex *quantitate*, *coloribus*, *ſitu partium* &c. aut definiunt per *a-*

liquid agens temperie lineamentorum & colorum. Imó : quomodocunque *figura* videri poteſt ſupervenire *Quantitatis terminis*, eſt adhuc ipſa, una ex iis, quæ terminant ſive excipiunt *Quantitatem*. Alij definiunt *figuram*, per *aliquid determinans Quantitatem*: Alij per *aliquid determinans Quantitatem in ſuperficie*. ſed hæ *Definitiones*, nimis *generales* ſunt. Etiam *color*, etiam *Qualitates tactiles*, *partium ſymmetria*, & *proportio &c*: ità determinant *Quantitatem*. Nos itaque, *Genere*, quantum opus, atque controvertitur, antè vindicatô, ità *figuræ differentiam*, concipimus, ut dicamus ſub *disjunctione*, figuram verſari, aut circà *diſpoſitionem lineæ* vel *linearum*, atque ità ſit *figura ſtrictè ſumpta*; qualis *circularis*, *pyramidalis*, *cubica* &c: [non eſt autem ſemper *linearum*; quià *curvitas*, *rectitudo &c*: etiam *unius lineæ*, eſſe poſſunt,] aut *Circà ſtatum corporis partium*, vel *partis*; atque ſic eſt *Situs*. Interim *ſtatus*, hîc non ſumitur, pro *conditione rei*, quâ aliquid in *bonô*, *mediocri*, vel *iniquô* dicatur *ſtatu*; neque pro *Rhetorum quæſtione*; aut pro illâ *corporis formâ*, [adæquatè,] quâ quis pedibus ſuſtinetur &c. Sed ut eſt certa *partis*, vel *partium*, *poſitura*; ferme juxtà illud (c) Plauti: *In ſtatu ſtat ſenex*,

(c) Milit. Glorioſ. Act. 4. ſc. 9.

nex. Quamquam, quod ille *toti* tribuit, hôc mihi liceat ęquè ad *partes* ac ad *totum*, uti. Ità ergo, *Quator prædicamentis*, ex vulgari numerô, defectis, *ſex*, non plures, pro naturâ hâc determinatâ, *Claſſes*, remanent. Idque eô, quô ſequûntur *ordine*: Nempe, *Subſtantiæ*, *Qualitatis*, *Motionis*, [ſive *Actionis* & *Paſſionis*,] *Quando*, *Quantitatis*, & *Relationis*. Nam ut eò tandem & deveniam, nequidquam inter *Accidentia*, προεδρίαν obtinebit *Quantitas*. Etenim, *Qualitas*, *Motio*, & *Quando*, poſſunt cadere, non modò in *formas*; Sed & in omnes *ſpiritus finitos*. *Quantitas* autem non ſequitur, niſi corpus, & ens illud ignavum, *materiam*. Eſt ergò *accidens ſpiritus*, longè excellentius *accidente corporis*, ſeu *materiæ*, & ſic illud jure debet antecedere. Ut ſilentii velariis involvam, quod adhuc *Qualitas* & *Quando*, poſſint etiam prætereà afficere *materias*. Oportet autem, quod competit ſimul & *formæ* & *materiæ*; jus προλμεύειν habeat præ eô, quod nonniſi *ſoli* competit *materiæ*. Obducunt quidem: *Modum cognoſcendi*, progredi à *materialibus* ad *immaterialia*; & *materiam* eſſe priorem *formâ*: Ideò oportere, ut quę ſit ſoboles materiæ, *Quantitas*, ordine etiam antecedat *Qualitatem*, quæ eſt ſoboles, formæ &c. Sed

Reſpondemus: Ordinem prædicamentorum ſumendum eſſe à *dignitate*, & non *modò cognoſcendi*. Aliàs enim, contrà omnium rationes, fore *Subſtantiam*, prædicamentorum, ultimam; quià cognitio noſtra, prius cadit ſuper *accidentia*, quæ in *ſenſus* incurrunt &c. *Deinde*: Præterquam, quod *Qualitas* etiam eſſe poteſt, æquè ac *Quantitas*, ſoboles *materiæ*, [velut *figura, potentia paſſiva, tactilis &c.* combuſtibilitas, friabilitas, aſperitas, glabrities &c.] etiam gratis dicitur *materiam*, eſſe ordine priorem *formâ*. Etenim *forma*, non educitur è *potentiâ materiæ*, [id quod fuit ſeculorum aliquot ſomnium;] Sed cum *materiâ* ſimul traducitur. Eſt non *ex*, ſed *in materiâ*. Quare autem *Relationi*, ultimum inter *Accidentia* locum aſſignamus, facilè intelliget, qui perpendit, non tam quod *Relatio* neceſſe habeat petere ſuum *fundamentum*, [quô ſine *efficienter* non poteſt eſſe] à plerisque *abſolutis accidentibus*; quàm quod *Relatio*, *ens* ſit nonniſi *minimæ entitatis*, atque eapropter, *abſolutô omni*; & *poſterior*.

[8] *Eſt* [euunciativum,] in *Subſtantivum* ſive ὑπαρκτικὸν, ut Deus eſt; *Copulativum* ſeu συνδετικὸν, ut Deus eſt omnipotens; *Servile*, ſeu ἐμφατικὸν, ut Deus eſt in cęlis; vel *Tropicum*, ſeu εἰρωνικὸν, ut 1. *Cor*. IV. 8.

ſatu-

ſaturati eſtis; pro, *non eſtis*. Ità (d) *Alſtedius*. A quô reliqui *Calviniani*, ità differunt, ut poſtremam hanc *termini eſt*, acceptionem, nempe *Tropicam*, ferè nonniſi *ſignificativam*, (e) admittant. Sed revera, *Eſt* ὑπαρκτικὸν, & ἐμφατικὸν, eſt συνδετικὸν, atque ab eô non *diſſentit*: *Eſt* autem τροπολογικὸν, confictum. De *Emphaticô* res eſt manifeſta, & tam clara, ut mirer aliquem, in eô potuiſſe labi. Ὑπαρκτικὸν, quià ὕπαρξιν, ſeu exiſtentiam includit, etiam illud *copulativum* eſt *implicitè*. *Propoſitio* enim: *Deus eſt*, reſolvitur in hanc; *Deus eſt ens*, ſeu *eſt exiſtens*. Certè quod *implicitè* copulat, etiam illud copulat, atque ita non eſt *copulativo*, opponendum. *Eſt Tropicum*, prorſus eſt figmentum: Sive ejus *monitor albus*, ſive *ater* fuit. Nos perſuaſi ſumus, tale *eſt*, ſive illud cum *Alſtedio* hîc εἰρονικῶσ, ſive cum aliis σημαντικῶσ accipias, nullum eſſe poſſe. *Tropus eſt mutatio ſignificationis propriæ, in alienam. At verò τὸ Eſt*, aliam *propriam* non habet *ſignificationem* quàm *ſyncategorematicam*, *temporis*, per quod *partes*, ſeu *categoremata* propoſitionis, utpote,

(d) Encyclop. Met. c. 1. Reg. 13. & in Rhetor. c. 3. Reg. 3. (e) Zvingl. Calvin, Beza, Muſculus, Paræus &c.

ſubjectum, & *prædicatum*, connectit. Muta jam illam τοῦ *Eſt*, *temporis ſuppoſitionem*, & non luxabis, ſed evertes *totum corpus propoſitionis*: Ut quod ſine *vinculô*, partes cohærentes, non poteſt habere. Quomodò quod non *copulat*, ipsô eô, *copula* eſſe deſinit. Callopiſmate quidem aliquô inungere conatur *Chamier*, hanc deformem buccam, cum diſtinguit inter *dimiſſionem ſignificationis abſolutum* & κατά τι; quam dicit fieri, *cum ſignificatio inducitur non prorſus alia, ſed vicina &c.* Sed ea ipſa, *Chamier*, *vicina ſignificatio* eſt in Quęſtiône. Breviter: In *illâ*, aut eſt copula, aut non eſt copula. Si *hoc*, ratio à nobis proximè allata, obtinet: Id eſt; nulla facta fuit propoſitio. Si *illud*, ità ut v. c. propoſitio: *Hæc imago eſt Cæſar*, ſit idem quod, *ſignificat*, ſeu *eſt ſignificans Cæſarem &c.* jam, quià *copula*, *eſt ligamentum inter partes medium*, Et ſic non magis *prædicati quàm ſubjecti pars*, erit τὸ *ſignificans*, non in *copulâ*, ſed in *prædicatô*; & adhuc *copula*, *invariata* ſtabit. Si quæres autem, numne *hæc copula*, poſſit in propoſitione parere talem *vicinam ſignificationem*, *quæ utut non ſit copula, ſed prædicati pars, tamen verè ex copulâ reſultet &c.* negabo. Quià enim τὸ *Eſt*, nullam *principalem ſignificationem* habet; ſed

tan-

tantummodò (ut dictum) συγκατηγορεῖσθαι, ſi permutas illam ejus, *temporis ſuppoſitionem*, cum aliâ, & dimittis eandem, ad aliam quamcunque *vicinam ſignificationem*, (v. c. hîc ad τὸ *ſignificare*,) efferet ſanè τὸ *Eſt*, ſuam *minus principalem ſignificationem*, in *principalem*, (ſignificare,) Et ſic, quod non ipſum habet, dabit alii. Quod ἀσύμφωνον. Loquendô autem *in ſpecie*, de *Eſt Ironicô*: Satis manifeſtè etiam illud *copulativum* eſt: ut quod *explicitè* copulam involvat, nempe exponendô, (quæ ipſorum eſt *ὑπόληψις*,) *eſt*, pro *non eſt*. Aliàs non rectè dicitur, *Eſt ironicum*, *negativè exponi* poſſe &c. *Tropica* enim *quà Tropica*, *neque negant*, *neque affirmant*. Quod do alibi evictum. An ergò, [*dicet* aliquis] *Eſt* illud *Aiſtedianum*, ità putas amputandum, ut ex ejus membris nullum aliud remaneat, quam συνδετικόν? Rectè conjicis: In illâ quidem σκέψει, nullum aliud agnoſcimus. Interim non negamus *Eſt Enunciativum*, poſſe *diſtingui* aliâ viâ: Nempe in *Exegeticum*, ſive *Reſtrictivum*, vel *Syzygeticum*, ſivè *Copulativum*. *Illud*, cum *materiâ* propoſitionis concreſcit, potiſſimum *implicitè*, ut cum dico: *homo vivit*, *morietur &c.* ſuppono enim *ſubjectum*, de *ſtatu*, quô nunc *eſt homo*, non quô *fuit*, Ut ſenſus ſit: *ille*

qu

qui nunc eſt homo, vivit atque morietur, non *qui fuit &c.* Sicut ergò *omne* v. c. *ſubjectum*, neceſſariò requirit propter *certitudinem ſuppoſitionis*, ad minimum *implicitè*, [cum propter ſermonis rotunditatem hoc non ſemper fiat *explicitè*,] aliquod *verbum*, [quod in *ſubſtantivum*, ultimò reſolvi poſſit,] ità non raro etiam, *temporis præſentis*, *Eſt*. Vocamus illud *Exegeticum*, & *Reſtrictivum*, quod propoſitionis terminos explanet, & reſtringat ad *certam ſuppoſitionem*. *Hoc*, [nempe *Syzygeticum*,] eſt quod *formam* propoſitionis ſignat, tanquam partium ejus vinculum; [non eſt ergò magis *prædicati*, quàm *ſubjecti pars*, ſed eſt medium quid, inter utrumque, ſeu eſt ipſa propoſitionis *forma*.] Poteſt *ſubdividi*, in Eſt *Secundi Adjacentis*, ſeu *Binarium*, & *Implicitum*, ubi copula tegitur in prædicatô; veluti *Deus creat*; *Eſt*, *ſignificat &c.* [ubi *Nota*: Nihil impedire, quô minus *Eſt Secundi Adjacentis*, quod alii ſolùm ὑπαρκτικὸν faciunt, *abſtractius* elevemus, & ſumamus pro *omni Eſt Binariô*,] vel *Tertii Adjacentis*, ſeu *Trinarium*, & *Explicitum*, ubi copula ſtat ſeorſim: Velut; *Deus eſt creans*; *Eſt*, *eſt ſignificans &c.* Quanquam *Implicitum*, & *Explicitum*, etiam dividant *Eſt Exegeticum*. [9] *Motum*, in *Rectum*, *Circularem*,

rem, vel *Mixtum*. Ipſi illi, (f) qui ſic *diſtingvunt*, oſtendunt, omnem *motum circularem*, eſſe *mixtum*, propterea, quod *circuli partes minimæ*, *lineolæ rectæ ſint*. Atque hinc, corpus quod *motu circulari* movetur, ſimul etiam moveri in *rectum*, ratione iſtarum *rectarum lineolarum*, ex quibus *circulus omnis* conſtet &c. Recipimus conditionem, & gratias agimus, qui nos labore ea oſtendendi, ſublevant. Nam ſi *Motus Circularis*, *Mixtus* eſt, quorſum ergò, *Mixto* opponitur? *Alii* diſtinguunt *Motum* immediatè, in *Simplicem* vel *Mixtum*, ità ut *illum*, iterum *ſubdiſtinguant*, in *Rectum*, vel *Circularem*. Qui & ipſi nobis hîc monendi ſunt. Nam ſi *motus circularis*, ut evictum, *Mixtus* eſt, non debet *Simplici* ſubordinari; ſed opponi. [10] *Regulam Trium*, in *Directam*, *Inverſam*, vel *Compoſitam*. Termini paſſim cogniti ſunt ex *Arithmeticis*. At verò *Compoſita*, eſt & illa, tum *Directa*, tum *Inverſa*, atque ideò eutri *opponenda*. Cum potius ità dividat *iſtinctum*, ut poſtquam *Regula Trium*, rimò fuit vel *Directa*, vel *Inverſa*, ſit *illa ſa*, iterum, vel *ſimplex*, [Trium] vel *mpoſita*, [Sex Quantitatum;] atque ità illa exhauriat *diſtinctum ſuum*. (11) *Majeſta-*

(f) Tatingh. Clav. Phil. nat. p. 119.

jeſtatis, in *Realem*, ſive *Regni*, vel *Perſonalem*, ſive *Imperantis*. *Illa*, ſe in *hanc* diſſolvit. Eſt enim *una*, & *minimè diverſa poteſtas*, quam à *populô* acceptam, uſurpat *Princeps*; ut qui dignitatem & præeminentiam ſuam omnem habet, prout repræſentat perſonam, non privatam, ſed *Regni*, ſive *Publicam*. Atque hæc paulò fuſius ad *Uſum* [illegible]. *Uſus* in θέσει, ſępe incidit. Multorum exemplorum inſtar ſit diſtinctio, *Non-aſſenſus*, in *Non-aſſenſum tantùm*, vel ſimul *Repugnantem*. item: *Non-repugnantiæ*, in *Simplicem*, vel *Volitam*. cujus membra legitimè *diſſentiunt*. *Rivetus* (g) præſumit: *Non aſſentiri vocanti, & eidem repugnare, unum & idem eſſe, variis vocibus enunciatum*. Item: *Non poſſe aliquem ſtatuere ſe non repugnaturum Deo vocanti, qui non eliciat actum voluntatis, quod nolit repugnare. Et quod, ille actus negativus, affirmativum neceſſariò ſecum trahat, nempe quod velit aſſentiri &c.* Sed non eſt unum atque idem: *Non-aſſentiri vocanti*, & *eidem Repugnare*, cum poſſit quis *non-aſſentiri* iis, quibus non decrevit tamen, ſe opponere. Quomodò *Magiſtratus*, propter cauſas, interdum tolerat multa, quæ quàm maximè tamen improbat & deteſtatur &c. Neque confun-

(g) In Oſe: cap. 2. p. [illegible].

fundenda eſt *Non-repugnantia Simplex*, cum *Non-repugnantiâ Volitâ*. Nam præterquam, quod *Non-repugnantia* dari poſſit, ubi *Voluntas*, *aut* non eſt, *aut* non eſt in exercitiô; velut in *cadavere* ad reſurrectionem; in *infante* ad regenerationem &c: certè non eſt neceſſarium [quantum ad *κεκλήμενον* attinet] ut qui *non repugnat vocationi Dei*, mox hoc ipſum apud ſe *ſtatuerit*. Cum eorum, qui per conciones Chriſti & Apoſtolorum fuere converſi, etiam aliqui, non præciſè propter *opes illas cæleſtes* venerint; ſed pars curioſitate ducti; alij fortunâ; plurimi cauſâ valetudinis amiſſæ &c: in quibus tamen, cum non ponerent obicem, *Spiritus Sanctus*, fidem per verbum, operatus fuit. Ut ità *aliud agentes*, & quaſi aſinas quærentes, regnum beatiſſimum fuerint ſortiti. Ità multi ad novarum linguarum famam exciti, dum in *Apoſtolos* loquentes incidunt, & operationi Spiritus Sancti, quietè ſe permittunt, convertuntur &c: *Act*: 11. 4, 37. *ſeq*: Adhæc: *Infantibus*, [de *Electis*, certè concedet *Rivetus*,] Gratia regenerationis, *non-repugnantibus* illabitur; quod certè *non-repugnare*, iidem non poſſunt *velle*; poſtquam *ignoti nulla* eſt *cupido*. Nam illos quidem, deſtitutos rationis uſu, hoc neſcire mani-

manifeſtum eſt. Tantum abeſt: Ut *Non repugnans*, *ſemper ſtatuat illud ſuum Non repugnare*; aut ut *actus negativus*, [non repugnare,] *neceſſariò trahat ſecum actum affirmativum*, *quod velit aſſentiri*. Niſi ſi *ſtatuere*, *Riveto* idem eſt, quod *velle* ſeu *in animô habere &c*: tum enim nemo dubitat eum, qui ſic *ſtatuit* aliquid, [v. c. ſe non velle repugnare Deo vocanti,] *actum* ad hoc *voluntatis elicere*; ſed illud *velle*, ſeu *ſtatuere*, in *irregenito*, nemo Noſtrum dicit eſſe *ſalutare intrinſecum*, [ut eſt *Riveti* & Aliorum, de nobis præjudicium:] *hoc* enim unà cum *Non-repugnantiâ*, ad quam tale *velle* fertur, utpote *parte renovationis ſpiritualis*, quatenus homo carnem mortificat, & ſpiritui intus monenti & redarguenti paret &c; totum eſt à Deô, *Phil*: II, 13. ſed *extrinſecum* ſaltem, atque *pœdagogicum*, quatenus homo naturalis ſive animalis, poteſt ſecundum opus legis ſcriptum Dei digitô in cordibus, *velle* moraliter *non-repugnare Deo*, ſecundum aliqua legis, [τὰ τοῦ νόμου,] *Rom*: II, 14, 15. & *ſpecialius*: propter famem verbi, huc illuc diſcurſare, *Am*: VIII, II, 12. Dominum quærere, *Act*: XVII, 27. verbum, [medium ordinarium *vocationis*] libenter, *Marc*: VI, 20. Imò; cum omni προθυμίας, *Act*: XVII, II. ac-

accipere &c: Talis quidem *Non-repugnantia*, nempe *Extrinſeca moralis*, datur *volita*, in irregenitô; ſed non [qualem nobis affingunt *Calviniani*,] *Intrinſeca Spiritualis*. Diſtanr æra lupinis. Et in *Spiritualibus non-repugnare irrigeniti*, nunquam eſt *poſitivum*; ſed ſemper *negativum*.

OBSERVA:

I.

§. Diſſenſus, non tantùm debet eſſe inter membrum & membrum; ſed etiam inter membrum & membri membra.

Regula enim habet: *Heterogeneorum, quorum alterum, ſub alterô non continetur, diverſæ debent eſſe differentiæ*. Nempe, non illæ ſolùm *Eſſentiales*; ſed & *Accidentales &c.* Ut æquè *oppoſitorum*, *differentiæ* ac *conſequentiæ*, fiant *oppoſitæ*. Eſtque hoc adeò evidens & manifeſtum, ut etiam, quotieſcunque *Membra aliqua*, cum *Oppoſitis diſtinctis* permutantur, nunquam eſſe poſſint *adæquata*. Ut non ſimplex crimen, incidat. Do exemplum. Cum *Logicorum Aliqui*, diſtingunt *Synonymum*, in *Univocum*,

cum, vel *Analogum*, non ſolùm, oppoſitum Synonymo, *Paronymum*, ità diſtingui poteſt; ſed & utrique oppoſitum, *Æquivocum*. Unde mox patebit, quod *membra illa, toti non ſint adæquata ſuo*. Paronymi *univocatio*, cum ſit clara, ſit certè ejus etiam *analogia*, cum refertur, v. c. unum verum, bonum &c. ad Deum & creaturam: Vivere ad animam & corpus &c. Similiter & in *Æquivocis*, iisque *Caſualibus* quidem, incidit *univocatio*; ut cum Gallus, cum homine & ave glocitamte confertur: Clavus cum paxillô, & navis gubernaculô &c. In *Deliberatis* autem, *analogia*, velut referendô hominem, ad vivum & pictum: Sanitatem ad animal & urinam &c. Unde conſequitur, diſtinctionem hanc *Synonymi*, eſſe præpoſteram, & nimis humilem: Quippe cujus membra, cadant adæquatè, non in *Synonymum*, ſed in *Terminum Conſentaneum*, prout hic à *Synonymô* præſcindit; hoc eſt: Sub ſe comprehendit, tum *Æquivocum*, tanquam Terminum Conſentaneum Nominalem; tum *Synonymum* & *Paronymum*, tanquam Terminos Conſentaneos Reales. Atque ità *Univocum* & *Analogum*, ſoli *Synonymo* in Logicâ ſubjecta, præterquam quod malâ fide, quaſi conſpirent cum hoſte; hoc eſt: Etiam conveniant oppoſi-

tis,

tis, neque manent *adæquata toti ſuo.* Fuitque par & non alia ratio, de Diſtinctione *Potentiæ Paſſivæ*, in *Naturalem* vel *Obedientialem*, & quàm plurimis; de quibus partim *ſuprà*, partim *Cap. ſeqq.* III. *Theſ.* IV. *&* *Axiom.* 4. habes.

Observa:

II.

§. Membra diſſentientia, eſſe duûm generum.

Quædam enim *ex totô*, ſunt diſſentientia; [idque vel *ſemper*, vel *interdum:*] Quædam verò, nonniſi *ex parte.* Dicuntur verò *ex totô* diſſentire, quæ ſunt oppoſita & quà *formale*, & quà *materiale*: *Ex parte* verò, quæ ſunt oppoſita, vel quà *formale*, vel quà *materiale.* Membra, quæ *ex totô* & *ſemper* diſcrepant, plurimùm generoſa ſunt. Qualia eſſe omnium *exquiſiti & exacti calculi Diſtinctionum*, volumus, quas hîc nihil opus recenſere, cum ubique incidant. *Diſtinctiones* autem, quarum membra *interdum* ſaltem, *ex totô* ſunt diſſentientia, *his* dignitate cedunt, & inferiora ſunt: Ut cum *membra* quidem *ſemper* ſub *formali* pugnant & diſſentiunt; ſed ſub *materiali*, non

non niſi, vicibus interruptis. Talis deſultoriæ diſſenſionis ſpectaculum præbent *Diſtinctiones*, quas pauciſſimas adducam, [1] *Principii* in *Eſſendi*, vel *Cognoſcendi*. Quà *formale*, nunquam, *Principium Eſſendi*, [per quod aliquid nimirum producitur aut exiſtit,] eſt *Cognoſcendi*, [per quod aliquid intelligo &c:] ſed *materialiter*, ſæpe: prout *cauſa*, nos ſæpe ducit ad *effecti ſui*, intellectum &c: [2] *Efficientis*, in *procreantem*, vel *Conſervantem*. Nunquam *procreans quà procreans*, eſt *conſervans*; ſed non rarò tamen illud ipſum, quod *procreat*, etiam *conſervat*: cum præterea etiam, *conſervare* poſſit aliud, quàm quod procreet &c: [3] *Fulminis*, in *Terebrans*, *Urens*, vel *Diſcutiens*. *Fulmen Terebrans quà Terebrans*, non eſt *Urens* &c: interim ſæpe fieri poteſt, ut quod *terebret*, idem *urat*, & quod *urat*, *diſſipet* ſeu *diſcutiat*. Cum & nonnunquam *terebrans*, non *urat* &c: quale quidem inter multa, eſt illud *fulmen*, quod ajunt fœtum in uterô matris occidere, matre ſalvâ & incolumi. [4] *Amicitiæ*, in *Honeſtam*, *Utilem*, vel *Iucundam*. Ut plurimum, quæ *Honeſta* eſt *amicitia*, *materialiter*, eadem, & *Utilis*, & *Iucunda eſt*; ſed interdum tamen vel *honeſtiſſimè amare* eſt *amarum*, atque, vulgus amicitias, *utilitate*

te (& non honeſtate,) probat. *Membra*, quæ *ex parte* tantùm, opponuntur, omnium viliſſima ſunt, & maximè degenerant. Cum ea tamen prorſus *rejectanea* non dixerim, poſtquàm valent *ex ſemiſſe*; & *hâc cauſâ*, non *temerè*, jam inde à priſcis ſeculis, fuerunt uſurpata. Ea ſunt, quæ [ut præfatus fui] inter ſe *diſſentiunt tantùm*, aut quà *formale*, aut quà *materiale*. Quà *formale* quidem; velut *membra* Diſtinctionum: *Privationis*, in *abſtractam*, vel *concretam*; *Corporis ſublunaris*, in *elementare*, vel *elementatum*: *Quantitatis continuæ*, in *lineam*, *ſuperficiem*, vel *corpus*: *Capitis minutionis*, [apud *ICtos*] in *Minimam*, quæ familiam adimat; *Mediam*, quæ familiam & civitatem: *Maximam*, quæ familiam, civitatem, & libertatem: Quò refer, [quæ huc ferè ſpectant] *Diſtinctiones Analogas Accidentales*; *Caloris*, in *tepidum*, vel *fervidum* &c: in quibus & ſimilibus, *ſequens membrum*, ſemper imbibit *anterius*, eô modô, ut habeas *materialiter* quidem: in *Privatione Concretâ*, *Abſtractam*; in *Corpore Sublunari Elementatô*, *Elementare*; *Lineam* in *ſuperficie*; *hanc* in *Corpore*; omnes gradus *Caloris tepidi*, in *fervidô*, [Iuxtà; *quod magis tale eſt etiam ſimpliciter tale eſt*] &c. cum illic tamen non liceat dicere, aut con-

H ver-

verſim : *Privationes Abſtractæ*, ſunt *Concretæ*; Corpus *Elementare*, eſt *Elementatum &c*: poſtquam nihilominus, *formale* ſtat *oppoſitum*. Non enim *Privationes Abſtractæ quà Abſtractæ*, ſive *tantùm*, ſimul cum *ſubjectô* ſunt *concretæ* ſuô : Neque *Corpus tantùm Elementare*, eſt ſimul illud corpus, quod ex *elementis* & *principiis chymicis*, mixtum eſt : *Linea tantùm*, ſive *Longitudo*, non eſt ſimul *Latitudo*, ſive *Superficies* : ſolùm *tepor*, ſive *Calores pauci*, non ſunt ſimul *Calores plures*, ſive *fervor* &c: Ut ità, *particulæ excluſivæ*, *ſolùm*, *tantùm* &c: *formale* ejusmodi membrorum, adhuc ſervent impermixtum, atque incommunicabile. *Notandum* verò, nè quis fruſtretur ipſe ſe, & ſic cogitet : *Diſſenſus* membrorum *formalis*, (h) ſuprà fuit explo[illegible] & nihilominus tamen hîc admittitur &c: Quod ibi terminus *Formalis*, fuit oppoſitus *Reali*, ut ſit idem quod *Diſſenſus fictus*, ſeu qui non eſt *niſi in mente* &c: [ità diſſentiunt *formaliter*, *Unum*, *Verum*, *Bonum*, *Actio*, & *Paſſio &c*:] *hic* autem opponitur (non *reali* ſed) *materiali*. Quià *materiale tantùm*, diſſentiunt membra Diſtinctionum, *Subſtantiæ Singularis* ἀνϑυπάρχτε, in *Suppoſitum*, vel *Perſonam*: *Cauſæ per accidens*, in *Ca-*

(h) In veſtibul, declarition. ad poriſin, præced.

Caſum, vel *Fortunam*: Et alia, quæ his facili manu, poſſunt adiici. *Suppoſitum* ſanè, & *Perſona*, conveniunt *formaliter*, quatenus utrumque eſt *modus Subſtantiæ primæ, completæ, per ſe ſubſiſtentis &c.* Sed *materialiter* diſſentiunt: quatenus, *Perſona* eſt ſubſtantiæ ejusmodi, *intellectualis*; *Suppoſitum* verò alterius cujuscunque &c. Idemque eſt de *Caſu*, & *Fortunâ*: Sicut explico, *Tmem: Poſter. Cap. Secund. Theſ. x.*

Observa:

III.

§. Membra diſſentientia, etiam debere talia eſſe ſonó.

Hoc eſt: Terminis quàm maximè *planis*, & vel *primô ſenſu* ſonôque diſcrepantiam ſignificantibus, exprimi. *Quò* enim *ſignificantior terminus*, *eò melior*. Igitur, ſi *membra* quidem κατ̓ πρᾶγμα & ratione *rei*, ſunt oppoſita; κατ̓ ὄνομα verò, & ratione *vocis*, prout intellectus primò ſuper illa cadit, præ ſe ferunt ſpeciem *convenientiæ*, utut poſteà idoneis verbis declarentur &c. tamen detrahunt valori ſuo, propterea quod intellectum *primò audita*, *aut percepta*, turbent. Ex hoc genere, ſunt *diſtinctiones*: [1] *Gratiæ*

Divinæ, [ordinariæ] in *Prævenientem*, *Operantem*, *Cooperantem*, vel *Perſeverantem.* Miſſis aliorum intricatis *definitionibus*, poſſunt quidem *membra illa*, eſſe inculpata; ſi ſtatuitur *Gratiam Dei*, eſſe *Prævenientem*, cum per media omnibus offertur: *Operantem*, ut non-repugnantibus ſolis confertur: Cum porrò regeneratum connitentem habet, ſive *συνηδόμενον*, *Rom:* vii. 22. & illud quidem *præciſè*, fieri *Cooperantem*; ſi ad *finem* continuatè, *Perſeverantem &c.* [quæ eſt *Gratiæ* in ſe unius, atque indiviſæ, *accidentalis* ſaltem *diſtributio.*] Interim, quià ſub illâ bonâ ſententiâ, *Gratia Operans*, nihilominus opponitur *Prævenienti*, ut poſſit ſenſus videri, [ſaltem imperitis,] quaſi aliqua *Dei Gratia*, non *Operans* eſſet, ſive *vacua*, ſatius fuerit eâ abſtinere; atque locô *Gratiæ Prævenientis*, *Operantis &c.* uti *membris* aliis *clarioribus*, nimirum, *Sufficientis*, vel *Efficientis*; item, *Operantis*, vel *Cooperantis*, ſeu ad *tempus*, ſeu ad *finem &c.* [2] *Electionis Pontificis per Cardinales*, quę (abſtrahendô) dicitur eſſe, *per Viam, vel Spiritus Sancti, vel Compromiſſi*, *vel Scrutinii.* Electionem *per Viam Spiritus S.* intelligunt, cum aliquis ſine Scripturâ, unâ voce omnium congregatorum, fuit nominatus. *Per Compromiſſum*: Cum aliquis à Compromiſſariis, qui-

quibus Conventus, vitandæ partium colliſionis causâ, ad hoc poteſtatem dederat, Pontifex electus fuit. *Per Scrutinium*: Cum aliquis in Pontificem adoptatur per vota Cardinalium conclave ingreſſorum, quæ in Schedulis ſignari ſolent. Atque is mos fermè jam in uſu eſt. Termini ità explicati, boni ſunt, & ſat juſtè, mutuò diſſentiunt: Sed in *Sonô*, tamen vitium eſt. Quià enim, *Via Spiritus Sancti*, hîc opponitur reliquis *duobus eligendi modis*, poſſet alicui videri, quaſi illi tanquam oppoſiti, non fierent ex *directione & afflatu Sancti Spiritus*; (Quod *Pontificiis*, certè abſurdiſſimum erit,) aut ſi fierent, quod *Compromiſſum*, & *Scrutinium*, *Viæ Spiritus Sancti*, non poſſent opponi, cum ſint ei, hoc in ſenſu, *ſubordinata*. [3] *Ubietatis Definitivæ*, ſeu *Spirituum finitorum*, in eam quę eſt *Eſſentiæ*, vel *Præſentiæ*. Auditis enim terminis *Eſſentiæ*, & *Præſentiæ*, ſtatim intellectus concipit eos quaſi inter ſe *non poſſe diſſentire*: Ut qui novit *modum præſentiæ*, *ſequi modum eſſentiæ &c.* hoc eſt: ab eô, non differre, niſi *formaliter*. Imbibit ergò ſuſpicari, quod non poſſit *alicujus Eſſentia*, eſſe ubi non ipſum illud, cujus eſt *Eſſentia*, ſimul *Præſens* ſit. Nihilominus, rectè hoc interpretantur *Metaphyſici*. Quando in-

telligunt per *Præſentiam*, ſeu *Ubietatem Præſentiæ hujuſmodi*, *Totum eſſentiæ Spiritualis.* Quò in ſenſu, rectè oppoſueris *Præſentiam*, *Eſſentiæ*: Ut *hæc* ſæpe ſit, ubi non *illa.* Etenim ità exponendò terminos, *anima* quidem eſt in pede *tota*, ſive quà *Eſſentiæ Ubietatem*; ſed non, *ejus totum*, ſivè quà *Præſentiæ Ubietatem*: Cùm ſecus, *anima non eſſet alibi.* [4] *Intentionis*, [apud *Scholaſticos*] in *Actualem, Virtualem*, vel *Habitualem.* Poteſt facilè ſuboriri cogitatio, quod quicquid eſt in *habitu*, nec *actu*, id ſit *Virtuale.* Antequàm attenditur ipſorum *expoſitio*, quâ *Intentio Virtualis*, eſt potentia poſt actum imbecillem atque rarum: *Habitualis* autem, potentia poſt actum roboratum & frequentem &c. Nam illa quidem expoſitio legitima eſt; Sed *ſonus terminorum*, adhuc captioſus. Poſſe enim Philoſopho, (uti monitum) incidere, *intentionem* quæ non eſt *actu*, eſſe *Virtualem*; atque ità *Habitualem*, *Virtuali* non opponi &c. Germana, imò gemella huic, eſt *Diſtinctio Intellectus Patientis*, in *Poſſibilem*, *Actu Primô*, vel *Secundô*. Quanquam enim termini illi ità incruſtentur, ut *intellectus Patiens*, ſeu qui ſpecies intelligibiles in ſe recipit & judicat, ſit *Poſſibilis*, cum eſt in potentià ad habitum: *Actu Primô*, poſt-

quam

quam illum ſibi acquiſivit: Et *Actu Secundô*, cum ſecundum habitum acquiſitum aliquid contemplatur &c. tamen quia omnis *Actus Primus*, eſt *Poſſibilis*, quatenus ad *Secundum* poteſt tranſire, facilè fieri poteſt, ut ad mentionem terminorum, *Actus Primi*, & *Poſſibilis*, aliquis in eam opinionem inducatur, quaſi *res* terminis illis denotatæ, non opponerentur, &c. [5] *Motus Solaris*, [apud *Aſtronomos*] in *Medium*, vel *Verum*, ſive *Apparentem*. *Illum*, quem oculus ex centrô eccentrici &c. obſervat: *Hunc*, quem ex terrâ. *Vocàbula* certè iſtarum rerum valdè perturbata ſunt. Nam debuit *Motus Medius*, dici *Verus*; & non *Verum*, ſtatui Synonymum *Apparenti*, quod ſolet apud Philoſophos, eidem *opponi*. Quô fit, aut certè fieri poteſt, ut dum animus, terminos hoſce, ità vult retinere, quomodò eos ſolitus fuit concipere, hoc, eſt, *Verum*, *Apparenti opponere*, excidat veritate, & enormiter eosdem ſibi imprimat.

8. Diſtinctio in ſe bona, ratione applicationis, poteſt fieri vituperabilis.

Differt hoc *Axioma*, à *Poriſm.* 5. *Ob-*

ſervat: 3. Nam *hæc*, loquitur de *Diſtinctionibus* bonis, in *diverſô ordine*, [velut cum *Nominales*, pro *Realibus &c.* venditantur;] *Axioma* autem *hoc Octavum*, concernit *Diſtinctiones ejusdem ordinis*, & *malæ* tantùm *applicationis* in ſenſu. Judicium autem *vitioſæ* illius *applicationis*, ad *inſitam* materiæ cujusque *ſedem* ſpectat, & ei, qui eſt rerum domi gnarus, hoc eſt: qui *Phyſica*, ex *Phyſicis*; *Ethica*, ex *Ethicis &c.* novit judicare, non poteſt eſſe difficile. Dabimus iterum exempla aliquot; cum iis plauſtra fermè onerari poſſent: Ità frequenter *Scholæ*, in hanc aurem dormiunt. Diſtinguunt, [1] *Pontificii*: *Mediatorem*, ratione *Redemptionis*, vel *Interceſſionis*. Quæ in locô, etiam laudem habent: Cum ſint multi, qui *alios lytrô liberent*; atque etiam, *qui pro aliis deprecandô ſeſe interponant*, tum apud Deum, quàm apud homines, &c: quamdiu illi, adhuc *in vivis* ſunt. Sed velle ad *Sanctos mortuos*, hæc tranſmovere, quaſi & illi *Mediatores* ratione *Interceſſionis*, eſſe poſſent, foret ineptum. Scriptura enim, plures *unô mediatores*, non commendat, 1. *Tim*: 11, 5, 6. qui idem eſt, & *Advocatus noſter*, & *propitiatio pro peccatis noſtris*, 1. *Ioh*. 11, 1, 2. Nullas ejusmodi de *Sanctis*, fiduciarias habemus literas. Et verò quomodò

modò *Sancti mortui*, tales *Mediatores*, hoc eſt; *Numina Tutelaria*, ad quæ in preſſutis noſtris confugeremus, eſſe poſſent: cum non norint *corda noſtra*, aut neceſſitatum noſtrarum, aliquam cognitionem habeant? Quemadmodum enim *Scriptura*, *ſoli Deo*, [notetur *excluſiva*] cordium cognitionem tribuit, 1*Reg.* VIII, 39. 2.*Par.* V 30. Ità etiam ait: *Mortuos*, *nihil ſcire*, *non curare ea*, *quæ ſub ſole geruntur*, *non videre*, *non recordari*, *quieſcere*, *obdormire*, *non operari*, Imò: *Cogitationes ipſorum perire &c. Job.* III. 13, 17. & X, 18, 19. *Pſal.* VI. 6. & XXX. 10 & *LXXXVIII*. 11, 12. & *CXV*. 17. & *CXLVI*. 4. *Eccleſiaſt*: IX. 5. *Apoc*: XIV. 13. Et *Pauli* ἀνάλυσιϛ *ex hac vitâ*, ità erat comparata, ut factâ eâ, perſona ipſius, porrò non prodeſſet ad *profectum*, *& gaudium fidei. Phil.* I. 23, 24, 25, 26. [2.] *Pœnam* in *Damni*, vel *Senſus*. Si quis, per *illam* vellet intelligere, *pœnam externam*, corporis, famæ, opum &c. per *hanc* autem, *pœnam internam* ſeu mœſtitiam, ob jacturam talis alicujus boni, aut *reciprocè*; ſtaret ſuô talô *hæc diſtinctio*. Verùm cum eam *Grex Lojoliſticus*, transfert ad *punitos in infernô*; quaſi ipſorum aliqui tantùm affligerentur *Pœnâ Damni*; hoc eſt, animi quôdam cruciatu, ob memoriam excluſionis ſui, à beatâ Dei

viſione; Aliqui autem, *Senſus* illic ſuſtinerent *pœnas*, hoc eſt: ignis infernalis: algâ vilior eſt *Diſtinctio*. Poſtquam in *Scripturâ* ſomnium ſit, aliquos beatiſſimô excluſos bonô, ſolâ *Damni Pœnâ* coerceri; nitaturque illud *αἴτημα*, nullâ aliâ re magis, quàm mendaciis *Limborum*. [3] *Calviniani: Peccatum*, in *Abſtractum*, vel *Concretum*. Quomodò *hæc Diſtinctio* tolerari poteſt, abundè fuit declaratum *Axiom: præced. 5. Claſſ. Secund. Claviniani*, expoſituri, quomodò Deus concurrat, cum *actionibus Inordinatis*, æquè ac *Nos*, diſtinguunt, in *peccatô concretô*, inter ipſam *actionem*, & *ἀταξίαν actionis &c.* Sed probari nihilominus non poteſt illa *applicatio*; quià ſi ovi iſtius columbini, ſenſus incubus eruatur, prodit hæc vipera: Quod *concurſus Dei cum ejusmodi actione, adhuc eam ità prædeterminet, ut voluntas mala, non poſſit non eâ abuti, quò via fiat ad, (quod fingunt) abſolutum Dei decretum &c.* Ea verò, ſicut aliunde, ità plenius unô locô cognoſces, à (i) *Voëtio*, diſertè tribuente, hujusmodi actionibus, *neceſſitatem ſi non abſolutam, tamen limitatam, quod ad actum ſubſtratum, & ordinabilitatem atque ordinationem, in bonum.* Atqui *ἀθεόλογον* eſt, *actus hominum* ità ſyderare: Cum

(i) Diſp: Theol: Part: 1. p. 1132.

Cum oporteat hoc modô, eos, quaſi per occultos funes, cælô, trahi ad exitium. Nam eâ quidem ſententiâ, Deus ut poſſit aſſequi illam *actus vitioſi ordinabilitatem*; & obtinere finem, ſuæ aut *juſtitiæ* aut *Miſericordiæ* declarandæ, volet ut aliqui ſceleribus ſe contaminent &c. Id quod tam fiet *neceſſariò*, quàm (ſecundum *Illos*,) *abſolutè* ſunt deſerti, & quàm ipſorum mali actus, *neceſſariò* à Deô propter *ordinationem &c.* expetuntur. Quâ quidem larvâ informi detractâ, facilè exſplendeſcit, quàm non Deus, ad *peccatum* ſic *concretum*, aut ſubſtratam ei *actionem*, ullô modô convenire poſſit. Etenim, *vult* quidem Deus Optimus, *actus mali finem bonum*; Sed *non vult actum malum propter finem bonum*. [4] *Hominem*, in *Publicum*, vel *Privatum*, ſive *Singularem*. Elegans & utilis eſt Diſtinctio in ſuo forô: Ut quæ vel maximè, inter alia, lucem adferat, quomodò *Adami peccatum*, tanquam *alienum*, in nos poſteros ipſius, derivari poſſet. Nimirum, quià nos omnes in ipsô, tanquam in *homine publicô*, ſubſtitimus; quomodò in eô, tanquam in *ſtirpe univerſæ poſteritatis*, omnes, ipsô ſtante, fuiſſemus exornati, ita ipſô cadente, omnes juſtè ſpoliati fuimus, & illius plagas, non majori injuriâ noſtras fecimus,

quàm *ex vernâ, ſervus naſcitur &c.* Ubi autem (k) *Ferrius* applicat illa ad *animam*, quam à Deô immediatè vult creari; quaſi & illa reatui primi hominis foret obnoxia &c. totô errat cælô. *Anima* enim talis, in *Adamô*, tanquam *homine publicô*, non fuit: Ut quæ à Deô nova conditur, ex *hypotheſi*. Ergò neque ob illud poteſt luere, quod fuit ab *Adamô*, hoc eſt; illô quidem ſenſu, *Privatô*, & ſic *aliô*, patratum. [5] *Extrà*, in *Separationis*, quod excludit τὸ intrà & idem eſt, quod *ſine*; vel *Exceſſus*, ſive *Infinitionis*, atque *Amplitudinis*, quod admittit τὸ intrà, & idem eſt quod *Ultrà*. Ità (l) *Crocius*: Negans *priori modo*, λόγον eſſe extrà carnem ſuam; ſed affirmans, *poſteriori*. Atqui illud *Extrà Exceſſus*, ſive *Ultrà*, in aliis quidem *Unionum* ſpeciebus, ſcilicet *Vulgari*, *Spirituali*, *Symbolicâ &c.* dari poteſt; ſed in *Perſonali*, prorſus eſt ineptum. Tale enim *Extrà Exceſſus*, ſolvit Chriſtum. Etenim: *Chriſtus eſt Deus & homo: Chriſtus ἄσαρκος, ſive in terrâ exiſtens*, [nempe, extrà carnem exceſſivè] *non eſt Deus & homo*: Ergò: *Chriſtus ἄσαρκος, ſive in terrâ exiſtens, non eſt Chriſtus*. Idem *ultrà*

(k) Specim. Schol. orthod. p. 191. (l) Defenſ. ſecund. part. pruten. conv. cap. 18. p. 408.

ultrà carnem excurrens *λόγ☉, non eſt mortuus; non eſt frater nobis ὁμοούσιος &c.* [6] *Lytrum*, (m) in *Sufficiens*, ſeu *Potentiale*, vel *Efficiens*, ſeu *Actuale*. Poteſt illius Diſtinctionis, *geminus* ut *ſenſus*, ſic *valor*, idoneus eſſe. *Lytrum* enim æſtimatur, [in *potentiâ*] vel *Collativè*, & ratione *Accipientis*; vel *Oblativè*, & ratione *Exſolventis*. *Priori* ſenſu: Lytrum *Sufficiens*, ſeu *Potentiale* eſt, quod vim quidem, in ſe, redimendi habet, modò velint ii, quibus deſtinatur; *Efficiens* autem, ſive *Actuale*, eſt quod iis, quibus deſtinatur, in bonum cedit. Ità ſi *Princeps aliquis*, pretium æquivalens mittit in *Turciam*, qro captivis illic redimendis, eſt in ſe quidem illud, *Lytrum Sufficiens*. idem verò, tum primum *Efficiens*, eſt & redditur, cum conditionem *Turca* accipit; & *captivi* actu liberari volunt, atque poſſunt. Sed & de *Lytrô* omnium nobiliſſimô, quod eſt paſſionum Chriſti, pro peccatis hominum, rectè dicimus, quod ſit idem *Sufficiens*, quatenus ex voluntate *Dei* & *Chriſti*, vim habet omnes redimendi, modò nemo omnium reſiſteret: Quià autem, præter *fideles*, omnes reſiſtunt, idem quàm his ipſis actu *Efficiens* non redditur, ut qui ſoli actu ſatisfactionem Chri-

(m) ex Mag: Sentent, l. 3. diſt. 26.

ſti, *fide*, ſuam faciunt. *Poſteriori ſenſu*, ſive ratione *Exſolventis* : Lytrum *Sufficiens* ſeu *Potentiale* eſt, quod in ſe vim redimendi habere poſſet, modò hoc quidem vellet Lytrota : *Efficiens* autem ſive *Actuale*, cujus ſufficientiam Lytrota actu transfert ad redimendum &c: Ità *Eccleſiæ* in unum collectæ *opes*, *Lytrum Sufficiens* eſſe poſſent, pro omnibus, qui à *Turcis* captivi detinentur ; cum illud tamen *Efficiens* non redditur, quià *actu* in uſus illos nunquam fuit ab Eccleſiâ, legatum. Simili etiam ſententiâ, non malè hæc transtuleris ad *Angelos Apoſtatas* : Cum & pro iis *Mors Chriſti*, tanquam *infinita*, *Sufficiens* eſſe potuiſſet, modò Divina imperſcrutabilis voluntas acceſſiſſet. Facilè enim *homo*, in tantô adjumentô, [nempe *ipſius Deitatis*, ſibi ſociatæ,] æquè pro *Dæmone* ac pro *homine* potuiſſet ſatisfacere &c: modò ità placuiſſet Deo. Atque hôc ſenſu, *utraque Diſtinctio*, lucem quidem, uſumque ferre poteſt : Quanquam *poſterior*, tantùm ut *Nominalis*. Pretium enim ex *intentione*, non ſolutum in *Lytrum*, non eſt *Lytrum*, niſi *poteſtate*. *Calviniani*, Diſtinctionem hanc in *primô ſenſu* non uſurpant ; Verum in *ſecundô* : Meritum cruentiſſimiæ mortis Chriſti agnoſcentes quidem pro *reprobis*, *ſufficiens*,

ficiens; ſed ità, ut aut *Chriſtus* eos peripheriâ mortis ſuæ, non voluerit concludere; aut *Deus*, mortem pro his actualem Chriſti, tanquam hoſtiam & placamentum, non voluerit accipere. *Tanta eſt mortis Chriſti*, inquit (n) Wendelinus, *dignitas, ut omnium hominum, ſi vel decies millies eſſent plures, peccatis pleniſſimè per ſe ſufficiat: etſi non omnium peccatis expiandis, id Deus deſtinavit.* Quale quidem *lytrum*, nunquam pendit *Chriſtus*, ut qui ſimul ex ſuâ & patris ſui dulciſſimâ & devotiſſimâ voluntate, ac intentione, æquè qro *reprobis*, ac pro *electis* ſatisfecit. Uti id ſtabiliunt *dicta*, omni arti invictiſſima, & quæ nullis tenebris obſcurari poſſunt: aſtruentia *Chriſtum*, mortuum, jam, pro *totó* ſive *univerſô mundô*, 1. *Ioh*: II, 2. *Ioh*. III, 16, 17. & IV, 13. & VI, 51. & XII, 42. 2. *Cor*: V, 19 jam, pro *omnibus hominibus*: *Eſa*: LIII, 6. *Ioh*. I, 9. *Rom*: V, 18, 19. & VIII, 32. 2 *Cor*: V, 14. 1. *Tim*: II, 6. & IV, 10. *Hebr*: II, 9. jam, (ut rima præcluderetur omni cavillationi) etiam pro *reprobis*, & *qui ſuâ culpâ pereunt*, *Rom*. XIV. 16. 1. *Cor*. VIII, 11. *Hebr*. VI. 4,5,6. & X. 26. 2. *Petr*: II. II. Imo: *Gratia*, [& ſic mors Chriſti,]

ὑπε-

(n) Theol g. Chriſtian. l. I. cap. XVII. p.m. 367. Confer Voët. Deſp. Theol. part. I. diſp. de Merit. p. 253. Mareſ: Syſtem. Theol. Loc. VIII, n. 5.

*ὑπερεπερίσσευσε τῇ ἁμαρτίᾳ Rom:*v. 20. Quod certè fieri non potuiſſe liquidiſſimum eſt, niſi fuiſſet *Gratiæ* ſatis pro peccatô, & ſic etiam *Gratiæ mortis Chriſti*, pro *peccati hôc*, ſive *reproborum.* Non, quià ſolvitur omnibus *captivitas*, Chriſtus redemit omnes; ſed quià ſolvitur omnibus *captivandi neceſſitas.* Neque tamen propterea, quomodò cum *Aliis*, præcipitat (o) *Flochenius*, aut *intentio Chriſti erit fruſtranea*, aut *Lutherani docent*, *per Chriſtum eos fuiſſe redemptos*, *qui ante mortem ipſius*, *jam erant damnati.* Nam *Lutherani* docent, per mortem Chriſti univerſaliter fuiſſe inſtauratos, quotquot adhuc inſtaurari poterant, hoc eſt: *Omnes*, *qui adhuc in viâ erant.* Neque, quià *intentio redimendi & ſalvandi omnes tales*, actu, (plurimis damnatis,) non procedit, ideò *intentio Lytrotæ*, contemnenda eſt. Potuit enim, *non fruſtranea* fuiſſe. Et juſtè Deus, *reprobos impœnitentes*, nullô modô, condemnare potuiſſet, niſi *intentionem eos liberandi & ſalvandi*, ante habuiſſet. Quæ & alia, potuiſſent (p) *Wendelinum*, [niſi is pravis hypotheſibus fuiſſet irretitus,] docuiſſe, quod æquè in *morte*, [ſuâ & Suorum ex ſententiâ] *Sufficien-*

(o) Oper. Theol. Tom. I. Diſp. 22. p. 247. 248.
(p) Chriſt. Theolog. Lib. I. Cap. 17. p.m. 367.

ciente, ac in τῷ *mori Sufficienter pro omnibus*, [id quod agnoſcit,] *dura* eſſet *Catachreſis*. [7] *Philoſophi* : *Diſtinctionem*, [*Metaphyſicam*] in *Realem*, vel *Rationis* ; quam & *Formalem*, *Notionalem*, *Conceptibilem &c.* appellant. Habet & *hæc Diſtinctio*, ſuum locum & uſum : Quomodò Nos eam, etiam ſuprà reſtituimus. Sed non eſt ferendum, quod *Metaphyſici* conſtituant *illam*, nempe *Realem*, inter diverſos conceptus objectivos : *Hanc* autem, ſive *Rationis*, inter conceptum formalem & objectivum, aut inter diverſos conceptus formales, objectô in re unô exiſtente. Nam eâ quidem ſententiâ, abſorbebitur *Diſtinctio Formalis*, in *Realem*. *Conceptus* enim *formales*, inter quos volvi atque agitari ajunt *hanc diſtinctionem*, totidem ſunt *accidentia*, [*actio* enim *mentis*, tam eſt *vera actio*, quàm ſunt aliæ,] & proinde *Realiter*, non *Formaliter* diſtincti, tanquam *res*, ab invicem *Separabiles &c. Deinde* : Quià, cum v. c. diſtingui cognitum eſt, *Attributa Dei* inter ſeſe, *miſericordiam*, *juſtitiam*, *omnipotentiam &c.* atque eadem non poſſunt eſſe *diſtincta Realiter*, cum à *parte rei*, ſint *cor Dei*, ſive ipſe Deus; ut ſic nè ſint *diſtincta* quidem, nedum *Realiter*: neque *Formaliter*, ſeu à *parte conceptus* : Ità enim, quià ſinguli conceptus, ſunt ſingulæ actiones

nes ſive res, quomodò proluſi, diſtinguerentur eadem *realiter*: Nihil reſtat, niſi ut diſtinguantur eadem *Attributa*, *formaliter*, per *diſtincta objecta*. Quæ cum in *re*, non exiſtant talia, erunt certè, [loquendô de *Diſtinctione Formali abſtractè*,] quæ intellectus *aut* ipſe fingit; *aut* ſaltem fingit ut diſtincta. Ità etiam *Diſtinctio Formalis*, erit inter *diverſos conceptus objectivos*, [quod *Diſtinctioni Reali*, ante tribuerunt;] conſtatque, quod *cuivis conceptui formali debeat correſpondere objectivus*, non ille ſolùm quà *Veritatem*, [ſicut omnes concinunt, euntque non quà eundum, ſed quà itur;] verùm etiam, *quà Adæquationem*. Hoc eſt: *Quod tot debeant eſſe præciſè objecta intellectus, quot ſunt ideæ, ſeu conceptus*. Aliàs enim, [ſicut occupavi dicere] v. c. in *Attributis Dei*, aut *Entis &c. Realem, nullámve diſtinctionem*, habiturus es. Quæ cum ità ſint, relinquitur quod *definitiones* memoratæ, refingendæ ſint; atque ut *membra* rectè *applicari*, & *opponi* poſſint, quod ſit dicendum: *Diſtinctionem Realem*, eſſe inter *objecta intellectus, in re & extrà mentis fictionem*, *diſtincta*: [Qualia quidem eſſe poſſunt, partim *negativa*; ut *negationes* & *privationes*, quæ vel nobis animô non utentibus, ſunt diſtincta: partim *poſitiva*, ut

res,

res, aut *modi naturæ*; *ſeparabiles*, *oppoſiti &c.*] *Diſtinctionem* autem *Rationis*, ſive *Notionalem*, inter *objecta intellectus*, *non in re*; *ſed per mentis fictionem*, *diſtincta.* Significanter dico: *diſtincta per fictionem mentis*, non autem, *ficta* ſimpliciter. Quià interdum quidem fingit intellectus *objecta illa*; [ut cum eadem, *Entia Rationis* ſunt,] interdum verò non fingit *objecta ipſa*; ſed tantùm fingit ea eſſe *diſtincta.* Velut qui *Deum* dicit *juſtum*, aut *Miſericordem &c.* non fingit Deum eſſe talem; ſed fingit hæc ab invicem eſſe *diſtincta*, cum in *re* ſint *unum aliquid.* Simul hinc patet, quàm non audiendi ſunt, qui dicunt: *Entia Rationis*, diſtinguenda eſſe *Realiter.* Nam quę in *re* non ſunt, quomodò in *re*, poſſunt eſſe *diſtincta?* *Ens rationis*, habet eſſe, *tantùm objectivè in intellectu.* Quomodò ergò *intellectus*, qui dat *formam* hiſce entibus, non dabit unà & *Diſtinctionem*; quę eſt umbra & adjunctum *formæ?* Vetus eſt: *Formam dare*, [ſicut *eſſe*, atque *operari*, ſic] *diſtingui.* Poſſunt quidem *Notionaliter diſtincta*, ſupponere etiam aliquod *objectum* in *re*; ſed illud tamen, non *diſtinctum*, ſed *unum*, [ſaltem prout tanquam *totum*, æſtimatur,] nempe illud, vel *inadæquatè*, ut eſt *Deus* ratione ſuorum Attributorum; *Ens Singulare*, ratione Uni-

ver-

verſalium, &c: vel *adæquatè*, ſed ſecundum *partes*; ut ſunt *Entia*, quæ vocant, *Prohibita*: Hirco-cervus, chimæra, & ſimilia. [8] *Subjectum*, in *Inhæſionis*, vel *Perfectionis*. Eſt] &illa *Distinctio*, in ſe, inculpabilis. Multa enim alia *perficiunt*, in quibus non ſunt *inhæſivè*. Ut cum *ſubſtantia*, ſubſtantiam perficit; v. c. Deus animam hominis, quam redintegrat &c: Verùm, cum *Distinctio hæc* trahitur *ad Accidentia*; ut dicatur v. c. *fidem* in unô quidem *ſubjectô inhæſionis* eſſe, [quomodò alia omnia Accidentia] ſed tamen poſſe plura *ſubjecta perficere*, qualia ſunt *intellectus*, *voluntas &c*: omnem gratiam oppidò amittit. Etenim, quià *Accidentis eſſe*, *eſt ineſſe*, fieri non poteſt, ut illud aliquid *perficiat*, cui non ſimul actu *inſit*: poſtquam *operatio*, *eſſentiam ſequatur*. Ubicunque ergò præſtò eſt *eſſentia Accidentis*, [præſtò autem eſt, ubi aliquid perficit] illic certè inhærebit; quià *eſſentia ejus*, aliter non poteſt ſalvari. Adeò, in *Accidente*, nullum eſt *ſubjectum perfectionis*, quod non idem, etiam *inhæſionis* ſit. Ut *Fides*, intellectui, & voluntati, quæ *perficit*, etiam ſubjectivè debeat *inhærere*. Nam *Accidens unum*, *pluribus ſubjectis minus principalibus inhærere*, non eſt abſonum. Quomodò *Imago Dei*, ſedit olim

olim illô modô, in *pluribus animæ potentiis*, velut in *ratiocinante*, *appetitivâ*, *ſenſitivâ*, & *loccomotivâ*. [9] *Conſiderationem rei*, ratione ȣσίας, ſive *Eſſentiæ*, vel ὑπάρξεως, ſive *Exiſtentiæ*. Solet perfugium in *illâ Diſtinctione* quæri, quoties reſpondendum, & determinandum eſt : *Utrum Philoſophia ſit contraria Theologiæ* : *Utrum Bona Opera gentilium ſint peccata* : *Utrum Elementa ſint pura* &c: At agreſtis, & prorſus inficeta eſt *Diſtinctionis illius* applicatio, ad *Summum Bonum Ethicum*, ſeu *Civile*: Quatenus jactant, *Bonum illud* dari *realiter*, ratione *Eſſentiæ*, ſeu *Specificè*; [prout in *hôc*, eſt perfectum exercitium illius virtutis, in *aliô*, alterius &c:] ſed non ratione *Exiſtentiæ*, ſeu *Numericè*, quod in nemine, [poſt naturæ vulnus] ſit, aut eſſe poſſit, talis *omnium actuum rectitudo*, qualis ad *illud bonum* requiritur. Quomodò, quod ponunt unâ manu, tollunt alterâ. Eſſe *Summum Bonum Reale* quid, & tamen non dari *ratione Exiſtentiæ*, ſunt ἀσύστατα. Etenim *Status Eſſentiæ, non contrahibilis ad Statum Exiſtentiæ, eſt Non-entium*; quià [ut rectè *Alexander ab Ales*,] *Res non aſſequitur naturam* Entis, *priuſquam aſſequitur eſſe Exiſtentiæ*. Itaque *Summum Bonum*, quod eſt ſaltem in *Ideâ*, ſeu *Eſſentiâ*, eſt confictum;

Reale

Reale tum demum futurum, cum ingreditur in *Eſſe Exiſtentiæ.* Neque enim arbor creſcit ſine radice. (10) *Finem*, in *Internum*, vel *Externum. Illum*, qui per media habitus, ſemper obtinetur: *Hunc*, qui interdum per media habitus, non acquiritur. *Uſus*, & *Abuſus* hujus diſtinctionis, ut tantò melius poſſit repræſentari, aliqua præmittimus. *Primò:* Diſtinctionem hanc concernere *Habitus Practicos*, non *Theoreticos.* Etenim *hi*, non habent aliquem *Finem Specialem*; ſed *Objectis* ſaltem menſurantur; Sat habentes, ſi poſſint omnes in hôc convenire; quod *mentem intenſivè contemplatione veri, perficiant.* Id quod non tam *Finis*, quàm *Uſus* eſt. *Habitus* autem *Practici*, quià ultrà *cognitionem*, ad aliud tendunt, [nempe ad *τὸ operari*,] & verò *extendi* non poſſunt *fruſtrà*, ideò ſinguli *Fines Speciales* habent. *Secundò: Habitus Practicos*, geminos eſſe, alios *Activos*, ſive *Strictè Practicos*; alios *Factivos*, ſeu *Pöeticos. Illi, elicitè* & ſine *inſtrumentis corporis* operantur; ſive in *intellectu*, ut *Logica*, & *Habitus Sermocinales*; [*Grammatica*, *Rhetorica*, *Pöetica &c. Accidentale* enim eſt, quod hi in *Artis* modum, ope *linguæ* aut *manus* efferantur, cum poſſint ἐνδιαθέτως, ſeu in mente, agere,] ſive in *Voluntate*, ut *Habitus*

bitus Prudentiæ: *Hi*, ſive *Factivi*, operantur *tranſitoriè*, & adminiculô *inſtrumentorum corporis*, ſicut *Artes*, ſumptæ tum *ſtrictè*, ut *Medicina*, *Venatoria*, *Fabrilis &c.* tum ἀναλόγως, ut *Theologia*. Hæc enim, quomodò *in cognitione*, ultimò non ſubſiſtit, & eſt *Practica*, Ità rectius, '*Habitus perducendi*, quàm *perveniendi ad ſalutem*, dicitur. Ut ſit *Medicinæ* propior, quàm *Ethicæ*. Quemadmodum enim *Medicus*, etiam ille dici debet, qui propriæ ſuæ non intentus valetudini, *Artis finem*, quærit apud alios: Ità & *Theologus*, poteſt haberi, qui etiamſi non credat aut ſit pius ipſe, tamen aliorum *ſanationi ſpirituali* ſtudet, & per *Verbum* atque *Sacramenta*, tanquam & illa, *inſtrumenta*, apud *Alios*, ad *finem* ſuæ profeſſionis, *Fidem* nempe, & *Salutem*, nititur. Diſtincta ſunt: Eſſe *Fidelem*, & *Theologum*. Quibus ità preparatis, redeo è diverticulô in viam, & pronuncio: Diſtinctionem hanc *Finis*, in *Externum*, vel *Internum*, bonam eſſe, & valere, in *Habitibus Factivis*; ſed in *Habitibus Activis*, eſſe ineptam. In *Habitibus Factivis*, ſive *Artibus*, *Fines*, ut *Interni* quidem *ſemper*; [qui nempe, non ſunt aliud, quam *propria cujuſque Artis operatio &c*:] ità *Externi*, ſępe incidunt. Maximè, ubi *Artifex in objectum*

ſtum Separatum, agit. Velut, cum *Medicus*, [animæ aut corporis] non aſſequitur *ſanitatem*, quam intendit; *Venator*, *Piſcator &c*: non potiuntur *exoptatâ animalium capturâ*; *Sutor*, *calcei* ad pedis munimentum, *uſu*; *Piſtor*; ſalutari panis *eſu &c*. Quæ *fruſtrationes* frequentiſſimæ ſunt. Minus autem frequentes, & quaſi nullæ, quoties *Artifex in ſe ipſum* agit. Uti cum *fidicen*, *ſaltator &c*: recreant ſe ipſos; *Medicus*, [*tempore*, *modôque convenienti*, applicans remedia,] ſemet ſanat &c. Nimirum: loquendô de *Habitibus his abſtractè*, benè de iis dici poteſt, quod *Fines*, vel *Externos*, vel *Internos* habeant. Nempe *illos* ad minimum, quoties ad aliquid *extrá Artificem*, contendunt. De ſe enim *Habitus Pöetici*, ſaltèm dicunt *operari per media competentia*, prçſcindendô, utrum *ſubjectum* fuerit *idem*, vel *diverſum*. Sicut *Medicus*, pro *fine* habet curare *corpus quà corpus*, non (neceſſariò,) *ſuum corpus*: *Fidicen* pro *fine* habet, *aures delectare*, non (prçciſè,) *ſuas aures &c*. Atque ità *omnes Artes*, ſuô modô ſunt *Stochaſticæ*, hoc eſt; *Finibus Externis* gaudent. Sed loquendô de *Habitibus Practicis Activis*, errant, qui putant *hanc Diſtinctionem*, iis poſſe injici; cum non habeant *Fines Externos*. Conſcios enim habeo *Schola-*

larum Magiſtros, quod *habituum iſtorum*, indoles ſit, ut *intrinſecè ἐν ἐνεργείᾳ* ſiſtant, omneſque operationes ſuas, edant *elicitè*, ſive in *intellectu*, ſive in *volumtate*. Ut fuit ante explicatum. jam verò *Intellectus*, & *Voluntas*, non poſſunt cogi; & ſic neque amittere aliquid, ad quod cauſas in *ſe ipſis*, habent. Quales quidem *cauſæ*, ſunt *Habitus Activi*, ſeu *Habituum Activorum* media, ad *Fines ſuos*. Explorentur ſinguli. *Logicæ Finis* [ſecundum illos,] *Externus*, *rectitudo actuum mentis cognoſcentium*, *in omni Scibili*, ſive *Veritas Organica*, ſemper quidem obtineri poteſt. Finge enim non poſſe, & culpam imputabis, illius ſive *formæ*; ſive *materiæ*; ſive *formæ*, & *materiæ* ſimul. Non *formæ*, hoc eſt, *præceptis*, ſive *inſtrumentis*. Illa enim, in omni functione mentis, ità certa ſunt, ut dummodò rectè fuerint cognita, & naturæ ſuæ convenienter applicata, neminem debeant aut poſſint fallere. Neque *materiæ*; hæc enim, à *reliquis Habitibus Pirncipalibus*, (quorum *Logica*, ſerva eſt,) deſumitur. Atque eò tam eſt vera, cum *Logicæ* applicatur, quàm eſt in *Habitu* ſuô *propriô*, ſive *Principali &c.* ut quæ non alia, ſed qualis in ſe ſit, *Logico* veniat in officinam, & illius *praxi*, ſive *mediis*, & *organis*, ſubijciatur. Sed nec ejus

formæ & materiæ ſimul, hoc eſt; *mediorum applicationi.* Logica enim, ità veritatis inſtrumenta exhibet,ut ſimul *fontes* monſtret, unde hauriendum : tradatque artificium, non minus *eruendi*, quàm *tractandi* ſingula; in hoc *locis* & *ordinibus diſtinctis*, factis &c: Quibus rectè obſervatis, nemo juſtè conqueri de *Arte*, poteſt. *Dices*: Experientia tamen obloquitur, multos, qui ex *Logicæ præſcriptô* quàm maximè operantur,falli: atque illud ipſum facilè fieri poſſe, ſive propter *intellectum*,qui ſe ad *Veritatē* ſępe habet, ὥσπερ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα, πρὸς τὸ φέγγος μεθημέραν. 2. *Met*: *c.* 1. ſive *ipſorum* etiam *Habituum*, nævô aliquô: hoc eſt; *ſive* Logicę, *ſive* eorum, ex quibus materiam ſuam, Logica mutuatur. Neque enim *Habitus omnes* etiamnum tam feliciter eſſe conceptos, ut nihil poſſit in iis deſiderari &c: *Reſpondemus*: Inſtantiam hanc non eſſe ad propoſitum. Illa enim loquitur de *Logicô*, aut *Logicâ hac*, in *concretô*: Nos autem loquimur *de Logicâ quà Logicâ*, *abſtractè*; & pro eâ, dicimus cauſam. *Aliud* eſt quærere: *Utrum Logicus*, [*Logicam hanc*, methodicè concipiendo, aut conceptam uſurpandô,] *errare poſſit?* quod conceditur; & *aliud* eſt quęrere: *Num deficiat*, *aut deficere poſſit Logica ipſa?* *De ſe*, Logica æſtiman-

manda eſt, non ex *Logico concipiente.* Οὔτε γὰρ (q) τέκτονος ἀΐδρειη, τεκτοσύνης αὐτῆς, ἀφυΐη· οὐδὲ αὐλητέω ἀμουσίη, Μουσικῆς ἀσοφίη. Similiter, ſi quod in *reliquis Habitibus* eſt vitium, etiam illud ipſorum non *eſſentiam*, ſed *exiſtentiam*, concernit. Quanquam de iis, poſt tot ſeculorum ſymbolas, nunc certè benè ſperare poſſumus: non quidem *abſolutè*, quaſi nihil ipſis addi poſſet, ſeu quà *methodum*, ſeu quà *rerum noVarum* εὕρησιν; ſed quà *inVentarum*, [loquendô de *Habitibus correctiſſimis*, qui ab animô æquô, & liberô à partibus, facilè cognoſcuntur,] ſaltem *non-falſitatem*. *Habituum Sermocinalium*, *Finis Externus*; v. c. *Declaratio ſeu diſcretio conceptuum*, *per ſermonem purum*, eumque vel *quatenus purum*; [*Finem Externum Grammaticæ*] vel *quatenus quantum*, [*finem Poëticæ*] vel quatenus *potentem*, (finem *Rhetoricæ*) etiam ille *ſemper* reſpondet. Quis enim vellet dubitare quin *Bonus Grammaticus*, aut *Poëta*, poſſet, quandò vellet, per *ſermonem idoneum*: ſenſa animi ſui rectè diſcernere, non ſolùm *apud ſeſe*, & *elicitè*, [quod ſufficeret] ſed & *linguâ*, *calamôque*? Tantò minus hîc opus, nodum in ſcirpô quærere. *Rhetoricæ Finis Externus*, *Potentia dicendi* ad *delectationem*,

(q) Lucian. De Aſtrolog.

admirationem, aut *perſuaſionem*; [*perſuaſio* enim ſola, non eſt *Finis Externus adæquatus*; nam ſæpe perſuadentes, tamen aliud, ultrà *finem internum*, obtinemus; hoc eſt: pungimus ad *delectationem*, *admirationem &c*:] etiam ille ſemper eſt in poteſtate *Habitus Rhetorici*. Imó: [*Dices*] totus à fortunâ pendet; cum etiam diſertiſſimâ oratione interdum aliquis non perſuadet &c: Vetus malum: Quaſi *Fines menſurandi eſſent ex iis*, *quæ ſunt accidentalia ad Habitus ſuos*. *Accidentale* eſt, quod *Rhetor* apud tales collocutores dicat, qui aculeos ejus poſſint eludere, hoc eſt; *Externos*: cum poſſit *apud ſe ipſum*, ἐνδιαπίδως dicere, ubi nemo *finem*, quem volet, ipſi eripuerit. Quod quidem ἐνδιαπίδως, ſeu *elicitè* dicere, ſola *eſſentialis* ipſius *functio* eſt: adeò, ut ſi vel maximè velit *orator* verba facere ad alios, prius tamen neceſſe habeat, omnem artis apparatum *propriô ſuô animô* evocare, & ipſe ſibi eos induere *affectus*, quos in aliis ciere, & movere volet. Id quod jubet *Lex Dicendi*. Itaque ſecundum hanc *eſſentialem actionem*, *Rhetorica*, nullum *finem externum* habet, à quô poſſit ſuſpendi. Nimirum; non negamus *Rhetoricationem Externam*, ſeu *ad alios* directam, ſæpe falli, & vim nullam adferre animis; ſed di-

dicimus illam eſſe *actionem* prorſus *extraeſſentialem*, ad *Rhetoricam*, tanquam *Habitum*, *naturâ Elicitum &c:* ideoque ex eâ, *Finem aliquem*, non poſſe determinari. Qualis enim *Habitus*, talis *Finis*. Eadem eſt ratio de *Summô Bonô*, [ipſis] *Fine Externô Ethicæ*. Quod ut exſculpatur, poſtulo *Primò*: *Summum Bonum, non poſſe ſtatui in habitu Virtutis*. Ratio eſt; quià *Finis Ethicæ*, debet eſſe Habitui ſuo ſimilis, hoc eſt; *Practicus*. jam verò *Habitum Virtutis*, eſſe poſſe, *radicaliter*, tum in *Otioſô*, qui non eum actu exercet, [quomodò eſt *Theoriæ* proprior, quàm *Praxi*;] tum in *malô*, ut qui poſt *habitum virtutis* acquiſitum, poteſt ad impuram delabi vitam; *Habitu virtutis*, manente indelebili. *Secundò*: *Summum Bonum, non poſſe ſtatui in Actione ſecundum habitum virtutis, non interruptâ, atque perfectiſſimâ*. Quod eſt contrà *Peripateticos*: Ut qui *Summum Bonum*, ex 1. *Ethic. Nicom. c.* 7. definiunt, per *operationem animæ ſecundum virtutem optimam, & perfectiſſimam &c.* atque negant *dormientes, & miſeros*, eſſe poſſe *Summè Bonos*, quod actu Virtutes non exerceant &c: Verùm, ſi illæ hypotheſes ſtabunt, *Summum Bonum*, *Ethicæ Finis*, non poteſt eſſe. *Finis* enim ad minimum *aliquandò*, debet per-

Media Habitus ſui, impetrari poſſe. Atqui *Summum Bonum*, in illô perfectionis gradu, modôque, nunquam obtinebitur. Cum nemo *omnes illas Virtutes in ſummo gradu*; imò, nè quidem *unam earum, extrà affluxum omnium vitioſarum circumſtantiarum*, hoc eſt; *perfectiſſimam*, poteſt exercere. Nedum ut illud *ſine reſpiratione*, poſſet facere. Nos itaque, [cum fas ſit *Finem Ethicæ*, ex *Ethicâ* poſſe ſequi,] ut muri illi, pro noſtris exſtruantur opibus; & humero, (quod dicitur) pallium, accommodetur, ita *Bonum illud* definimus: *Summum Bonum civile*, ſeu *felicitas civilis*, *eſt rectitudo actuum voluntatis moralium*, *mente integrâ*, *pro poſſe*, *ſedula & perfecta*. Circà *Definitum*, addimus τὸ *Civile*: quià dantur etiam plura *Summa Bona*, videlicet *Theoreticum*, & *Practicum Spirituale*. Non dicimus idcircò, *Summum Bonum Practicum*, quià *Spirituale* hoc, etiam eſt *Practicum*. Quà *Definitionem*: *Genus* facimus, *rectitudinem actuum voluntatis*; ut nimirum *facultas appetitiva*, recta & ęquabilis ſit; atque adeò nihil cupiat, niſi quod *Normæ ſuæ*, *Honeſtati*, & *Naturæ legi*, ſit conforme. Qualis *notio*, eſt *Generica*, & familiaris etiam *Summo Bono Theologico*. Ariſtoteles, *Summum Bonum* definivit, per *opera-*

rationem. Sed *operatio illa*, nempe *Voluntatis*, eſt *Objectum Ethicæ*: cum quô *Finis* non poteſt confundi. Vana eſt *exceptio*: *Actionem*, *quæ præcurrit habitum virtutis*, eſſe Ethicæ *Objectum*; ſed eandem, nihilominus *Finem*, *quandò ſequitur Habitum &c.* nam *Actio* ita *præcurrens*, & *ſequens*, adhuc manet eadem *ſpecie*: Quâ etiamnum *Finis*, & *Objectum*, nullâ ſanâ philoſophiâ, poſſunt convenire. Aliud *Finis*, aliud *Objectum.* Aliud *Actio*, aliud *Honeſtas Actionis.* *Differentiam* petiimus, ab *Adjunctis*, [1] *Moralitatis*: ut *actus hujus Boni*, differrent ab *Actibus Summi Boni Theologici*, qui ſunt *voluntati coextenſi*; cum *actus morales*, multò ſtrictiores & compreſſiores eſſe conſtet. *Hi* enim, vulgò numerati *undecim*, ſaltem pro *Normâ*, *Legem Naturæ*, habent. *Illi* autem, ferè infiniti ſunt, & pro *Normâ* habent, *Legem univerſam &c.* [2] *Mentis integritatis*: Ut excluderentur rationis uſu deſtituti, quales *pueri*, *inſani*, *temerarii &c.* in quibus nulla προαίρεσις. [3] *Sedulitatis*, *&* *Perfectionis poſſibilis*: Dico, *poſſibilis*, non *continuæ*, aut *emendatiſſimæ*: Qualis in hac fece rerum, nemini obtingit. Sufficit, ſi *Felicitatis* procus, ſtudiô nullam intermittit occaſionem; quâ in virtutis fruitionem provehi, & quæ recta

ſunt,perſequi *appetitu*, poſſit.Res enim hortatur illum excuſandum, qui interdum, aut *Volens*, [ſed honeſtè;] aut *contrà Voluntatem*, [impeditus] feriatur,quô minus re & opere affectum poſſit declarare ſuum: (Uti ſine *ſanitate*, aut *pecuniis*, nemo eſſe poteſt *imperatè fortis*, aut *magnificus &c.*) Non enim *Imperata* illa, ſeu *Externa Bona*, ſunt *de eſſentiâ Virtutis*. Prout ἰνδηλον. *Refert, cujus ſit animi, qui præſtat; non cujus ſtatus. Senec: Epiſt.*38. Et quod, cum non poſſit in *hiſce actionibus*, tamen in *aliis*, & ubi poſſit, ſervet moderationem. Quid enim, an qui non poteſt *extrinſecus* eſſe *fortis*, aut *magnanimus*, eſt verò intereà *juſtus*, *Manſuetus*, *Verax &c*: non eſt *Bonus Vir*? aut qui honeſtè fatigatus, *dormit*; cum expergefactus, redit ad officium? Equidem, non exiſtimo. Poſtquam, & *manu* pendere pecuniam, *armisque* profligare hoſtem, olet ποίησιν; (quæ à πράξει Ethicâ abeſſe debet,) Et, *quod caret alternâ requie*, *durabile non eſt*. *Dicet* quis: habet ille *Bonum* quidem, ſed non *Summum Bonum*. Imò verò, inquam Ego, habet quod Natura, *Summum*, fecit. Aliter enim dici *Beatus*, ante obitum, ſupremaque funera, non licebit. Adhęc: *Virtus* gradibus non creſcit, ex *Fortunâ*; & *Bonum*,atque *Summum*

Bo-

Bonum, *Specie*, non differunt. Atque ità paulò operoſius fuit demonſtratum: *Bonitatem Moralem*, [Finem Ethicæ,] etiam illam, ſemper acquiri poſſe; atque adeò *nullos Habitus Activos*, habere *Fines Externos*; ſed *Internos* ſaltem. Quibus *Uſum Axiomatis* poſſem concludere, niſi *in contrarium*, etiam nonnulla vindicanda forent. *Carteſianus* aliquis (r) *Diſtinctiones Cauſæ Efficientis*, in *Univerſalem*, vel *Particularem*; *Proximam*, vel *Remotam*; *Principalem*, vel *Inſtrumentalem*; *Totalem*, vel *Partialem*, exiſtimat non eſſe *in locô* adhibitas, cum in *Parte Generali Phyſicæ*, exponuntur. *Oportere* enim *illic inveſtigari nonniſi Cauſam Univerſalem Corporis Naturalis, in naturâ ſuâ genericâ ſpectati; quæ non poteſt eſſe multiplex, ſed una tantùm: nempe Deus Opt: Maxim: qui ſolus materiam cum motus, & quietis certâ menſurâ, & numerô, in principiô, nullâ adjuvante aliâ causâ, ſive minus principali, ſivè inſtrumentali &c. creavit.* Hæc *ille*. Quem injurium eſſe in illas *Diſtinctiones*, affirmamus. *Quale* enim *Objectum, talis Cauſa Objecti*. Atqui *Objectum Phyſicæ adæquatum*, non eſt ſolum *Corpus Creatum immediatè à Deo*; ſed *Creatum*, & *Generatum* ſimul; ſive ab

(r) Tatingh. Clav. Phil. Nat. c. 111. p. 47. 48.

utrôque præſcindens. Ut ſub eô, *omne Corpus Naturale*, comprehendi poſſit. Jam verò, non *omnes talis Objecti*, *Efficientes*; poſſunt ad ſolam *Cauſam Univerſalem*, *Deum*, referri. Offerunt ſe etiam *Efficientes Univerſales aliæ*: ſicut & *Remotæ*, *Totales*, *Principales*. Offerunt ſe *Particulares*, *Partiales*, *Inſtrumentales*. Quæ num ad *Phyſicæ Specialia*, detrudenda? Nihil minus. Convertuntur enim *adæquatè* cum *Objectô adæquatô*, nempe ſub *disjunctione*; ut in totâ Naturâ, nullum exſtet *corpus*, cujus *Efficientes*, non ad aliquod ex *ipſarum membris*, poſſint revocari. Si diceretur *Cauſam Efficientem* eſſe, & *Univerſalem*, & *Particularem*; & *Remotam*, & *Propinquam*, &c. Valeret eas relegandas eſſe, ad *Partem Phyſicæ Specialem*; quod non omnia Corpora, *utramque* hanc *Efficientem* agnoſcant. At nunc *Cauſa hæc*, dividitur *disjunctim*, ut dicatur *Efficientem*, eſſe vel *Univerſalem*, vel *Particularem*; vel *Remotam*, vel *Proximam* &c. Quomodò nullum corpus proferes, quod non ſuos natales debeat, aut *huic*, aut *illi*, ex membris *Efficientis*. Si *Efficientes Particulares*, *Inſtrumentales*, *Partiales* &c. non ſunt admittendæ in *Partem Phyſicæ Generalem*, quià non omnia corpora, ex iis fiunt; quare ipſe *Ta-*

tin-

tinghoff (s) *Materiam Inſenſilem*; *Locum Externum*; *Tempus Præteritum &c.* eò attraxit: Cum nec illa, *omnia corpora* concernant? Nimirum, ſicut hæc, non *ſolitariè* ſed *disjunctim*, generalia ſunt, adſcitô ſcilicet *condiſtincto &c.* Ità & illa.

CAPUT SECUNDUM,

DE

Diviſione Diſtinctionis *in genere.* Primâ: & *in Specie*, de *Diſtinctione Nominali.*

1. Diſtinctio in genere, primò eſt ſeu Nominalis, ſeu Realis.

Planiſſimé. Quià enim ex aliis fontibus *Scibile* non poteſt hauriri, quàm ex his duobus: Ut nimirum vel ex *Nomine*, vel ex *Re*, dimanet; [quomodò illud vel *Sermocinale*, vel *Reale* habemus,] certè neque poteſt *Diſtinctio*.

2. Diſtinctio Nominalis, eſt Diſtinctio, in quâ totum ſecundum nomen tantùm, ad partem aut partes, contrahibile eſt.

(s) l. cit. cap. IV. & IX.

Præcedit hæc Diſtinctio, *Realem*; quia (t) *Principium in omni diſputatione,& re, eſt Nomen*: atque (v) *à Nominibus auſpicandum. Definito*, *Synonymorum* locô proximè, conveniunt, *Homonymum*, *Ambiguum*, & *Æquivocum*: Id quod ſonat quaſi *æquè vocans*; [potius quàm *vocatum*; cum non *æquivocatio originaliter*, ſit in *rebus*, ſeu *vocatis*; ſed in *nomine vocante*;] quanquam ſi ei *etymologiæ*, magis quàm *Uſui*, inſiſtendum, cogar affirmare, *Æquivocum* non eſſe *Synonymum*, niſi *Nominalibus Fortuitis &c.* In *Deliberatis* enim, *vox* ſe non habet *æqualiter* ad ſignificata ſua. Ut patebit. In *Definitione*: *Eſſentiale latius*, ſivè *Genus*, eſt *Diſtinctio*: Quâ de *præcedenti Capite*. *Eſſentiale* autem *æquale*, ſive *Differentia* conſiſtit in *totius ſecundum nomen ad partes contrahibilitate*. Quatenus *totum*, ſeu *Diſtinctum*, hîc eſt *vox æquivoca*, pluribus diverſis rebus communicabilis. Id quod ſeparat hoc diſtinctionis genus, à *reali*: in quâ non eſt nuda aliqua *ſecundum nomen*, ad partes contrahibilitas; ſed *ſecundum nomen* & *ſignificatum* ſimul; ut vel pro *Diſtinctô* ſi placet, *Definitionem ejus*, poſſis ſubſtituere &c. Porró: Quomodò *nomen* illud con-

(t) Galen. l. 1. de meth: medend: c. 5. [v] Exercit. 359. ſ. 1.

conferturs *partibus*, ſive *membris ſuis diſtinguentibus*, jam *omnibus*, jam *aliquibus*; ſæpius autem *alicui* ex iis, mox docebimus.

3. Diſtinctio Nominalis, eſt vel Fortuita, vel Deliberata.

Fundamentum *Diviſionis* eſt, quod *voces*, aliæ *fortuitò*, & ſine *ratione* aliquâ *ſpeciali*; Aliæ *conſultò*, & propter *rationem* aliquam *ſpecialem*, ſunt excogitatæ. Etenim,

4. Diſtinctio Fortuita, eſt Diſtinctio Nominalis, in quâ totum ſine ſpeciali aliquâ ratione, ad omnes partes ſuas contrahibile eſt.

Anima quippe hujusmodi *Diſtinctorum Fortuitorum*, eſt *contrahibilitas ad partes ſine ſpeciali aliquâ ratione*, & eas *omnes*. Dico, *ſpeciali*; quià *generalis*, hîc dari poteſt, nempe, *multitudo rerum*, & *defectus vocabulorum &c.* Sicut non obſcurè indicat (x) *Philoſophus*. *Diſtinctiones* hîc valdè *paucæ* occurrunt. *Juris* quidem, in *Forenſe*, [juſtitiam,] vel *Culinare*, [offam.] *Galli*, in *hominem ex Galliâ*, ſive *Francum*, vel *Avem glocitantem*, *Marem*, *&c.* *Clavi* in *gubernaculum navis*, vel *paxillum*. Neque ferè

(x) l.1, Sophiſt. Elench. c.1, t.5.

plures recordor, niſi quod miretur il'e: *Imperium, litem, Venerem, cur una not at res.* Qui tamen ſignificationem *Rei*, adhuc aliam, (quâ nempe illa, *Entis* eſt *Synonymum*,) omiſit.

5. Diſtinctio Deliberata, eſt Diſtinctio Nominalis, in quâ totum, propter aliquam Specialem rationem, ad partem, aut partes aliquas, contrahibile eſt.

Nimirum: In *his*, præter *Generalem rationem*, tum *communem cum Fortuitis*, ſuprà nominatam; tum *ſibi propriam, orationis gratiam*, aut *Splendorem &c.* penſitanda venit, *ratio* etiam *ſpecialis*, ſita in *re ipſâ*, [magis quàm in *imponente*,] ob ejus, cum aliâ re *cognationem* & *familiaritatem*, ſive *veram*, ſive *ſimulatam*. Ut *ratio* illa, ſit non *interna*, qualem *eſſentialiter ſubordinata* habent, ad *ideas ſe abſtractiores*, & *nomen* iis inditum, v. c. *Accidens*, ad *nomen* & *conceptum Entis &c.* [non dico, *Nomen* eſſe *rebus internum*, ſed *rationem internam*, hoc eſt: proximam, ad *res* habere;] ſed *Externa* ſaltem, ſive *Tropica*, *Metaphorarum* quidem ſæpiſſimè, & *Metonymiarum*; etiam *Synecdocharum*, ſuis locis; ſed

ſed *Ironiarum*, vix aut rarò. Ità *omne Tropicum diſtinctum, eſt Deliberatum*: Et *viciſſim*; *Omne Nominale deliberatum*, *etiam eſt Tropicum*, *ſeu Æquivocum.* Quomodò autem *Tota Deliberata*, non ſunt *Nominalia* ad *omnes partes*; ſed earum tantùm *aliquam*, aut *aliquas*, neſcitur *exemplis*, Et nos ei rei explicationem damus, *Tmem*: *Poſter*: *Cap.*I. *Theſ.*VI.

Exemplorum, etſi magna hîc meſſis eſſe poſſet, Nos tamen ſpicas tantùm aliquas, legemus, causâ rudiorum & incipientium. Nempe, *Diſtinctiones* hujusmodi *Deliberata* ſunt, cum diſtinguitur: *Adoratio* in *Civilem*, vel *Religioſam*: *Bona Opera*, in *Naturæ*, vel *Fidei*; [illa enim non ſunt verè talia; *Rom.* XIV. 23.] *Cælum*, in *Aereum*, *Sydereum*, vel *Glorioſum*; [nam ad illud, quod eſt κοῖλον, reliqua comparantur:] *Mors*, in *Spiritualem*, quâ quis vel peccatis moritur, vel Deo, per peccata, & horum pœnas; *Naturalem*, quæ eſt animæ à corpore ſolutio; vel *Civilem*, quâ quis civium albô deletur, aut infamis redditur: *Ens* in *Univerſale*, vel *Singulare*; [illud enim *fictum*, quià *nulla in re exiſtens unitas*, *communis* eſt:] *Conceptus*, in *Objectivum*, vel *Formalem*; [ille enim tanquam objectum conceptus, non eſt ipſe conceptus &c.] *Accidens*, in *Prædica-*

dicabile , vel *Prædicamentale* ; [ratio fuit inſinuata *Capite præced.*] *Horizon* , in *Senſibilem*, qui eſt terminus viſus noſtri in planitie , ubi quædam quaſi cæli, terræque commiſſura apparet ; vel *Rationalem*, quem terrâ biſectâ, ex centrô ejus haberemus; [*hic* enim , non eſt extrà mentem :] *Ecclipſis*, in *Lunarem*, vel *Solarem* ; [*Sol de ſeſe*, nunquam obſcuratur ; ſed tantùm *nobis* tegitur &c.] *Locus Syderalis*, in *Verum*, vel *Viſum*: [*hic* enim v. c. in quem oculus ex terræ ſuperficie incidit , non eſt *genuinus aſtri locus* , ſed ejus potius *parallaxis &c.*] *Virtus*, in *Intellectualem*, *Moralem* , vel *Spiritualem* ; [*Intellectualis* , enim , qualem faciunt , *Intelligentiam*, *Sapientiam*, *Scientiam* , *Prudentiam* , & *Artem* , non eſt propriè *Virtus* ; ſed eſt *Habitus in intellectu &c.*] *Poëtica*, in *Melopœiam* , quæ Syllabarum quantitates, & menſuras tractat ; vel *Rythmologicam*. , quæ circà ultimarum ſyllabarum conſonantiam eſt occupata : *Comites Palatini*, in *Proprios*, ſeu *Principales*, vel *Improprios*, ſeu *Titulares*, [*Poëtas* :] *Hi* enim , non habent *jura majeſtatis* , & proinde , conceptu cum *Comitibus Veris* , non conveniunt. Quô de *Politici*. Nam Ego hinc pergo ad

PO-

PORISMATA, & AXIOMATA.

1. In Diſtinctione Nominali Fortuitâ, totum æquè primò competit ſingulis membris ſuis.

Res ſibi conſtat ex præmiſſis. Ubi enim nulla *Specialis ratio* eſt, ob quam *nomen*, uni ſignificato propius eſt quàm alii, neceſſe eſt ut idem ſit *ad omnia æquale*. *Ratio* enim *communis*, ſive *generalis*, hôc ipsô, quià eſt *communis*, non facit *inæqualitatem*.

2. In Diſtinctione Nominali Deliberatâ, termini; verè, realiter, Subſtantialiter, propriè &c. non habent locum.

Puta: In reſpectu *Totius* ad *membrum* ſuum *Nominale*. Nam *membrum* ejus *Reale*, ſive *Principale*, [quomodò in omni *Diſtinctione Deliberatâ*, ſemper *totum* eſt ad aliquod membrorum, *proprium*, & *reale &c.*] cum non ſit *æquivocum*, huc non facit. *Dico* ergò: Non, [1] *Veré*: *Veritas* enim, & *Falſitas*, cadunt in *conceptus certos*, *ſimplicesque*: Utpote in quibus ſolis, *rei*, *& intellectus*, certa vel *convenientia*, vel *diſconvenientia*, ſtare poteſt. *Oppoſitio* enim eſt *eo-*

eorundem. Jam verò *conceptus* iſtorum *Nominalium Deliberatorum*, tanquàm *æquivocorum*, ſunt *multiplices*; poſtquam non ſolùm de *eſſentiâ æquivoci* eſt, ut *ſecundum nomen habeat* λόγον τῆς οὐσίας ἕτερον; ſed & [loquendô de *hôc æquivocô*, nempe *deliberatô*,] non poteſt non eſſe aliud, *à quô* quid transfertur, ab eô, *ad quod*, quid transfertur. Cujus utriusque ſub *unô Totô*, fluctuat, atque eſt ambiguus, Conceptus. *Dices: Analogia per ſe poſita, ſtat pro ſignificatione ſuâ famoſiori; ergò non eſt multiplex &c.* Rectè equidem; *per ſe poſita*. Qualia non ſunt *Analoga hæc* noſtra, ſeu *Deliberata*; ut quæ reflectuntur ad *membra ſua*, atque ideò etiam ad *minus famoſa*, cum & illa *membra* ſint. Quare intelligitur, quod ejusmodi *Tota Deliberata*, (cùm ſint ob ambiguitatem ſuam, *ex ſemiſſe vera*, & *ex ſemiſſe falſa*,) non poſſint ad *membrum* ſuum *Nominale*, horum alterum ſuſcipere, ut dicantur, præcisè, aut *vera*, aut *falſa*. Quemadmodum, qui dicit, *Herodem eſſe vulpem*: Cum *terminus*, *Vulpes*, ſupponere poſſit, & pro *vulpinâ eſſentiâ*; & pro *analogiâ ad eandem, propter tertium aliquod &c.* neque *verum*, neque *falſum* dicit *adæquaté*. Sed eductô eô, quod in *Totô Nominali*, *vulpe*, eſt conveniens *Herodi*, ut dica-

dicatur : *Herodes eſt ſimilis vulpi in aſtutiâ &c.* Jam fit primùm locus *Veritati*; cui *Falſum* hoc, poſſit opponi : *Herodes non eſt ſimilis vulpi in aſtutiâ &c.* Neque [2] *Realiter*, aut *Subſtantialiter*. Ratio eſt in promptu, & ex ipſis *terminis* : Eò quod *rem*, aut *ſubſtantiam*, non poſſit conferre, quod ſaltem confert *Nomen, cum analogiâ ad rem*, & *ſubſtantiam.* Neque ad extremùm, & [3]. *Propriè.* Id quod deducetur *Tmem: Poſter. Cap.* I. *theſ.* v. & VIII. Loquor autem de *Totis Nominalibus Deliberatis* : Nam in *Fortuitis*, ità non poteſt depelli *Proprium*, ut etiam omnia eorum *membra*, talia, hoc eſt : *Propria*, reperiantur. Abutuntur ergò *hiſce terminis*: [1] *Sociniani* : Ex quibus *Smalcius*, [ut eludat dicta, Chriſtum *verum Deum* appellantia, 1. *Joh.* v, 20. *Apoc.* XIX. 11, 16.] cavillatur, etiam *Magiſtratus*, qui *Pſalm.* XXCII. 6. dicuntur *Dii,*] eſſe *veros Deos*; cum non poſſint eſſe *falſi Dii.* Sed facilè præſidiô illô, dejicitur *Smalcius.* Nam quià vox, *Deus*, ad *Magiſtratum*, eſt *Æquivoca Deliberata*; Si ità *Chriſtus* fuiſſet *Deus*, quomodò *Magiſtratus*, nunquam Scriptura ei *veri Dei* nomen, tribuiſſet : Quià *verum*, (ut evictum,) nunquam cadit in *æquivoca.* Atque ea etiam eſt ratio, ob

ob quam ſcilicet, ubi neque *Veritas*, neque *Falſitas*, non licebit à *negatione illius*, ad poſitionem *hujus*, argumentari. Exſtinctâ *ambiguitate*, & ſubtractô eô, quod in *Voce Dei*, latet congruum *Magiſtratui*; ut pro hac: *Magiſtratus ſunt Dii*, Subſtituas; *Magiſtratus ſunt Deo ſimiles quadantenus, ratione officii &c.* Jam fit quidem locus *Veritati*; ſed quæ nihil facit ad propoſitum. Nam ea *Veritas*, non eſt *Eſſentiæ*, de quâ controvertitur; ſed *analogiæ* tantùm, ſeu *proportionis ad Eſſentiam*. Aliud eſt, eſſe *verè*, ſeu *verum Deum*; & aliud eſt, eſſe *verè ſimilem Deo*. Nunquam probabit *Sociniana peſtis*, hæc in *Scripturâ*, permutari. [2] *Calviniani*: Ratione tum *Sacramenti Cænæ*, tum *Unionis Perſonalis*. *Aliud eſt*, [inquit (y) Hornebech,] *verè, & ſubſtantialiter adeſſe Chriſtum*; *quod utique verum: aliud ejus corpus ibi*, [in cænâ,] *præſens eſſe*. Quam rem cum eô itâ agunt reliqui, ut in velabrô olearii. Nimirum, cum exiſtimant *Corpus Chriſti* tam longè abeſſe à *Pane Euchariſticô*, quàm abeſt *Cælum*, à *terrâ &c.* Ut videre eſt apud (z) *Bezam*, (a) *Danæum*, (b) *Urſinum &c.* nihilominus idem, *verè*, *realiter*,

(y) Summ. Contr. v: l. 9. p. 596. (z) Volum. 1. p. 208 [a] in Epiſt. ad Selneccer. ſub fin. [b] 2. part. Volum. Oper. Theolog. fol. 650. & 111.

ter , & *ſubſtantialiter*, illic præſens eſſe oggerunt. Nempe , ratione *Fidei*, aut *Influxus*. *Eſt* enim *Fidei*, [ſecundum (c) *Sadeelem*,] *ea vis*, *& facultas*, *ut verè & realiter poſſit præſentia ſiſtere* . *quæ verè*, *& realiter abſunt*. Neque *longinquitas*, *aut propinquitas* , [ità (I) *Zanchius*,] *eſt propria cauſa* ; *cur aliqua res dicatur præſens aut abſens* ; *ſed rei* κοινώνησις. Nudatis agamus frontibus. *Præſentia Imaginaria*, & *Virtualis* , [qualem *Calviniani* faciunt *corporis Chriſti in cœnâ* , ratione *Fidei*, & *Influxus &c.*] non eſt niſi *Nominalis*. *Illa* enim , ſeu φανταστικὴ , poteſt eſſe inter *falſa*: Ut *imaginationes* ridiculæ *melancholiorum*, atquè *delirantium &c.* probant. Et ubi eadem, quàm maximè *ſeria* eſt , non tamen adhuc ſiſtit *rem*; ſed *imaginem rei* tantùm. Neque enim *res ipſas* , ſumimus in *ſenſus* ; ſed earum *ſpecies*, ſeu ὁμοιώματα : Cum aliàs, qui cogitandô repræſentaret ſibi uſtionem , ureretur. Quomodò ergò , illud mihi *re* eſt præſens, cujus ὁμοίωμα, tantum præſens eſt? Et [loquendô in *ſpecie*,] ſi *Fides* objecta ſua *verè* redderet *præſentia* , forent talia, hoc eſt : *præſentia* , tum *præterita*, mundi creatio , Chriſti incarnatio , paſſio &c: tum

(c) Volum: Oper: Theolog: pag: 300. (d) I, 2, de natur. Dei, cap. 6. q. 1. p. m. 91.

tum *futura*, reſurrectio, *παλιγγενεσία* mundi, judicium &c. quià creduntur. *Fides Sadeelitica*, prorſus *contradictoria* eſt. Etenim, ſiſtere quod *realiter abeſt*, hôc ipſô, *realiter præſens*, implicat. *Hæc*, ſeu *κοινωνική*, [opponendô ad *ſubſtantiam influentem*] neque illa facit *veram* ejus, quod influit, *præſentiam*; niſi *ſumma*, *imis*, confundenda ſunt. Quià enim *talis præſentia*, eſſe poteſt inter ea, quæ *ſubſtantiis* à ſe *remotiſſima* ſunt: [Velut cum *ſtellæ* influunt in *hæc inferiora*; & *alia*, longè plurima in *procul diſſita*, ſeu remota, per virtutes emanantes &c:] patet, quàm nec illa, *vera præſentia* dici poſſit. Dixi: *opponendô ad ſubſtantiam influentem*. Quià *influxus* hîc quidem *verè præſens* dici poteſt, ſed non *res*, aut *ſubſtantia ipſa influens*; ut quæ eſt *remota*. Adeò, in *præſentiâ*, *æquivocè* tantùm *Reali*, ſeu *Subſtantiali*, [qualem eſſe patuit *Imaginariam*, atque *Virtualem*] termini, *Verè*, *Realiter*, & *Subſtantialiter*, non debent uſurpari. Quod attinet ad *abuſum horum terminorum in Articulô de Unione Chriſti*, concedit (e) *Crocius*, *ſubſtantialem Chriſti Dei & hominis, in terris præſentiam*: Et tamen *pag. ſequ.* ait: *Perſonam quidem; quæ ad dexteram Dei ſedet, eſſe ubique; ſed* *non*

(e) Defenſ part. 2. Conv: Pruten. c. 7. p. 251.

non utramque naturam. En Philoſophiam! Cuius *ſubſtantia*, [Natura] non adeſt, ejus nihilominus, *Subſtantialis* erit *præſentia*. *Bucanus*, (f) vocat *predicationes Chriſti* θεανδρικὰς, *quà perſonam*, *veras* & *reales*; & tamen eas ſtatuit fieri ſecundum *Synecdochen &c.* Cui non diſſimile eſt illud *Calvini*, defenſi, à (g) *Zwinger*: λόγος *verè & realiter paſſus eſt*: In quô ſibi ità conſtat, ut mox ſubdat: *Paſſio excluſivè tribuitur ad Divinam naturam, quæ in ſe non eſt paſſionis capax &c.* Atqui verò *prædicationes Synecdochicæ*, non ſunt; quà tales, *veræ*, aut *reales*, quippe *æquivocæ*: Ut probatum. *Omne* enim *Tropicum*, *eſt æquivocum*. Velleque illud *verè* & *realiter* alicui tribuere, quod ab eô, eſt *excluſum*, mala eſt ἐγχείρησις; Imó, contradictio. Adeò, quod nobis intrivit, (h) *Hornebech*, ipſe cum his ſuis reſorbere poteſt, quandò inquit: *Quemadmodum ii, quibus ſemel depoſita frons, nihil ultrà reformidant peccare; Ità qui errori ſuo pertinaciam addunt, ſubruere omnia malunt, quàm illum deponere, nihilque tam durum ſonat, vel abſurdum, quod priori commento ſtatuminando non facilè aſſumant.*

3. Di-

(f) loc. de Chriſt: 2. n.xx, p. m.20. (g) p.282.
[h] Summ. Controv. l.9. p.602.

3. Diſtinguens Nominale, ad quod Diſtinctum, non eſt aut proprium, aut ob rationem aliquam ſpecialem tranſlatum ab idoneis, vitioſum eſt.

Secus enim, ratio *Nominalis*, nec *Fortuiti*, nec *Deliberati*, habebit locum. Hoc eſt: *Vox* ad *membrum illud*, erit, aut *inuſitata*, aut contrà quàm rès ferat, *detorta.* Sat utrimque vitioſé. Nam quanquam *Voces ſignificent ex inſtitutô*, atque *φύσει* [ſicut *ille* ait,] ὀνομάτων οὐδέν ἐστι; tamen non poſſunt rebus talia nomina, quæ cum iis pugnant, imponi. *Voces* enim, *debent eſſe ſigna rerum;* 1. *De Interpret.* At quivis, qui vel ſcrupulum habet bonæ mentis, animadvertit, quàm non *ſignare Vox poteſt illud, quod cum eâ pugnat*, & ad quod, ſi ei imponatur, *contradictionem in adjectô*, infert. Ut ſi quis vellet, cum (i) *Bellarminô*, dicere, *Certitudinem Conjecturalem*: aut *Sanctum*, flectere ad illam, ſive *Simulationem*, quâ Deus ad extrà præ ſe fert, ac ſi reproborum Salutem vellet, quam tamen intus, ſeriò non vult permotam; cum (k) *Piſca-*

(i) Diſp. dc prædeſt ch. 76. (k) Reſp. ad Lutheri confeſſ. tom: 2. p 453.

catore: ſive *Alloeoſin*, quæ communionem idiomatum, atque operationum theandricarum, *verbalem* facit, atque ità univerſum mediatorium opus evertit; cum (l) *Zuinglio*: *Legem Evangelicam*, introducere, cum *Amyraldô &c.* Etenim dicere illud *certum*, quod tantummodò eſt *Stochaſticum*; & *Sanctum*, quod *Naturæ Dei*, & *fundamentis fidei*, non eſt conſonum; eſt dicere; *cæcam viſionem, albam nigredinem, παρθένον ἀπάρθενον, δῶρον ἄδωρον &c.* Poſtquam enim ὄνομα, ut patuit, μίμημα erit τῶν πραγμάτων; (m) quomodò *Conceptus, cui non reſpondet objectum conceptum*, *falſus, vanuſque eſt*; Ità & *Terminus*, quô cum ſignificatum, non poteſt convenire. Adhæc: Nè quidem ſufficit, *Vocem* non contrariari *Rei ſuæ*, aut ejus applicationis aliquam haberi poſſe *rationem &c.* ſed videndum ſimul, [ut ad *Capit.* I. *Axioma* I. occupavi,] quid *Uſus* ferat. Nam ſi quis vellet, v. c. dicere *viſum*, alium *oculi*, alium *narium*; & *cauſam* rogatus, reſpondere, *naſum* ſibi ideò dici *videre*, quòd ſit *oculo propinquus &c.* quos non ſuaves ludos faceret? Videre eſt *Viros non Incelebres*, novum *Primum Meridianum* facere, atque tranſ-

[l] De libero arbitr. p. 152. [m] Plato in Cratylô.

ferre *Primum Meridianum Veterum*, ab *Inſulis Fortunatis*, ad *Flandricas*; ob hanc *rationem*, quod *magnes ibi non declinet*. At illa ratio, oppidò tenuior eſt, quàm ut propter illam, terminus poſitus à *Venerandâ Antiquitate*, poſſet locô dimoveri ſuô: poſtquam, ſive acus declinet, ſive non declinet, tamen poſſit locus aliquis, eſſe *initium Longitudinis &c.* Quanquam ſi omnia ad vivum eſſent reſecanda, illa *ratio* adhuc frigida ſit, poſtquam, neque ſub *Inſularum Flandricarum Meridianô*, neque [fortaſſis] ſub *aliô Meridianô*, Magnes ubique *accuratam* ſervat βορειδείξιν. Ergó: ſi *vocis poteſtatem*, non fecit *Uſus*, [nempe *legitimus*, & per *idoneos*,] vive moribus præteritis; ſed *utere verbis præſentibus*. Dictô (n) *Agellii*. Quem etiam hac juvat *ratione* (o) *Philoſophus*; quod πᾶν τὸ μὴ εἰωθὸς, ſit ἀσαφές. *Uſus* hîc longè illuſtriſſimus eſſe poſſet; cum, nos ſaltem illud, propter compendium, huc laturi ſumus, quod aliqui ex *Noſtratibus*, Deum *Cauſam per accidens peccati*, Nominaliter dici poſſe exiſtiment, ob *has rationes*: quod *permittat malum*, quod *deſerat*, quod *naturam ſuſtentet*, quod *pœnas differat*, & tandem *malo fines* atque *ordinem præſcribat*. Ità illi fimum ſcalpturiunt, unde

[n] L. 1. c. 10. [o] 6 Topicor. c. 2. §. 5.

de granum ipſis non eruitur. *Si* res eſſet cum *Gentili aliquô DeaStrô*, tanquam *creaturâ &c.* poſſent ea fortè vincere aliquid, pro *Cauſalitate per Accidens*, ſaltem *Nominali*; quod *deficere*, & *exorbitare*, [quæ in omni *cauſâ per Accidens* ſubſidunt feces,] ei non repugnet. At à *Numine Sanctiſſimô, Optimô, Maximô*, talis uſurpatio, exeſſe debet. Neque enim, ei poteſt *Vox cauſæ per Accidens*, aliquâ ratione, eſſe vel *Propria*, vel *Deliberata*. Quod non ſit *Propria*, facilè obtinebo; cum ea talis ſit acceptio, ut etiam ab eâ, *audaciſſimi ſectarii*, nunc abſtineant. In *ſenſu* etiam *inflexô*, ſeu *deliberatô*, eam non poſſe convenire Deo, facilè hinc diſpaleſcit, quod *deliberata ejuſmodi*, præſupponant aliquam *rationem*, ſeu *affinitatem*, inter *rem*, & *vocem rei*; quæ hîc adeò nulla eſt, ut etiam *Paulus* neget, eam inter *lucem*, & *tenebras*; *ſanctitatem*, & *malitiam &c.* dari poſſe. 2 *Cor*: VI, 16. *Deus* certè, cum ſit ſumma, & dulciſſima *Bonitas*; atque omnis *Recti*, perfectisſima, & abſolutiſſima menſura, non poteſt dici *συγκατάθεσιν*, ſeu *cognationem* aliquam habere ad *malitiam*, niſi ei, qui vult *propriorum ejus* facere ſacrilegium, & apertè *βλασφημεῖν*. Tacebo, quàm non caret *Phraſis illa*: *Deus eſt Cauſa per Accidens*

peccati impropriè, periculô ſcandali. Cum poſſimus eâ abſtinere. Facilè enim per eam *rudioribus* in mentem ſuboriri poſſet, ac ſi *Deus Author*, *Fautorvè maleficiorum eſſet.* Quum eam tamen injuriam, aut injuriæ ſuſpicionem, quivis Chriſtianus obligatus ſit à *Deô ſuô*, quantum poſſit, amoliri.: Ad quam etiam *Creatura irrationalis*, ſi loqui poſſet, ſeſe exhorreſcere, & obſtupeſcere, profiteretur. Adeò non eſt *ſcandaloſis gloſſematibus* oneranda eccleſia; multò minùs, quæ *blaſphemiæ* ſuſpicionem habent: cum vel ſimpliciter ἀλλοτρίοις λόγοις χρῆσθαι ſit ἀπαιδευσία; juxtà *Philoſophum*.

4. Diſtinctio Nominalis, habet gradus.

Luculentioris formæ, reique, ſunt *Deliberatæ*, ſivè quæ ob *habitudinem aliquam*, nomine fruuntur. Minùs verò, iis tolerabiles, [ſed tamen tolerabiles,] quæ ſunt *Fortuitæ*, & quibus *uſus per idoneos*, locô *Rationis* eſt. Illas autem *Diſtinctiones Nominales*, quarum *membra* evertunt *totum ſuum*, atque illud *membrum*, ad quod *totum*, *Proprium* eſt &c. non ut *maculas*, ferendas dixerim; ſed ut *peſtes omnis liberalis ſcientiæ*, eſſe explodendas. Sicut eas etiam ſuſtulit noviſſimè, *Poriſma Antecedens*.

5. Di-

5. Diſtinctio Nominalis, ante tractationem rei accuratam, ſive ſtatus controverſi determinationem, neceſſaria eſt.

Scilicet: *Diſtinctio Nominalis*, aliquot ſignificationes adfert, ex quibus certam, *Methodicus* vult prenſare. Quià ergò totum tale, *plura* ſignat, neceſſe eſt expediatur prius ejus, quod quis vult tractare, notio; & ut τὰ μὴ ζητούμενα, ſeu *Heterogenea* prius ſeparentur, & removeantur. In omni enim *methodô*, *ſubjectum* aliquod *certum* debet ſtatui; nè *hôc* ſine, qui *tractat*, aut tractata *legit*, *audituè*, tanquam in ignotâ ſylvâ, erret. Idem verò *certum* non poteſt eſſe, quamdiu *homonymiis*, & ἀκυρολογίαις ſcatet. Quare hos ſtolones prius eſſe recidendos conſtat, quàm vox *poſſit certam menti Speciem repræſentare*; hoc eſt: *De eô ſolô*, cujus quis ſuſcepit curam, & *non aliô*, [*quanquam voce etiam deſignatô*,] accipi. Hinc illud: Δεῖ πρῶτον τὸ τῆς φωνῆς σημαινόμενον ἐξετάζειν, εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν. Mihi illi rectius feciſſe videntur, qui *Diſtinctiones* has *Æquivocas*, audiunt ante *Definitiones*; quàm qui eas poſthabent. Nam quanquam parvus ſit *erroris* metus, quum *æquivocationes* proximè excipiunt *Definitionem*, atque *ante*

 te

te ejus reſolutionem, expenduntur; tamen nemo dubitat, quin quò prius liberari *æquivocatione* lector poſſit, hoc ſit melius. Confer 6. *Topi c.* 2. §. 2.

6. Diſtinctio Nominalis, in ipſâ tractatione, ſeu ubi caput corpusque controverſiæ, jam eſt formatum, odioſa eſt.

Tractatio, eſt vel *Thetica*, ſeu *Didactica*, [vocant *Methodum Docendi*;] vel *Polemica*, ſeu *Elenctica*, [vocant *Methodum Diſputandi.*] *Illa*, κατασκευαστικῶς, ſententiæ alicujus θέσιν, ſive confirmationem, urget: *Hæc*, ejusdem ἄρσιν ſive confutationem. *Neutrobi*, ſive *voce*, ſive *ſcriptô*, licet *Diſtinctionibus hiſce* gratiam facere, poſt formatum ſtatum: *Non in illas*, *Definitum dividere, aut ſubdividere*; *non diviſa iis illuſtrare*; *Sed nec in collationibus*, *ad eas*, *theſis*, *aut reſponſionis juvandæ causâ*, *ſe proripere.* Videre eſt *Jejunos Diſputatores*, qui ubi ſentiunt aſſertioni ſuæ periculum imminere ab Adversâ parte; ne detrimenti aliquid capiat ſua, ſeu *Theſis*, ſeu pro Theſi, data *reſponſio*, vim ipſi faciunt propriis verbis, & ingeniô adhibitô, volunt videri, *ità*, & *aliter* ſe terminum accepiſſe, quàm eum ſumpſerat *Collocutor*, in ſuô argumentô: quaſi

quaſi eò *ſtatum controverſum*, non tetigiſſet &c. Cum tamen illa *Termini acceptio*, in quâ tantopere cauſæ quærunt præſidium, ſi ad *ſtatum controverſiæ* ſemel poſitum, adhibeatur, ſit nonniſi *Nominalis* &c. Apage artes ejuſmodi; & *Lex* eſto, ſicút ſuprá: *Diſtinctio Nominalis, è ſtatu conſtitutô, atque ἐργασία Thematum, exeſto.* Quæris *rationem?* Dabo variam. *Senſus enim perſpicuitatem impedit*: *Pro Re, Nomen, ceu pro nucleô, putamen, ſubjicit*: Et quod majus crimen eſt; *Authorem ipſum, in contradictiones, atque vanitates ingerit.*

Videamus ordine. Quod ad *prius* attinet: Novimus, quanta ſermonis virtus ſit *Perſpicuitas*; ut quæ ſola exprimat, & quaſi ante oculos ſiſtat, beatam illam, facilemque Naturam: cujus cauſâ, *ſermo*, & *omnes vocum teſſeræ*, adhibentur. Unde non minùs laborandum eſſe intelligitur, σαφῶς, & ſignificanti vocum genere ut loquamur, quàm σοφῶς ut ſentiamus. juxtà, 6. *Topic. c.* 1. §. 6. Cum contrà magnum ſit *ſermonis vitium*, non modò *non capi*, (ſic ut jus Aborigenum, aut Saliares hymnos tibi recitari putes, quos nemo intelligat ſine interprete, &c.) Sed & *ægrè capi.* Id quod noſtra hęcce *Nominalia*, cauſantur. Quià enim eorum *Totum*, eſt *nomen dubium ad plura*,

ſeu *æquivocum*; fieri non poteſt, ut qui illud *legit*, *auditue*, non aut *ſeducatur*; aut ſaltem in diverſa abeunte animô, *perturbetur*, & quomodò *viator*, pluribus viarum diverticulis ſibi objectis, *quò ſe vertat, neſciat.* Unde & (p) *Philoſopho*, parum fuit, πολλαχῶς λεγόμενον τὴν διάνοιαν ἀόριστον ἔχειν, ſi non (q) alibi adjeciſſet: τὸ μὴ ἕν τι σημαίνειν, οὐδὲν σημαίνειν εἶναι. Ex quô conficitur, quàm vel maximè, in *Cardine controverſiæ* ſit peropus, *ſcapham*, *ſcapham dicere*, *& quodvis*, *ſuô ipſius*, (non alterius) *nomine*, *appellare*; hoc eſt: *æquivocationes*, & [horum ſobolem,] *nominalia*, arcere: maximè, cum nec iis ſtantibus, aliqua *ſententiarum* inſtitui poſſit *collatio*, ſine *partium ignominiâ.* *Defendenti*, quam faciant illi *Diſtinctionum Griphi*, contumeliam, *Rationes duæ ultimæ*, monſtrabunt. *Opponens*, dum in illâ variâ rerum luce, *Contradictoriam theſeos*, quam vult impugnare, non poteſt tutò ſumere, nihil ille quidem aliud agit, quàm ut moveat Auditorum *aliis*, riſum; *aliis*, cummiſerationem; *reliquis*, & *maximæ parti*, ſatietatem; tanquam qui impertinenter diſputet, & à *ſtatu* aberrandô, omnem operam, in aëre, perdat. |Cujus quidem

(p) 1. de Cælo. c. 11. [q] 3. Metaph. 4.

dem rei, in quô culpa? Rectè (r) *Auguſtinus*: *Quum*, inquit, *obſcurè poſita diverſimodè ab utrâque parte explicari poſſunt, meritò in diſputatione ſeponuntur.* Dicet quis: In *Scripturâ* tamen reperiuntur *Æquivocationes*, per *Amphibolias, Tropos, Simulationes &c.* Reſpondeo: *Amphibolias* nullas eſſe, in *Scripturâ*: ut quæ proferuntur eô animô, *ut decipiant*. In *oraculis Diaboli*, frequentes *illæ* ſunt, [unde & *cognomen* λοξίας, *Apollini*, tributum &c.] ſed non *ſacris*. Cum nè quidem *Profanus Author*, ſaltem qui laudem, ſuô Scriptô quærit, ſtudiô adhibet ulla ἐπαμφοτερίζοντα; nedum ille, qui *ſermonem ſuum*, *lychnum in obſcurô*; quin *firmiſſimum* [βεβαιότερον,] 2. *Petr.* 1. 19. conſtituit. *Nominalia Tropica* occurrunt quidem in *Scripturâ*; Sed *Primò*: Licet *Scriptoribus Sacris*, uti *Tropis*, ubi non ſtatim licet *Philoſopho*. Etenim *Illi*, magis *Affectus* petunt, intendendô τὸ *credere*; & vel ipſis *puerulis* loquuntur, *Matth.* xi. 25. Ad quod magis faciunt *picturæ*: *Hic* autem, (nempe *Philoſophus*,) ad *intellectum* magis ſe componit, ut τῷ *ſcire*, convincatur. Ad quod *nuda*, & *propria rerum dictio*, validior. Etenim: *Rationibus agendum eſt viro veritatis ſtudioſo, non Tullianis, Platonicisque pigmentis*

(r) l. de unitat. Eccleſ. cap. 5.

tis: dictô *Scaligeri*, *Exercit.* 307. *ſ.* 20. Deinde: Non ubique à nobis prohibentur *Nominalia*, ſed tantùm in *Capite*, aut *Corpore controverſiæ &c.* Negamus verò *tropos* adhiberi à *Scripturâ*, in *ejusmodi rerum ſtatu*; ſeu ubi *princeps*, *& primaria ſedes eſt dogmatis aut Articuli alicujus fidei.* Semel enim ad minimum, *Spiritus clariſſimus*, ſingulos fidei Articulos, *propriè* tradidit. Quò relati, qui alibi ſplendoris, aut feſtivitatis causâ, inſperguntur, *Tropi*, facilè cadunt *ambibiguitate ſuâ*: Cum non rarò etiam *domeſticis indiciis*, factâ circumſtantiarum textus, ſine præjudiciô collatione &c. dignoſcantur. Rectè (s) *Bellarmin*: *Præcipua* [nempe Scripturæ dogmata,] *propriis verbis*, *& ſi non unô*, *ſaltem aliô locô*, *planiſſimè traduntur in Scripturis.* *Simulationes ſcripturæ*, neque *Facti*, [1. *Sam.* XXI. 14. *Luc.* XXIV. 28.] neque *Verbales*, [*Gen:* XX. 2, 12. & XXII. 1, 2. & XXVI. 7. *Exod:* I. 19. *Joſu:* II. 4, 5. 2. *Sam:* XVII. 19, 20.] ſunt *æquivocæ.* *Æquivocatio* enim, eſt inter *plures dubios*, *& flexuoſos ſenſus.* At in *his*, nonniſi *unus & ſimplex ſenſus* eſt. Nam quæ *externâ ſpecie.* ingeruntur, nonniſi eum, quem præ ſe ferunt, pariunt conceptum. Quæ reſervata animo ſuppri-mun-

(s) Libr. 1. Euch, Cap. 9.

muntur, ſicut non ſunt cognita, ità neque ſuſpendunt. Atque ità patet quid tenendum, contrà tum (s) *Pontificios*, aſſerentes licere in judiciis, factum negare, aut eludere *æquivocatione &c.* tum *Calvinianos*, qui non ſolùm ipſi *æquivocatione*, ſæpe ludunt, in confeſſionibus &c. Sed & Deo Optimo Maximo audent tribuere *animum perplexandi*; & quidem *in diſpenſatione ordinariâ ſalutis totius generis humani*, quando ei affingunt *Voluntatem* quandam *Signi*, ſecundum quam aliter loqueretur ac ſentiret &c. quod eſt, non modò Deum veteratorem, & agyrtam facere; ſed & jugulum petere univerſæ Chriſtianæ fidei. Etenim, *Si*, [fatente (t) *Wendelinô*,] *cum Voluntate ſigni exactè non conſentit Voluntas Beneplaciti, cujus ſignum profert Deus in verbô, actum utique eſt de veritate verbi Divini.* Patuit autem *ſuprà*, quid ad ea reſponderi poſſit. Solum addo, ad ea, quæ attigimus de *Simulatione*, quod cum *Adverſarii* exemplis Scripturæ ſe tueri volunt, multa ſit diverſitas, inter *reſervationes mentales Scripturæ*, & *Ipſorum*. Etenim *illæ*, tendunt ad *Bonum* aliquod, *verè tale*: *Hæ* autem ſaltem

 ad

(s) Becan. manual. l. 5. c. 21. p. 511. ſeq. Tolet. l. 4. inſtit. Sacerd. c. 21. (t) Theol. Chriſt. l. 1. c. 1. th. 18. p. m. 92.

ad *Bonum*, φαινομένων, & ex ὑπολήψει *ta-le*. Bonum enim ex *vitioſis circumſtantiis*, aut *cauſis*, non eſt *verè bonum*; *Rom:* III, 8.

Secundum crimen Nominalium, in ſtatu conſtitutô, eſt, quod (etiamſi vel maximè aliquis *ſenſum eorum*, rectè poſſit divinare, tamen adhuc,) *pro Re*, *Nomen* adferant. At verò, quià cognitum eſt, *ejuſmodi Nominalia*, non de *Re*, ſed *Nomine diſtincti ſui*, participare; poſtquam aliquis *Realem ſtatum*, Methodo elaborandum ſubjecit, foret certè inglorium, ſi ubi *Rem* promiſit, vellet *Voces* aucupari; hoc eſt, *iis* aliter uti, quàm prout eſſent earum *rerum*, quas ſe tractaturum præ ſe tulit, & in quarum campum, ſe demiſit, vehicula. *Bona Realis methodus*, eò tendere debet, ut animum *difficultate ſapiendi*, atque *appetendi* relevet. Ad quod, non *Vocum* aliquot ἀλαλάζοντα κύμβαλα; ſed *rerum* pretia, [ſola pectus quæ exſaturant,] conducunt. Unde, qui illas *Nominum Diſtinctiones* captat, tum cum ſerium ſe promiſit fore, hoc eſt: *Statu jam formatô*, &c. manifeſtè plus *Verbis* operæ, quàm *Rebus*, dare intelligitur. Quod quàm ſit ab omnis ſolidæ ſapientiæ majeſtate alienum, omnes qui vel modicè ſapiunt, & in animum inducunt

ſuum

ſuum, quod *Graviſſimi* (u) *Philoſophi* teſtimonió, τὸ μὴ ἕν τι σημαῖνον, vix adhuc σημαῖνον, [ſive *nomen bonum*] ſit, & quod οὐδὲν ἐνδέχεται νοεῖν, μηδὲν νοοῦντα ἕν, facilè intelligunt. Fricari hôc ſale poſſunt *Dordraceni*: Qui cum in *ſententiâ ſuâ* de *Cauſâ Quinquarticulariâ Remonſtrantium*, inter alia (x) conceſſiſſent: *Mortem Chriſti abunde ſufficientem eſſe, ad expianda totius mundi peccata*: atque (y) alibi: *Quod multi pereant in infidelitate, non fieri hoſtiæ Chriſti in cruce oblatæ inſufficientiâ*; tamen (z) paulò infrà decernunt: *Conſilium, voluntatem, & intentionem Dei eſſe, ut mortis pretioſiſſimæ filii ſui, vivifica & ſalvifica efficacia, ſe exerceat in electis, ad eos ſolos, fide juſtificante donandos &c.* peccant in has *Leges* noſtras. Etenim, cum *Patres illi*, initiò ſpem feciſſent, quaſi *Sufficientiam mortis Chriſti*, vellent *verè* facere *Univerſalem*; tamen ubi ad *rem* eſſet ventum, nil niſi *nomen*, & *umbram talis Sufficientiæ*, concedunt. Ut ſpes tam magnificè oſtentata, in ridiculum, (quod dicitur,) evadat murem. Etenim, poſtquam iidem, *efficaciam mortis Chriſti* reſtrinxerunt ad *ſolos Electos*, ſic ut *Patris intentio ſit eos ſolos donare fide juſtificante &c.* aliam in Pri-

(v) 3. Metaph: 4. (x) Actor: Syn: cap. 2 artic. 3. (y) artic. 6. (z) artic 8.

oribus Articulis, *ſufficientiam mortis Chriſti pro peccatis infidelium*, non agnoſcunt quàm *poſſibilem*: quatenus *actu* quidem *Chriſtus pro his mortuus non fuit*; *ſed tamen pretium tale dependit*, *ut potuerit illud*, [modò Deo ſic fuiſſet viſum] *facilè pro omnibus iniquitatibus ipſorum*, *ſatisfacere*. Sicut hoc totidem aut ſimilibus verbis, exponunt, (a) *Wendelinus*, (b) *Voetius*, (c) *Mareſius*, Et quàm Plurimi. Quæ *Sufficientia*, *Inſufficientia* eſt. Certè non aliter *Lytrum*, quàm vi *Nominis*. Ut hoc *ſuprà*, etiam deduximus. *Bergius*, cum (d) *Sufficientiam illam Dordracenam*, vult ſalvare per beneficia, [neſcio quæ,] *Tolerantiæ* &c. Reprobis præſtita, nihil dicit ad propoſitum. Talis enim *Sufficientia*, inter *Dordracenos*, atque *Remonſtrantes*, neutiquam fuit controverſa; ſed *actualis inſtaurationis*, *etiam Reproborum*, *adhuc corrigibilium &c. per mortem Chriſti*. Majorem Candorem, in *Aliis*, laudamus: Nempe, in (e) *Piſcatore*, (f) *Altingio*, (g) *Leydenſibus*, (h) *Wendelino*.

(a) Chriſt: Theol: l. 1. c. 17. p. m. 367. (b) Part. 2. Diſput: de Merit: Chriſt. p. 253. (c) Colleg: Theol: Loc: 8. Theſ: 8. p. 175. [d] Prox: Cathol: Diſſertat. XI. n. 164. ſeq. [e] De Prædeſt. Theſ. 109. [f] In Problem. p. 174. & Exegeſ: Auguſt: Confeſſ. p. 226. & Syllab: Controv: p. 237. [g] Exp. 9. [h] Loc. prox. cit.

no, (i) *Twiſſe*, (k) *Spanhemiô*, (l) *Cloppenburgiô*, (m) *Mareſiô*, *&c.* quod maluerint ingenuę fateri, quod ſenſerunt, nempe: *Chriſtum pro omnibus & ſingulis, non eſſe mortuum*, quàm inſidioſis, & ineptis cavillationibus, fucum facere. Certè, *mori ſufficienter pro Reprobis*, [quod tamen reverà à τῷ *mortem pati ſufficientem* &c: non aliter differt, quàm *ſufficienter ſaturare*, differt à τῷ *ſufficientem dare ſaturationem*, *&c.*] *Bezæ*, (n) viſum fuit *tergiverſatio*: *Wendelino*, (o) *Catachreſis*: Imò, *Voëtio*, (p) & *Aliis*, *Contradictio*. Ut *Patres Dordraceni Conſcripti*, non debuerint, in *Canonibus Concilii*, ubi quàm maximè oporteret eos, non dicam *perſpicuos*, ſed *reales*, & *ſerios* eſſe, hanc tam malę caſſam nucem ponere. *Philoſophica* ut attingam: Etiam illi hîc offendunt; qui in rerum *Definitiones*, aut *Diviſiones*, illą *Nominalia*, intrudunt. Quomodò cum 4. Metaph. 12. *Ariſtoteles*, definit *Potentiam*, per *Principium motus*, *aut tranſmutationis in alterô*, *aut prout alterum eſt*; vultque eum excuſare *Vir Doctus*, [cum videret *Definitionem illam*,

[i] In Vindic: p. 230. [k] Exercit. de Grat. p. 2236. [l] Diſput: Theol: de Univ. Grat. n. 3, 4, 5. ſeq. [m] Loc. Prox. cit. (n) part. 2, Reſponſ. p. 217. (o) Loc. cit. [p] Loc. prox. cit.

lam, pati reprehenſiones, propter *Actus immanentes*, quorum *Potentiæ*, *principia transmutationis*, non poſſent dici,] quod *transmutatio* illic non *rigoroſè*, ſed *laxè*, prout *elicitum* etiam ſub ſe comprehendit &c. capienda ſit, non procedit. Eſt enim talis *termini transmutationis* uſus, plus quàm *Nominalis*, [poſtquam *elicitum*, & *transmutativum* propriè, ſint *oppoſita*:] Atque ità in *Definitione*, tanquam ſinu rei, non poteſt tolerari. Eadem eſt ratio, cum *Logici*; *Quantitatem* definiunt, per *Accidens ſecundum quod aliquid vel extenſum, vel quotum dicitur*: Et *eam* dividunt, [quæ ferè eſt communis fabula,] in *Continuam*, ſive *Magnitudinem*; vel *Diſcretam*, ſive *Multitudinem*. Nam poſtquam *Quantitatis γνῶσιν formale*, fuerit *Extenſio*, vox *Multitudinis*, aut *Quoti*, hoc eſt; *Numeri*; aliam *rationem ad Quantitatem* non poteſt habere; quàm *Æquivocam*, ſive *Nominis*. Etenim *Multitudo* illa, ſive *Numerus*, poteſt non tantùm eſſe in *non-extenſis*, velut *Spiritibus*; [quomodò enim *horum pluralitas*, ſeu in *modis*, ſeu in *rebus*, aliter appellaretur?] verùm etiam, eſt [quà *reale* quid] tantùm *Ens aggregatum*. Dixi: *quà reale*. Nam aliàs ſolent *Numerum Triplicem* facere: *Numerantem*, ſive à rebus abſtractum: *Nu-*

Numerabilem, in *re* quidem, ſed *poſſibilem*; (ut ſunt v. c. *duo equi*, antequam eos *actu* aliquis numerarit &c.) & *Numeratum*, qui ſit rebus *actu* impoſitus: (velut *duo ſeraphim*, *tres Icones &c.*) *Ille*, & *iſte*, non eſt *realis*; Sed *Ens* ſaltem, aut *potentiâ*, aut *fictum*: *Hic*, eſt quidem aliquid *reale*; ſed illud tamen *aggregatum*. *Aggregata* autem ab *Entibus prædicamentalibus*, eſſe ſegreganda, omnes concinunt. Quare non fuit ipſis gloriæ, quod poſtquam *rem* & *eſſentiam Quantitatis*, [*Entis Simplicis* & *verè Prædicamentalis*,] explicandam, in ſe recepiſſent, ea, quæ *vix Nomine* cum tali *Quantitate* congruunt, inferciant. Pari modô, etiam *Gnoſtologus*, [cætera judicioſus,] humani aliquid patitur, dum poſtquam *Univocationem*, & *Analogiam*, feciſſet *ſcibilis Affectionem*; *Analogiam* ſubdividit, [excluſâ *analogiâ Proportionis*] in eam, quæ ſit *Attributionis*, vel *Intrinſecæ*, vel *Extrinſecæ*. Nam *Analogia* illa *Attributionis Extrinſecæ*, non eſt talis, niſi *æquivocé*: uti paſſim exſtat apud (q) *Philoſophos*; rei quippe injecta, tantum *Metonymicè*, in ratione *Cauſæ*, *Adjuncti*, aut ejus-

(q) Suarez. Metaph: diſp:37. ſect.3. n. 4. ſeqq. Scheibl: Metaph: p.m.85, 692.711. Hornei: Inſtit. Logic. p. m.138.

jusmodi. Quod ſi *Tropica*, etiam *æquivoca* eſt. Quare debuit ejusmodi *Analogia Extrinſeca*, æquè extrà πραγματολογίαν *Affectionum Scibilis*, removeri, ac fuit remota *Analogia Proportionis*. Cum *Affectio Diſciplinæ*, non magis eſſe poſſit *æquivoca*, quàm *Objectum*. Prætereo *Diſtinctionem Relationis*, in *Mutuam*, vel *Non-mutuam*: *Loci*, in *Communem*, vel *Proprium*, *&c.* Quas & illas; tanquam *Reales*, definitioni ſolent ſubijcere: Cum ſint tantùm *Nominales*. Etenim *Relatio Non-mutua*, [velut inter *Creaturam*, *&* *Creatorem*; *ſcientiam* & *ſcibile*, *&c.*] non eſt *Realis*, niſi ab *alterô extremô*, [hoc eſt; *terminum*, ſeu *fundamentum correlati*, non habet diſtinctum à *correlatô*, niſi per *rationem*;] Sed & eſſe poteſt inter *Entia Abſoluta*, [prout *ſcientia* eſt quid *abſolutum &c.*] Et *Locus Communis*, [aer, aqua &c.] non eſt *locato ſuo adæquatus*; ideò non participant de *totô ſuô* aliter, quàm quà *Nomen*, atque eapropter *Definitioni ejus*, non ſunt *poſtponenda*, ut *Realia*; verùm *præponenda*, ut *Ambigua*.

Tandem, ut deveniamus ad *Tertium*, & *Ultimum incommodum* iſtorum *Nominalium*, *in Statu determinatô*, quatenus nempe *Authorem ipſum ad Vanitates*, imò; *ad contradictiones adigunt*; fit certè, dum aliquis

πρα-

πραγματολογίαν ingreſſus, ſemel *Statum* poſuit, qui *realis* ſit, & deinde eô relictô, ſeſe recipit ad *Nomina*, quæ conceptu, cum *re Status*, non poſſunt convenire, &c. eum ſibi non conſtare, & in *ἀλλότρια*, imò, in *contradictoria* incidere, unde ipſi non facile fuerit evadere, aut cum gloriâ referre pedem. Quod enim *voce tantùm* tale eſt, idem *re*, non eſt tale. Unde eſt, quod dicant: *Super Æquivocis, ſtat Contradictio.*

Res conſtabit exemplis. *Pontificii*, ut obtineant, *Miſſam ſuam, eſſe Sacrificium Propitiatorium, pro peccatô &c:* Diſtinguunt inter (r) *Sacrificium Cruentum*, atque *Incruentum.* Verum eſt, dari etiam in N. T. ejusmodi *incruenta ſacrificia*, nempe *ſpiritualia*, *Eucharistica* &c. *Rom.* XII, 1. *Eph.* V, 2. *Phil.* II. 17. & IV. 18. 1. *Petr.* II. 5. atque ſic eadem, vel in ipsâ *Cænâ*: Quatenus nimirum, *ſacerdos*, aut *ſuſcipiens*, in Cænâ precatur, *velit Deus, propter Sanctum illud in Cruce peractum ſacrificium, & propter ſacram hoſtiam, quæ in Euchariſtiâ, utique præſens eſt, noſtri miſereri, & precationem noſtram, tanquam rationalem* & *ſpiritualem oblationem, benignè accipere, eique locum dare.* Sed *preces*, & ejus-

(r) Allegant: Sadeel: Oper: Theol. de Unico Chriſt. Sacrific. Cap. III, p. m. 60, 61.

ejuſmodi ἱυχαριςίαι, in N. T. Dicuntur *Sacrificia*, tantùm *Metaphoricé*: Quandoquidem *Sacrificium*, in N. T. *verum, & propriè dictum*, ſeu *Expiatorium*, non poſſit fieri *ſine ſanguinis effuſione*. Hebr. IX. 22. Quare Diſtinctio *Sacrificii*, in *Cruentum*, vel *Incruentum*, erit ſaltem *Nominalis*. Quæ in *Statu Controverſiæ*, nullâ gloriâ, à *Papicolis*, ſtatuitur. *Status* enim *Controverſiæ*, loquitur de *verè*, & *propriè dictô Sacrificiô*, ſeu ἱλαςικῷ: Quippe *Pontificii*, probare debent, quod *Hoſtia*, *in Miſſâ oblata*, *ſit verum Expiatorium Sacrificium &c*: At verò dum Diſtinctione allatâ, *Pontificii* affirmant, quod eadem ſit *Sacrificium* tantùm *Incruentum*; Ipſi ſeſe turpiter deſtituunt, idemque dicunt, ac *Hoſtiam* illam non eſſe *verè propriéque Sacrificium*, ſeu *Expiatorium*: Quandoquidem, cum ejuſmodi *Expiatorium Sacrificium*, non modò, *Unicum*, in *Novo Fœdere*, aſſeratur, quoties dicatur Chriſtum, *ſemel* oblatum: Quâ excluſione, *Epiſtola ad Hebræos*, *ſexies*, (nempe, *Cap*: VII. 27. & IX. 12. 26. 28. & X. 2. 10.) utitur, & *ſemel Petrus*, I. *Epiſt*. III. 18. Sed &, quomodò ſuprà probatum, nullum detur ſine *ſanguinis effuſione*, certè locus *incruento Sacrificio*, tanquam *verè propriéque Sacrificio*, non poſſit eſſe. Niſi quis tam

tam petulanti ſplene eſſe velit, ut jocetur: *Semel factum*, eſſe *pluries factum*; aut *Incruentum* dici aliquid poſſe, cum *Effuſione ſanguinis*. Similiter, & *Paulus Ferrius*, (s) poſtquam illam factionis ſuæ ſententiam fuiſſet amplexus, quod *anima immediatè à Deo creetur*; nè cogatur aſſumere: *Deum eſſe ſimul Authorem peccati originalis*, quod non eſt *ſubjectivè, niſi in animâ*; inter alias inanes fugas, ſic concludit: *Infunditur*, [inquit, nempe anima,] *eodem inſtanti, quo creatur. Creatur autem uno inſtanti; & ità ex parte quidem agentis, eſt pura; Sed ex parte termini polluitur. Itaque cum illud ſit unô momentô, ſemper polluta invenitur re ipsâ. Concipitur tamen pura, prout à Deô produ-itur &c.* Hæc *Ille*. Cujus ſenſu, ſi *Ani-nam, puram* dixeris, vel *Conceptu*, vel *le ipsâ*, fit *Diſtinctio Nominalis*. *Purum nim*, *Conceptu* ſaltem, & non *Re*, eſt *quivocè* purum. At hac ipsâ *Conceptibili uritate*, *Ferrius*, ſuam ipſius *Theſin*, non odò magis ſuſpectam reddit; ſed & orſus deſtruit: Ut quæ erat; *Animam, Deo, creari puram*; & hinc *Deum, non eſſe uſam peccati in eâ*. Argumentor per circu-n: *Quicunque eſt author peccati, ſeu imputitis in animâ, ille animam non creat puram: Deus*

(s) In Specim. Schol. Orthodox. p. 199.

Deus eſt author peccati, ſeu impuritatis in animâ : Ergo ; *Deus animam non creat puram*. Probo *Minorem* : Q. *animam ſemper re ipsâ pollutam creat, ille eſt Author peccati, ſeu impuritatis in animâ: Deus animam ſemper re ipsâ pollutam creat* : Ergò ; *Deus eſt author peccati, ſeu impuritatis in animâ. Minor* eſt ipſius *Ferrii*: Cui cum *anima, ſemper re ipsâ polluta eſt*, eritnè etiam tum polluta, *cum á Deô creatur?* Itaque, dum *Conceptuali* illâ *Puritate*, [quæ *re*, non eſt puritas,] *Ferrius*, ſuam vult firmare *Theſin*, illam perdit. Sicut *contradictoriæ concluſionum*, probant. Memorare poſſem, quàm & illud *Ferrii*, parùm ferreum acumen ſit, quod *eodem inſtanti*, componat *animæ*, & *creationem*, & *infuſionem*; & ſic vel ab illô latere, *Deum, animæ corruptæ Authorem* facit. Contrà inſtitutum ſuum. Nam *anima*, *punctô infuſionis*, vel erit *pura*, vel *non pura*. Si *hoc*, habeo quod volo, & intendo: Etenim *eodem inſtanti*, *quo infunditur*, *creatur*, [juxtà *Ferrium*,] & ſic *creatur*, qualis *infunditur*, nempe *impura* : ſi *illud*, Peccatum originis negabitur. Hoc enim, ſi *punctô infuſionis*, ſive *Unionis animæ cum corpore*, non exiſtit, quomodò exiſtet ? Idem verò *Ferrio* cum ſit abſonum; certè neceſſe eſt repellatur ad priores ſcopulos, nempe, quod *anima*, *non*-

non creetur pura. Niſi probare poteſt, [ſicut non eſt probaturus,] aliquid in *uno*, & *eodem inſtanti*, eſſe poſſe ſimul, & *purum*, & *impurum*; hoc eſt: *eſſe*, & *non eſſe*. *Puritas*, quæ in noſtrô tantùm *conceptu* eſt, non magis facit *animam puram*; quàm facit *conceptus febricitantis*, *ſacharum amarum*, cui tale videtur.

CAPUT TERTIUM,

DE

Diſtinctione Reali, tam in Genere, quàm in Specie.

1. Diſtinctio Realis, eſt Diſtinctio, in quâ totum ſecundum rem, ad partes ſuas ſingulas, contrahibile eſt.

Genus, ſeu *conſtituens inadæquatum*, eſt *Diſtinctio*, de quâ ſuprà. *Differentia* autem, ſeu *conſtituens inadæquatum*, conſiſtit in *totius*, ſeu *diſtincti*, *reali ad partes contrahibilitate*: ſive quatenus *diſtinctum ſecundum rem*, *poteſt ſingulis ſuarum partium*, *inſinuari*. Quô alienari conſtat *Diſtinctiones Nominales*, quarùm

rum *totum*, non eſt *partibus ſuis communicabile*, niſi juxtà *Nomen*. Erras autem, ſi *rem* hîc opponi ſtatuis; *Ficto*, aut *negato*; cum & in his, dari poſſint *Diſtinctiones*, quæ ſint *Reales*. Ut *res*, hîc opponatur *ſoli nomini*.

2. Diſtinctio Realis, eſt vel Eſſentialis, vel Accidentalis.

Fiet enim neceſſariò omne, quod ad aliud [affirmativè] poteſt contrahi, eidem, vel *Eſſentiale*, vel *Extraeſſentiale*. Cum quô terminus, *Accidentalis*, hôc in locô, habet æquipondium.

3. Diſtinctio Eſſentialis, eſt Diſtinctio Realis, in quâ totum ad membra ſingula contractum, facit unum per ſe.

Diſtinctio Eſſentialis, hîc non ſumitur pro *Partitione Totius Eſſentialis*, velut Hominis, in animam, & corpus &c: [*Partitionem* enim non eſſe *Diſtinctionem*, ante patuit.] ſed prout *ſynonyma* habet; *Diſtinctionem Univerſalem*, [ſtrictè ſumptam,] & *Diviſionem*. Ea verò ſolet ab aliis *Definiri*, [ſed mendoſè;] quod ſit, *In quâ totum*, *Eſſentiale ſit partibus ſuis ſubjectis*. Dico *mendoſè*: quià *tota* hîc

hìc *diſtincta*, quà *diſtincta*, nulli ſuæ *parti* ſunt *eſſentialia*, ut quæ *partes* non attingunt. Nam ubi eas attingunt, & fiunt iis *eſſentialia*, non tum quidem amplius *tota* ſunt; ſed *partes*, in iis, quæ ante *partes* fuerunt, *totæ*. Quomodò ad illud *Cap: Præced. Primô*, abunde munivi viam. Poſſunt verò illâ ſententiâ, non modò hæc *Distincta Universalia*; ſed & *Nominalia*, & *Accidentalia*, eſſe *partibus ſuis Eſſentialia*; Cum & illa illapſa *partibus* ſuis, tanquam *totis*, fiant iis *Eſſentialia*. *Omnis* enim *pars*, *eſt eſſentialis toti ſuo*, quippe quod conſtituit &c. *Dices*: ſi *totum ad membra contractum* ſemper ſit iisdem *Eſſentiale*, quomodò tum potuit *Theſi* 11. aſſeri, quod ſiat interdum *extraeſſentiale*? Reſpondeo: *Totum ſic contractum*, referri ad *membrum*, (quod eſt iterum illius *totum*,) vel *conſtitutivè*, & *quatenus totum*; vel *terminativè*, & *quà tale totum*. Hôc ſenſu, *Theſin Secundam* veram eſſe; *illô*, *Tertiam*. Nam ſi v. c. diſtinguas *Animal*, in *pingue*, vel *macilentum*; *Animal* quidem, ut refertur ad *pingue* tanquam ad *totum quatenus totum*, [hoc eſt: *compoſitum* ex *animali*, & *pinguedine*, tanquam ex *partibus*;] eſt *pingui eſſentiale*: [Sicut etiam *ſubjectum*, eſt de ratione *paronymi* quà *totius*, &c.] At conſiderandô

Animal, in relatione ad *pingue*, tanquam ad *totum hoc*, nempe *concretum*, & cujus *terminus*, ſit *unum per accidens*; jam ei *animal*, amplius non poteſt eſſe *Eſſentiale*. *Pinguedo* enim, abſque *animali*, eſt Ens *per ſe*, *completum &c*. Quare deſideramus, in *Diſtinctionis Eſſentialis Definitione*, ſuprà improbatâ; quod hæc, eadem, *aut* ignorarit, *aut* non expoſuerit: quando præterit, quô modô *contractio illa ad membra*, ſit *eſſentialis*. Nos ergò eam planiſſimè ex *Terminô ſuô* explicamus: Qui quidem *Terminus*, poſt *talem contractionem*, ſemper conſit *aliquid per ſe*. Eſt autem *Ens*, ſive *Unum per ſe*, quod *non habet in eſſentiâ ſuâ plura completa*: Sicut explico ex profeſſô, *Tmem*: *Poſter. Cap.* II. *Th.* V. & cognoſci poteſt ex *Oppoſito* ejus, *Unô per accidens*, Theſi mox ſequente. Quià ergò, *anima quaſi hujus Diſtinctionis*, eſt *contractio ad unum quid per ſe*, diſpaleſcit, *tum*, quod *Diviſio* ante memorata, hîc non poſſit aſtringi, ad eam quæ ſit *Generis* tantùm, in *Species prædicamentales*: cum *contractio ejusmodi*, poſſit incidere, in *Conceptus* etiam *Extraprædicamentales*. Velut ſi dicas: *Ens*, eſt vel *Subſiſtens*, vel *Inhærens*: *Unum*, ſive *Indiviſum*, eſt vel *indiviſibile*, vel *diviſibile*: *Verbum Dei*, vel *Legale*, vel *Evangelicum* &c:

Tum,

Tum, quod non repugnet *Diviſioni Eſſentiali*, ſeu *per ſe*, ut ſe habeant *Membra ejus per accidens*. Quià enim *Diſtinctio Eſſentialis*, & *Accidentalis*, menſurantur *formaliter*, non ex *Membris*; ſed ex *Termino*: Et verò *Membra* illa interdum, alia non poſſunt haberi quàm *Accidentalia*, [quoties enim *formas*, & *eſſentiales differentias*, ignoramus?] patet, quàm in *neceſſitatis caſu*, etiam illæ *Diſtinctiones*, pro *Eſſentialibus* debeant agnoſci, quæ *Unum per ſe* contrahunt per *Membra Accidentalia*. Ita contrahitur *Elementum*, per propria, *calidum*, *leve*, *frigidum*, vel *grave*, ad *Ignem*, *Aerem*, *Aquam*, *Terram*: *Principium Chymicum*, per *ſapidum*, *coloratum &c.* vel *fluidum*, ad *Salem*, *Sulphur*, vel *Mercurium*: *Brutum*, per *differentias Motus*, *tantum greſſile*, *volatile*, *reptile*, *natatile*, vel *amphibium*, ad *certas ſpecies*: *Zona terræ*, per *frigidum*, *temperatum*, vel *torridum*, ad *certa orbis terræ ſpatia &c.* Exempla alia *Diſtinctionum Eſſentialium* hîc accumulare, duco ſupervacaneum: Poſtquam *Diviſiones*, in *omni Scibili*, ſic ſunt obviæ, ut eas *Authores*, non manu; ſed ſaccô, ſerant.

IV. Diſtinctio Accidentalis, eſt Diſtinctio Realis, in quâ totum ad

membra ſingula contractum, facit unum per accidens.

Aliqui ſolent *Diſtinctionem Accidentalem*, appellare *Diſtributionem*. Non malé: Si eandem, *Logicam* intelligant. Nam *Diſtributio Rhetorica*, *inadæquata*, ſuprà dudum fuit exploſa. In *Definitione*: *Genus* nuper fuit explicatum. *Differentia* autem, [quam locamus in *productione unius per accidens*; *ſi quidem Diſtinctum, ad membra ſua contrabitur &c.*] altioris, & ſolertioris eſt indaginis. Tene: [1] Ad *unum per accidens*, *Tria* à Philoſophis requiri: ut ſunt, *Actualis plurium continentia*; *Contentorum completa ratio*; Et tandem, *Extraeſſentialis habitudo*. Quæ nos ſingula facilè probamus, niſi quod exiſtimemus, omnes hos parietes, unâ fideliâ poſſe dealbari, ſi dicatur ad *Unum per accidens*, ſufficere, *Syndromen plurium entium completorum*. Nam ſic, & *Primum* ipſorum *Requiſitum*, in *hoc* tegitur; & *Ultimum*, ex *hôc* fluit neceſſariò. Nunquam enim *Entia completa* ſe reſpiciunt *Eſſentialiter*. Sed & *habitudo illa Extraeſſentialis*, non eſt *præcisè* de eſſentiâ Unius *per accidens*. Ratio eſt: Quià reperiri poteſt, in *Unô per ſe*. Quemodmodum in *Totis Phyſicis*, *forma*, & *materia*, differunt *Eſſen-*

ſentialiter, atque ita *habitudinem Extraeſſentialem*, ad ſe habent: Cum nihilominus terminentur ad *Unum quid per ſe*. Adeò: *Sola ſyndrome Entium completorum*, adæquatur ad *Unum per accidens* [2.] Quià aliud *formale Unius per accidens*, non poteſt ſtatui, quàm hoc ipſum; & verò multæ reperiuntur *Diſtinctiones Accidentales*, quæ nè quidem accuratè loquendô, ſunt *Entium*, [ob quam cauſam *Ens*, ſive *Res*, ita fuit dilatata *Theſi* 1. ut poſſet etiam *Modos*, *Negationes*, *&c.* comprehendere,] nedum, *Entium completorum*: omninò ità emollienda eſt illa *pluralitas Entium completorum*, ut poſſit etiam ab iis, quæ *conceptu tantùm*, talia ſunt, abſtrahere. Aliàs enim nusquam recipientur v. c. *Diſtinctiones Entis*, in *Neceſſarium*, vel *Contingens*; *Principium* vel *Principiatum*; *Menſuram*, vel *Menſuratum &c:* Neque enim *Nominales* ſunt; uti ἀναμφίδοξον: neque *Eſſentiales*; cum omnis *Affectio quà talis*, & *formaliter*, ſit aliquod *extraeſſentiale* ad ſubjectum ſuum. Quià ergò ſunt *Diſtinctiones*, & aliis Diſtinctionum Speciebus, non poſſunt aggregari, quàm *his Accidentalibus*, omninò imperat cum utilitate neceſſitas, ut *completi* vocem ampliemus, atque etiam illud habeamus, pro *completô*

extra eſſentiali, quod à nobis tantùm, *ſic concipitur.* [3] Cum *Terminus contractionis Accidentalis*, dicitnr eſſe *Unum per accidens*, intelligitur illud non tàm *conſociationis*, aut *aggregationis*, [Quæ à nobis exponuntur *Tmem: Poſter Cap.* II. *Th.* V.] quàm *concretionis*; quatenus *Diſtinctum*, cum *membrô*, *ad quod eſt contractum*, facit ferè *concretum* aliquid, ex *ſubjectô*, & *formá extraeſſentiali*, ſi non κατὰ πρᾶγμα, & *à parte rei*; ſaltem κατὰ νόημα, & *à parte noſtri*. Sicut diſcurrenti per *exempla*, non latebit. [4.] Quià *membra* ſic *concreta*, nè quidem ità, certò arguunt *Diſtinctionem Accidentalem*, cum *Terminus* eorum adhuc eſſe poſſit *Unum per ſe*: ut fuit declaratum, ad *Theſin præcedent*: res hortatur meminiſſe aliquot γνωρισμάτων, per quæ tutò cognoſci poſſit, quod *membrorum iſtorum concretorum Terminus*, ſit *Unum per accidens*, & non *per ſe*; atque adeò ſit *Diſtinctio*, non *Eſſentialis*, ſed *Accidentalis*. Hujusmodi κριτήρια, *duo* eſſe poſſunt.

PRIMÓ: *Cum Diſtinctum eſt Species Specialiſſima, aut Individuum Monadicum.* Quid ſit *Species Specialiſſima*, pueri dicere poſſunt. *Individuum* autem *Monadicum*, [quale *Deus*, *Cœlum Sydereum*, *Terra*, *Saturnus*, *Sol*, *Luna* &c.] eximo à *Specie*; quià

quià *Species*, tanquam *univerſale*, non poteſt niſi in *pluribus individuis* ſalvari, & iis quidem, [ſi *realis*] *realibus*: Siquidem ab *individuis fictis*, aut *poſſibilibus*, non poteſt abſtrahi *Species realis*. Cum prætereà, quia *Species realis*, eſt *Totum*; ponendô hanc, ſimilem *unam partem* habere, hoc eſt: *unum individuum reale*, erit *pars*, *æqualis Toti*, atque idem quod *Totum*. Quod *Abſurdum*. Deinde: Loquor de *Individuô Monadicô*, & *Statô*; non *infinitô*, ſive *corruptibili*. Nam utut *hujus* etiam eſſe ſolent *Diſtinctiones*, velut *Socratis*, in *ἄγαμον* vel *uxoratum &c.* tamen illæ non ſunt *bonæ*, quià *Membra*, & *Diſtinctum*, ſibi non ſunt *adæquata*. Neque enim *uxoratum*, vel *ἄγαμον*, diſtinguunt *Socratem adæquatè*; ſed *hominem* in communi. Quod autem *Species infima*, & *Individuum ſtatum*, quoties ſunt *Diſtincta*, faciant *Diſtinctiones* nonniſi *Accidentales*, patet inde, quod infrà *Speciem ejusmodi*, non ſit alia *Differentia Diviſiva*, quàm *Numerica*, hoc eſt; *Accidentalis*: Et infrà *individuum* nihil ſit, ad quod *diſtinctum* poſſit contrahi *eſſentialiter*. Unde neceſſariò, quod ſic componitur, fiet *Per accidens*. Hôc *indiciô*, cognoſcuntur *diſtingui Accidentaliter*: *Scientia Dei*, [in ſe una & ſimplex,] in *Naturalem*, ſive *Neceſſariam*; (quâ Deus novit ſe

 ipſum

ipſum, & omnia poſſibilia;) *Liberam*, (quâ novit, alia omnia entia;) vel *Mediam*, (quâ novit, ſi hoc fit; illud futurum:) *Angelus*, in *Bonum*, vel *Malum*: *Homo*, in *Doctum*, vel *Rudem*; *Pauperem*, vel *Divitem &c.* Item: [*Theologicè*] in *Orthodoxum*, vel *Heterodoxum*; *Veterem* vel *Novum* : *Intellectus*, in *Theoreticum*, vel *Practicum* : *Sal*, in *Nativum*, vel *Artificiale*; *Volatile* vel *Fixum &c. plumbum*, in *nigrum*, *album*, vel *cinereum*: *Ignis*, [Chymicis,] in *Materialem*, ſeu *Viſibilem*, vel *Eductivum*, ſeu *Inviſibilem*, [per refractionem radiorum ſolarium, digeſtionem in fimô &c.] *Circulus Tropicus*, in eum qui ſit *Cancri*, vel *Capricorni*: *Radius*, in *Reflexum*, ſeu *Catoptricum*, (qui in eôdem mediô reſilit ad partem unde venit,) vel *Refractum*, ſeu *Meſoptricum*, (qui propter medium diverſum, non redit, ad eam corporis luminoſi partem, ex quâ exiit:) *Solſtitium*, in *Autumnale*, vel *Brumale*: *Luna*, in *Creſcentem*, vel *Decreſcentem* : *Linea*, in *Rectam*, vel *Curvam*: *Boſporus*, in *Thracicum*, vel *Cimmerium* : *Tyrannus*, in eum qui ſit *cum titulô*, ſeu *poſſeſſione*, (qui nempe licet ſit Reipublicæ Dominus, tamen eam opprimit;) vel *ſine titulô*, ſeu *poſſeſſione*, (qui cum non ſit Reipublicæ dominus, eam tamen iniquè uſurpat &c.)

SE-

SECUNDÒ: *Cum diſtinguentia poſſunt diſtincti ſubordinatis, aut oppoſitis, applicari.* Quæ enim ſic communis, & volatilis eſt *Diſtinctio*, nunquam poteſt eſſe *Eſſentialis*. Quæ *diſtincto eſſentialiter ſubordinantur*, [ſubordinari autem poſſunt *Species*, vel *Individua*,] cum ſint ex *alterô* tantùm *Diſtinguente* contracta; quomodo poſſunt in ſe *virtualiter* habere ſimul illud *membrum*, quod ad ipſa *contractum non eſt*, quippe datum ipſorum *oppoſito*? *Planta* certè, *nullô tempore*, aut *reſpectu*, poteſt dici vel *ſenſibilis*, vel *inſenſibilis*: quippe quæ, ex *membrô*, *inſenſibili*, conflata, potentiam ad *ſenſibile*, non poteſt habere. Unde, quià *eſſentiale ſuperius*, ſemper *habet potentiam eſſentialem ad plura*, *quàm inferius*, hoc, illius Diſtinctionibus, uti nequit. Similiter, non poſſe *Diſtincta Oppoſita*, de iiſdem *Diſtinguentibus*, [eſſentialibus,] participare, conſtat inde, quod ſi id fiat, oporteat ea eſſe *ejuſdem potentialitatis ad partes ſuas*. Quod repugnat. Etenim, quià *Diſtincti Eſſentialis* alia non poteſt eſſe *Eſſentia*, quàm *potentialitas eſſentialis indifferens*, *ad membra ſua*, [*terminativè* conſiderata;] ſi fingis *membra eadem* poſſe ſubjci *Oppoſitis*, fingis in *Oppoſitis*, *eandem* eſſe poſſe *potentialitatem*, & ſic *eandem eſſentiam*. Quod ἀλόκολον. *Oppo-*

ſitum enim & *idem*, quomodò coincident? *Dixi* vero ad κριτήριον ſuprà: quod ſit, *cum membra poſſint applicari &c.* non, quod debeant *actu applicari.* Quoties enim hoc fit, (id eſt: Quoties *Membra*, *actu applicantur Diſtincti ſui ſubordinatis*, *aut oppoſitis*,) nè quidem fieri poſſunt *Diſtinctiones*, nedum illæ, *Accidentales*: Sicut ediſſeret *Axioma Quartum*; Et fuit de *Oppoſitis*, *Cap.* 1. evictum. Ità *hic Character*, prodit eſſe *Diſtinctiones Accidentales*, cum diſtinguitur; *Peccatum*, [ratione Dei æſtimantis,] in *Mortale*, vel *Veniale*: *Mobile*, in *Naturale*, vel *Violentum*: *Corpus Elementatum*, in *Calidum*, vel *Frigidum*: *Animal*, in *Marem*, vel *Fœminam*; Item, in *Ægrum*, vel *Sanum &c.* *Nervus*, in *Senſorium*, vel *Motorium*: *Morbus*, in *Endemium*, vel *Epidemium*: *Planeta*, in *Directum*, *Retrogradum*, vel *Stationarium*; [quanquam *hæc membra*, non competant *omnibus Planetis*; certè non duobus, *Soli*, aut *Lunæ*:] *Aſpectus*, in *Partilem*, quô Planetæ ab invicem diſtant exquiſitè; vel *Platicum*, ad quem deſunt aliquot gradus &c: *Reſpublica*, in *Pacatam*, vel *Commotam*: *Magiſtratus*, in *Bonum*, vel *Crudelem*: *Lis*, in *Conteſtatam*, poſt pronunciationem partium; *Æſtimatam*, poſt judicium in cauſâ; vel *Mortuam*, quæ amiſ-

ſa-

ſa non poteſt reſtitui: *Hiſtoria*, in *Synopticam*, quæ ſummatim res geſtas narrat; vel *Diexodicam*; quæ ex ſynchroniſmô, & circumſtantiis rem deducit &c: Conſtat enim quod etiam ſub *peccatô*, *furtum*, *adulterium*: Imò, *hoc furtum*, *hoc adulterium &c:* poſſit dici jam *mortale*, jam, *veniale*: ſub *mobili*, *hoc mobile*, velut *globi*, jam ſit *violentum*, (nempe, in adſcenſu;) jam ſit *naturale*, [in deſcenſu:] Sub *Corpore Elementatô*, v. c. *homo*, jam ſit *calidus*, jam *frigidus*, *&c*. *Reliqua* eandem rationem habent; & ſimiliter, vel in *ſpecie*, vel in *individuô*, [tempore, modôve diverſô,] *Diſtincti ſui membris*, uti poſſunt. De *Diſtinctionibus Oppoſitorum*, nova *Exempla* addere, [cum nunquam fieri poſſint *Diſtinctiones Bonæ*, niſi quatenus habent ſe ad modum *Harum Subordinatarum*, & fuit de his etiam ante monitum,] don duco operæ pretium. Quanquam etiam *Diſtinctiones prolatæ*, iis facem, lucemque adferant, [Quatenus v. c. *Brutum*, æquè poteſt eſſe *Mas*, vel *Fœmina*, ac ejus *Oppoſitum Homo &c.*] & dicetur de his, infrà copioſius. Cæterum ad

Axiomata, & Poriſmata.

1. Diſtinctiones plurimembres Reales, ſi poſſunt, debent ad διχοτομίαν redigi.

Diſtinctioni Reali hæc præſcribo, non *Nominis*. Etenim *huic*, ſi membra commoda ſunt, nemo aliquid auferre, aut decidere poteſt. *Vocum* enim *ſignificationes* manent. Dico ergò: *Diſtinguentia Realia*, quæ ex pluribus membris ſunt coagmentata, *quoties poſſunt*, ſub *binariô* debere colligi: niſi hæc una conditio obſtet, quod *Negationes* inferant, [ſcilicet: ubi *membra poſitiva* haberi poſſunt,] aut ad prolixas *Subdiviſiones*, atque *Superdiviſiones* excreſcant. *Uſus*, quin *neceſſitas Dichotomiæ* conſtat, non ſolùm inde, quod ſic propius uniatur intellectus ad percipiendam *Membrorum adæquationem*, [*pauca* enim facilius penetrantur, quàm *plura &c.*] ſed & quod ſic *membra*, preſſius ſe referant ad *Primum Cognoſcendi Principium*; quô minus fraus aliqua, ſub iis occultari poſſit. *De ſe* quidem *omnes Diſtinctiones*, poſſent διχοτομεῖσθαι quod in illo *Primô Principiô* ſic fundentur, ut *niſi ſic ſint, prorſus non ſint*; tamen *ob defectum commodarum vocum*, & à *parte Noſtri*, qui

qui *Negationes*, inter Diſtinguendum fugere volumus; interdum labor in *dichotomias*, fruſtrà eſt. Quomodò, *ferendum, quod mutari nequit.* Habemus verò, quæ in ordinem redigi non poſſunt, ſive bipertiri, *jam* Τριχοτομίας: velut *Officii Mediatorii Chriſti*, in *Propheticum*, *Regium*, vel *Sacerdotale* : *Legum*, in *Morales*, *Forenſes*, vel *Ceremoniales* : *Caſtitatis*, in *Virginalem*, *Conjugalem* vel *Vidualem* : *Diſtinctionis Notionalis*, [quomodocunque,] in *Formalem*, *Modalem*, vel *Virtualem*: [ſignificanter dico, *quomodocunque*; Nam *Modalis Diſtinctio*, ſæpe *ſeparabilis*, & *Oppoſita*, etiam ſæpe eſt. *Realis*:] *Aeris Regionum*, in *Primam*, *Mediam*, vel *Summam* : *Societatis Domeſticæ*, in *Maritalem*, *Paternam*, vel *Herilem* : *Urbium Imperii*, in *Liberas*, *Provinciales*, vel *Mixti Status &c. jam* Τεσσαραχοτομίας: Velut, *Qualitatis* in *Habitum*, *Potentiam*, *Paſſibilem*, vel *Figuram* : *Oppoſiti*, in *Contradictorium*, *Contrarium*, *Privativum*, vel *Relativum*: *Elementorum*, in *Ignem*, *Aerem*, *Aquam*, vel *Terram* : *Status Reipublicæ*, in *Monarchicum*; [qui vel *Thearchicus*, velut in Republ. judaicâ, tempore Moſis &c. vel *Politicus*, ſeu *Anthroparchicus*,] *Ariſtocraticum*, *Democraticum*, vel *Mixtum*, &c. *jam* Υπερτεσσαραχοτομίας : velut

Præceptorum Decalogi, in *Primum*, *Secundum*, *Tertium Quartum* &c. *Prædicamentorum*, ſive *Claſſium Realium*, in *Subſtantiam*, *Qualitatem* &c. *Climatis Septentrionalis*, in per *Meroen*, *Syenem*, *Alexandriam*, *Rhodum*, *Romam*, *Pontum*, &c. [faciat verò etiam Aliquis nomina *Climatum maximè Borealium*: Ut & ejus, quòd eſt *horarum duodecim cum ſemiſſe*: Cum *Clima per Meroen*, non poſſit ſimul eſſe *horarum* & *tredecim*, & *ſeſqui-tredecim.*] *Maris Mediterranei*, in *Ibericum*, *Gallicum*, *Tyrrhenum*, *Adriaticum*, *Ionicum &c*: *Carminis*, in *Hexametrum*, *Pentametrum*, *Iambicum*, *Saphicum*, *Adonicum &c*: Quæ Diſtinctiones, *in ſe* quanquam graves, tamen *comparatè* adhuc meliòres ſunt, aliorum prolixis Υπερδιαιρέσεσι, & *Subdiſtinctionibus*. Cujuſmodi ſunt: Cum *Voluntas Dei*, [in ſe ſimplex, atque ſingularis,] diſtinguitur à *Sectariis*, in *Arcanam*, vel *Revelatam*: *Revelata* iterum, in *Præciſam*, vel *Modificatam*: *Modificata*, in *Amplam*, vel *Limitatam*: Hæc viciſſim, in *Exploratoriam*, *Promiſſoriam*, vel *Comminatoriam*. Item, cum laborioſi *Chymici*, *Furnos* ſuos numerant, in *Tectos*, vel *Apertos*: *Tectos* iterum, in *Simplices*, vel *Compoſitos*: *Simplices*, in *Calcinatorios*, vel *Diſſolutorios*; *Calcinatorios*, in

Cæ-

Cæmentatorios, vel *Reverberationis*: *Diſſolutorios*, in *Aſcenſorios*, vel *Deſcenſorios*: Et qui ſunt plures horum cineres. Nemo enim ambigit, quin hæc, [ubi vera ſunt,] multò arctiori operâ ſiſti *poſſint*, imò *debeant*, propter *Memoriam*, quæ aſina tot onerum, eſſe nequit. Quoties ergò *his* ſine *incommodis*, haberi poſſunt *Diſtinctiones Bimembres*, nullâ ratione debent negligi. Quâ in re, peccari ab aliquibus video. Nam abbreviari certè unô membrô poteſt, tum *Quantitas Continua*, dicendô eam eſſe, *Dimenſionis*, vel *unius*, [ut *lineam*;] vel *plurium*, [ut *ſuperficiem*, & *Corpus*:] tum *Habitus Innatus*, *Infuſus*, vel *Acquiſitus*; ſi dicas eum eſſe vel *Connatum*, vel *Acquiſitum*, huncque vel *Infuſione*, vel *Labore*: Tum *Veritas Apprehenſionis*, *Connexionis*, vel *Conſecutionis*, ſi tradas eam eſſe, vel *Incomplexam*, [quæ eſt *Apprehenſionis*,] vel *Complexam*, [connexionis, vel conſecutionis.] *Galliam* Veteribus tripartitam, in *Togatam*, *Braccatam*, vel *Comatam*, pulchrè *Cæſar* contraxit, in *Ciſalpinam*, ſeu *Citeriorem*, vel *Tranſalpinam*, ſeu *Ulteriorem*. Idemque tentandum, etiam in aliis: Nam ſi cymbâ potes traijcere Ægeum, non opus ut traijcias roſtratâ navi.

2. Ubi

2. Ubi Diſtinctum, ad membra ſua poteſt Contrahi realiter, Diſtinctio eſt Realis.

Realiter contrahitur *Diſtinctum* ad *membra ſua*, quoties *formale*, ſeu *definitio* ejus, membris poteſt applicari: ſive id fiat *intrinſecè*, & per modum *eſſentialis*; ſive *extrinſecè*, & per modum *ſubjecti &c.* Datô autem *formali*, dari *rem*, tam eſt certum, ut etiam in dicterium, apud *Philoſophos*, abierit. Ità errant [1] *Calviniani*, cum *Diſtinctionem Fidei*, in *Temporariam*, vel *Perſeverantem*, nolunt pro *Reali* accipere; quippe quibus *Fides Temporaria*, tantùm *Nominalis* eſt. Quære ab (t) *Altingio*, Reſpondebit: *πρόσκαιρος* [fides,] *cum notitiâ conjungens lætitiam aliquam, non poteſt eſſe vera fides.* Neque aliter (u) *Pareus*: *Fides temporaria,* [inquit,] *non eſt viva fides, quià non habet radices; ſicut pertica ſaligna, rameſcens in urnâ, non eſt arbor vera, quià non habet radices &c.* Itanè ô Boni: quorſum ruitis! An perſeverandô quis fit alius, quàm qui ante fuit; an verò qui perſeverat, pergit talis eſſe, qualis præexſtitit? Negate, & negabitis, *Adamum* ante lap-

(t) In explicat. Catech: p. 119. [u] contrà Bellarmin. l. 3. de juſtificat. c: 14: p. 861.

lapſum, non fuiſſe Sanctum, quià in Sanctitate illâ non perſeveravit: Et *Petrum*, ante abnegationem ſuam, Chriſtum non fuiſſe confeſſum, quià hoc quod abnegavit, confiteri deſtitit. *Qui credit ad tempus, etiam ille credit.* Aliàs oportebit eum, *qui in fide pergit, tum cum in eâ pergit, eam primò ſibi comparaſſe.* Quod repugnat. *Pergere* nempe *in aliquô exercitiô*; & tamen *illud primùm, cum quis hoc continuat, incipere.* Argumentor: *Quibus Chriſtus non modò exertè tribuit fidem; ſed talem fidem, quâ ſalvari poſſent, modò non interveniſſet aliud extrinſecùm; illi verâ fide, ſunt præditi*: Atqui, *Temporariis fidelibus Chriſtus, non modò exertè tribuit fidem; ſed etiam talem fidem, quâ ſalvari poſſent, modò non interveniſſet aliud extrinſecum*: Ergo, *Temporarii fideles, verâ fide ſunt præditi. Major* extrà controverſiam eſt. *Minor* conſtat ex *Luc*: VIII. ubi v. 13. Chriſtus inquit: πρὸς καιρὸν πιστεύουσι: [*ad tempus credere, tam eſt credere, quàm ad tempus ſcribere, eſt ſcribere &c*:] & v. 12. Illi ipſi πρόσκαιροι, potuiſſent λόγον ἀκούοντες, πιστεύειν, idque ἵνα σωθῶσιν; niſi diabolus illum λόγον, ex corde ipſorum rapuiſſet. Non ergò *propter ſe*, non ſalvat *fides* πρόσκαιρος; ſed *propter raptum* [extrinſecùm,] *diaboli. Per ſe* ergò ſi ſalvare poteſt, quomodò non erit *viva fides*?

Cal-

Calvinus, (x) quidem cavillatur: προσκαίρους *ideò dici credere, quià ſic videntur; & quod honor ille, quem exhibent evangelio, ſimilis ſit veræ fidei.* Sed *talis fidei*, nempe *putativæ* amiſſio, à Chriſtô, nunquam fuiſſet deplorata; ut quæ non fuiſſet noxia, ſed ſalutaris. Et verò oportet ſit *ipſa fides*, & non umbra ejus, ſive aliquid *ſimile fidei*, quod *veræ fidei effectum*, nempe *ſalutem*, potuit cauſari. Quomodò de eâ ante, fuit demonſtratum. Quod autem *fides* προσκαίρων, dicatur *non habere radicem*, intelligendum eſt non *abſolutè*: Quaſi *prorſus non haberet radicem*, [quum aliàs non poſſet *enaſci*, & quidem ità, ſeu ad eam magnitudinem, ut poſſet *exareſcere*, aut *ſuffocari*, *Luc*: VIII, 6, 7.] ſed *comparatè*, quod non habeat *radicem durabilem*, utpote quæ in primâ ſuâ herbâ, quaſi exſtinguatur. Ità & *Boves* dicuntur *non eſſe curæ Deo*, 1 *Cor*. IX. 9. & *Deum non velle Holocauſta*, 1 *Sam*: XV. 13. Comparandô ſcilicet cum *homine*, & *obedientiâ Legis Moralis*, quæ magis à Deô curantur, &c. [2] Qui *Diſtinctionem Privationum*, in *Naturales*; ſive *Violentas*, vel *Accidentales*, ſive *Adventitias*, etiam habent pro *Æquivocâ*: Etenim *Privationes Accidentales*, [quales ſunt, *tenebræ*, *nuditas*,

(x) in Harmon. p. 170.

tas, *ignorantia* καὶ ἀπόφασιν, *cælibatus &c.*] *impropriè* tantùm *Privationes* eſſe, quod (y) Ariſtoteli, *omnis privatio ſit rei à naturâ inſitæ*; & proinde non eſſe *veras Privationes*, niſi quæ naturam, *aut* tollant, *aut* graviter defœdent: quomodò *peccata*, *morbi*, *cæcitas*, *ſurditas*, *&c.* Hæc *Illi.* Quibus Ego: Quod *Privatio* tantùm de *formali* dicat, *abſentiam entitatis in ſubjectô aptô.* Cum illud *Privationibus Adventitiis* convenit, quis eas pro *Privationibus Impropriis*, jure proclamare poterit? *Materiale* eſt ad *Privationem quà Privationem*, quod naturam *tollat*, aut *inſigniter concutiat.* Eſt hæc equidem *Privatio*, ſed non *ſola. Ariſtotelis verba*, eô locô non reperio. Si exſtarent, poſſent intelligi de *Privationibus violentis.* Quod ſi pergas moleſtus eſſe, dicam aliud, nempe: *Authoritatem ſolam*, *eſſe imbelle telum*: Et *ſine ratione*, *nos tam ſtultè credere*, *quàm quid profitemur.* Non videndum *quis dixit*; ſed *quid dictum.*

3. Diſtinctio Accidentalis, non eſt confundenda cum Æquivocâ.

Lucet hoc ex præcedentibus. *Diſtinctum* enim *Nominale*, nonniſi ſecundum *vocem*, ad

(y) 6. Topic, c. 3.

ad *membra ſua*, contrahi poteſt: *Diſtinctum* autem *Accidentale*, etiam ſecundum *rem*. Ità cum Nonnulli, *Diſtinctionem Reipublicæ*, in *Probam*, vel *Vitioſam*, vocant *Accidentalem*, non ſunt audiendi. A *Republicâ* enim *verè tali*, hoc eſt, *probâ*, atque *vitioſâ*, unus *realis* conceptus non poteſt abſtrahi; Cum *vitioſa*, non ſit Reſpublica, niſi valde *diminutivè*, & in *nominis abuſu*, utpote *Reipublicæ* veriùs *confuſio*.

4. Multæ habentur pro Diſtinctionibus Accidentalibus, quæ nè ſunt Diſtinctiones quidem.

Circumferuntur in *omni Scibili*, Diſtinctiones, quæ *diſtincti ſui ſubordinatis*, aut *diverſis*, (jam *diſparatè*, jam *oppoſitè*,) actu ipsô, reperiuntur inditæ. Quomodò, (præter exempla ante monita,) *Homo* dicitur *pinguis*, vel *macer*; *cæcus*, vel *videns*; *æger*, vel *ſanus &c.* quæ de *animali*, etiam in uſu ſunt: *Mobile*, *in genere*, *velox*, vel *tardum*, quomodò & *hoc mobile*, [Planeta.] diſtingui poteſt: *Leo*, *ferus*, vel *manſuetus*; habemus verò *fera*, vel *manſueta alia*, non ſolùm intrà ſpecies *Brutorum greſſilium*, ſed & [iis oppoſitorum] volatilium &c: Aliqui diſtinguunt *Triangulum Planum*, ſive *Recti-*

ctilineum, in *Rectangulum*, vel *Obtuſangulum*; Similiter diſtinguentes ejus oppoſitum, *Triangulum Sphæricum. Majus*, & *minus*, tanquam *membra diſtinguentia*, multis *diſparatis*, vulgò ſolent ſubijci: Nempe, apud Sphæricos, *Circulo*; apud Geographos, *Variis Orbis partibus*, certè *Aſiæ &c:* apud Ictos, ſeu Politicos, *Regalibus*; apud Canoniſtas, *Excommunicationi &c*: Quid dicendum? *Membra* certè *excedunt totum ſuum*, & cum eô, non poſſunt converti. Quod quàm ſit extrà Diſtinctionis laudem, ſuis locis, ſatis declaratum fuit. Non ſunt ergò *Bonæ Diſtinctiones*, ſed *quales quales* tantùm *Diſtributiones*. Ut halucinentur, qui eas, & his ſimiles, pro *Diſtinctionibus Accidentalibus*, agnoſcunt. Quià verò nihilominus, ob *longam uſurpationem*, & *Temporum conniventiam*, in Diſciplinis ſæpe pertractantur, danda meritò eſſet opera, ut *ubi meliores omninò non poſſunt haberi*, nunquam *ſine proteſtatione*, uſurpentur: hoc eſt: ſemper ut addatur declaratio, *cujuſmodi ſint*, & *ubi contrà leges peccent*. Imò verò quodnam illas fatum peperit, & quâ neceſſitate, ſic in *Methodô* ferantur. Nam ἐπιμονὴν certè aliquam meretur, quod dixerimus: *Ubi meliores non poſſunt haberi &c*: Quia cum *ejuſmodi Diſtinguendi modi*, ſint, (quomo-

modò dictum,) *irregulares*, & *anomali*, nemo ita *bonam Methodum* perſpuere vellet, hoc eſt: ſeque, animumque abijcere, ut niſi extremis neceſſitatibus circumventus, aliquid contrà *Leges*, ſciens, prudens, admitteret.

5. Diſtinctio, quæ Subordinatis Diſtincti ſui tribui poteſt, non eſt niſi Accidentalis.

Fuit hòc ità, ad *præcepta* ante confirmatum, ut hîc crambem recoquere non ſit opus. Non dico autem *ordine inverſô*, quod *omnis Accidentalis Diſtinctio, tribui poſſit ſubordinatis Diſtincti ſui*. Nam quanquam res ferè ità ſe habeat, quando *Species* eſt *Subordinatum Diſtincti*; tamen hoc de *individuô*, non eſſe perpetuum, exempla in contrarium loquuntur. Cum dicimus: *Animal*, eſt vel *mas*, vel *fœmina*, poteſt quidem ſub *Animali*, *ſpecies*, nempe *homo &c*: ſic diſtingvi; ſed non ità *individuum*. Hoc enim niſi ad *unum ſexum*, non erit adſtrictum.

Uſus Canonis, alioqui declarari poteſt *Diſtinctione* vulgari *Motus Syderalis*, in *Primum*, ſeu *Diurnum*; *Secundum*, ſive *Proprium*; vel *Librationis*, ſeu *Acceſſus & Receſſus*,

ceſſus, ſive *Trepidationis*. Quaſi hi motus, eſſentialiter diverſi eſſent: Cum tamen *hæc* Diſtinctio, quidvis minùs, quàm *Eſſentialis* ſit. Nam quomodò ſuprà, in genere, Obtinuimus, *Motum non poſſe diſtingui niſi Accidentaliter*. Ità vel maximè, ἐκ περισσοῦ, hîc demonſtrare poſſumus, *Motum hunc*, nempe *Syderalem*, non eſſe melioris commatis, ex eô, quod *membra ejus, ſub illô, uſurpari* poſſint. Nam certè etiam ſub *Motu Syderali*, v. c. *Hic Motus Syderalis*, nempe *Lyræ &c*: dici poteſt, vel *Diurnus*, vel *Proprius &c*: Quomodò *eſſentialiter* tantùm *unus motus ſyderum* eſt, isque ſimpliciſſimus, ab *Ortu*, in *Occaſum*: Quatenus ille, dum quotidie circà terram, *ductu propriô*, & *naturæ*, circumvoluitur, tantum nihilominus verſus *Ortum* ſpatii, quiſque in ſuâ orbitâ, anticipat, quantum cujuſque aſtri *Motus proprius*, juxtà demenſum ſuum primigenium, requirit; Atque ſimul dum illam obit procopen, paululum inter obeundum exſpatiatur, & deflectit vel *auſtrum*, vel *ſeptentrionem* verſus. Vociferantur quidem *Pythagoræi*, velocitatem diurnam ſyderum, eſſe incomprehenſibilem, neque alibi obviam in naturâ &c: Sed meminerint, *Omnipotentiæ Dei* compedes non poſſe injici, aut ætherea, ad hæc infi-

ma

ma æquiparari. Nam quomodò Opifex Liberrimus, & Potentiſſimus, *Cælos, gloriam ſuam, (præcipuè) enarrare voluit, Pſalm: XIX, 2.* & propterea in hac aſpectabili machinâ ſuâ, alibi quàm in *cælis*, tam vaſta corpora non conſtituit; Ità & *motum corporum Cæleſtium*, ad *mobilia hæc inferiora*, novum, diſparem, inuſitatum, & incomparabilem, eſſe voluit. Quomodò adhuc manet eorundem æthereæ regionis corporum, nonniſi *unum eſſentialiter motum* eſſe: Qui cùm diſtingvatur, tantùm diſtingvatur, ratione *Officij*, aut *Stationis*. Quod quàm ſit *purè Accidentale*, in confeſſô eſt. Poſtquam autem *Motus Syderum* hac ratione, non aſſumitur ità *Circularis*, ut in ſe ipſam redeat peripheria; ſed *Spiralis*, ſive inſtar *Helices*, aut *quem convolvulus circà perticám facit Circuli &c*: planè intelligitur, quàm præterea nihil ſit opus *Motu Raptus*, ſeu *Externô*, quem *Cœlo Nono*, vel *Decimo*, adſcriptum, *Ptolomaici*, & *Alfonſini* fingunt. Nam nequidquam certè juvantur *Exemplis*, quæ pro eô, ſolent obijcere. Quaſi hæc haberent ſe, *tanquam ſi in navi raptâ in Occaſum, aliquis nihilominus verſus Ortum, ſe reciperet*: Aut *ſicut piſces, in cuppâ aquis repletâ, liberè ſe motitare poſſunt, utut eos navis aliô, & diverſô mo-*

motu abripit &c: Nam præterquam, quod *Similia non probent*, *ſed illuſtrent*, etiam [1] Non licet ab *animatis*, ad *inanimata* progredi & argumentari. Probandum, quod ſicut *homines*, *piſces &c*: [animalia,] poſt *raptum Externum*, nempe navis, habent libertatem, aliò ſe movendi atque convertendi, ità & habeant alicubi *inanimata*. Imò, [2] vel maximè probatô, *eſſe*, *darique in Naturâ hac inferiori Exemplum*, tamen necdum illud ſtatim ad *cæleſtes regiones*, valet. Unde enim didiciſti, rem ſe ità habere in *cælô*, ut ſe habet *infrà cælum*: maximè cum *cælum*, tot habeat peculiaria? *Ex Conjecturis*, *aut particulari ad particulare*, *nihil ſequitur*. Quin [3] Diſertim, & conſtanter affirmamus, non poſſe neque *Cælum*, neque *aliud quodcunque*, eſſe tale *Mobile Externum*. Non *Cælum*: Hoc enim cum ſit naturâ *fluidum*, [ſicut hoc abunde ex *phaſibus Veneris*, ex trajectione *Novarum Stellarum*, *&c*: oſtenditur,] non poſſe eſſe idoneum ad circumducenda corpora tot, & tam grandia, imò in contrarium nitentia &c: pene ipſô ſenſu conſtat. Neque *aliud quidpiam*: Nam hoc, eſto qualecunque ſuppoſueris, dum ſic aſtra, quæ *motu propriô*, & *naturæ*, verſus *Ortum* tendunt, [ex ipſorum hypotheſi,] trahit verſus

ſus oppoſitum punctum, *occaſum*, & ſic *moVens Violentum* redditur, certè oportet æquè fiat *defectibile*, ac fiunt alia in Naturâ *violenta*. Quomodò *ſi formica*, [nam hinc etiam, colorem quærunt,] repet ſæpe *contrà globum obVolutum*, certè & illa demum fatigabitur. Si hoc, nempe *cæli Violentum*, vis excipere, nihil quidquam ages, aut proficies: Imò, non dices cauſam, ut non ſis ineptus. Etenim *Cæli hæc Violentia*, naturæ in aſtris impetum, & inclinationem ſic excedit, ut ſit in *Saturnô* major plus quàm *decies millies*, ac *ſeptingenties*: Atque hic exceſſus, adhuc multiplicetur plus quàm *Octingenties nonagies*, in *firmamentô*. Quomodò neceſſe eſſet, *ſyderium Motum Proprium*, ſi non ſuſpendi prorſus, ſaltem elangveſcere. Maximè in *Violentiâ*, non *diei*; ſed nec *anni*, aut *annorum*, ſed *tot ſeculorum*. Quod foret contrà *Mathematicam* ἀσφάλειαν. Eſt enim certè *Motus hic ſyderum*, adhuc ille idem, atque *regularis*. Culpa & anomalia, ſi quæ eſt, *ObſerVantis* eſt. Sicut pulchrè deducit (a) *Galilæus*: Siniſtrè autem (b) *Kepplerus* (c) *Gaſſendus*, *&c*: *in ipſô* etiam *Motuum Cæleſtium ſubjectô*, anomalias & irregulari-

(a) Syſtem. Coſmic. p. 86. 87. (b) Cit. Gaſſ. in Vit. Brahæi, p. 238. (c) In Vit. p. 245. 256.

ritates, ſuſpicantur. Sunt qui poſt *Veteres*, *Ecphantum*, *Heraclidem &c*: *Semi-Pythagoræi* eſſe dum volunt, ſolum *Motum Diurnum* adſcribunt *Terræ*: Idque vel à *Principiô* ejus *Internô*, ſeu *Naturâ*, [in quod maxima *Doctorum* pars conſentit:] vel à *Principiô Externô*, ſeu *materiâ Cæleſti*: Quod (d) *Carteſius &c*: Quâ quidem ratione, & *hic*, & *illi*, quantum in ipſis eſt, *Diſtinctionem Motus à Nobis ſuprà approbatam*, detruncant; et ei *unum membrum*, nempe *Motus diurni*, amputant &c: Verùm enimverò, quamquam *hæc Hypotheſis* rectè *Noſtræ* venit ſubſidio, in *Mobilibus Externis* deturbandis cœlô: atque adeò minus operæ, quàm *Noſtra ante explicata ſententia*, tribuat ſyderibus, dum ea, quotidianô Terram circumeundi labore ſublevat, & iis tribuit ſingulis nonniſi *unum motum*, nempe *in Ortum*, congruenter ſingulorum circulis, &c: Tamen quia illa eadem *Hypotheſis*, non ſolùm nititur præſumptione, ad quam nulla nos premat & inducat *neceſſitas*; [poſſunt n. certè per *Noſtram Hypotheſin* omnia phænomena ſatis liberari,] ſed vel multò magis & præcipuè, quod *Patroni ejus*, nondum, niſi *vi*, aut

(d) Part. 2. Princip. Philoſoph. artic. 31. & part. 3. artic. 25.

eludendô, ſe purgarunt iis, quæ ex *Scripturâ*, & *Experientiâ*, ipſis ſolent objici, ſtat præ illâ, & gravior eſt ſententia, quæ *diurnum motum*, *Aſtris tribuit*. Nominabo, [quando hæc bucca nunc quidem multos præclaros baſiatores habet,] nonnulla ex iis quæ, ut dixi, ex *Scripturâ*, & *Experientiâ*, has potiſſimum *Telluris* alas frangunt, hoc eſt: *Motum* ejus νυχθημερινὸν, evertunt. *Primò*: Scriptura, *Motum Diurnum* tribuit *Soli*, quando, [in multorum aliorum teſtimoniorum nube,] dicit eum, non modò *oriri*, & *occidere*, *Eccleſ*: 1, 5, 6. *Matth.* v, 45. *Pſalm*: civ, 22, 19. [quod eſt certè diem à nocte dirimere, & ſic facere *Motum Diurnum*,] ſed & *in præfecturam diei*, eſſe conſtitutum, *Gen*: 1, 14, 15, 16, 18. Et *cum ſubſiſtit, facere diem longiorem*. *Ioſv*: x, 13, 14. Nulla autem evidens ratio datur, ob quam, cum vi *horum teſtimoniorum*, *Sol* conficiat *diem artificialem*, [qui eſt *effectum partis Motus Diurni*,] non conficiat etiam *Naturalem*, [qui eſt *effectum totius Motus Diurni*;] Et cur non eum etiam *reliqua* conficiant *Sydera*: Quandò hæc etiam, non minus quàm *ſolem*, tendere ab *Ortu* in *Occaſum*, obſervamus, ſpatiô *horarum viginti quatuor* &c: Argutantur quidem, & hæc Omnium eſt fabula, quod *ſcrip-*

Scriptura hîc loquatur *putativè*, & ex *hominum opinione*. Nam & Deum ſæpe, non modò per Similitudines, *Eſa* : v, 1, 2 *ſeq.* *Math.* xx, 1, 2. *ſeq.* *Luc*: xvi, *tot. cap.* 1.*Petr.* v,8. Tropos, *Pſalm.*: xxciv,3. *&* civ: 5. *Pſalm*: xvii, 8. *&* xci, 4. Anthropopatheias &c. *Dan* : vii, 9, 13. *Math.* iii, 16. *Act*: ii, 2, 3. *Pſalm*: xliv, 24. condeſcendere infirmitati noſtræ; & nobiſcum balbutire, *Cantic*: 1, 2, 3, 4. *Math.* viii. 11. *Luc*: xxii, 29, 30. Et ruditer agere, 1. *Reg*: vii, 23. ſed & interdum, ſaltem in *naturalibus* loqui quæ vulgus falſò præconcepit, ut ſe captus ejus modulo accommodet. *Act*: xxvii, 27. *Math*: ix, 13. & xix, 19. *Deuter.* xxx, 4. *Eſa* : xiii, 5. *Pſalm* : lviii, 5, 6. *Iud*: v. 13. *&c.* Ad quæ *Reſpondemus* : Non negari Dei συγκαλάβασιν, poſſeque illam ex allegatis elici: Niſi quod exiſtimemus præciſè in 1. *Reg*: vii, 23. non eſſe *balbutiem*. Narrat ibi *Spiritus Veraciſſimus* ſimpliciter, quomodò *Vas æneum*, in *diametrô* continuit *decem cubitos*; in *Perimetrô* autem, ſeu *ambitu*, *triginta*. Quæ utut non eſt *Proportio Archimedæa*, cum hanc juxtà, *perimeter* eſſet *Cubitorum* ferè *trigintà unius*; tamen nihilominus potuit vas illud, *rotundum*, & creditum, & reverà fuiſſe: Cum utut tale non eſſet accuratiſſi-

mè tamen ad *aliam Figuram*, quàm hanc ipſam, nempe *ſphæricam*, & *rotundam*; non accederet. Quod autem Deus idem Veracisſimus, ſive in *Naturalibus*, ſive in *Myſticis*, in *Vulgi*, aut alterius alicujus gratiam, *falſa aſſertivè* loquatur, non concedimus. *Falſitas*, [cum *Metaphyſica* nulla detur,] eſt vel *Logica*, difformitas intellectus & objecti; vel *Ethica*, difformitas oris & cordis. Utram tetigeris, ulcus tetigeris. Nam alterutrâ ratione Deus *falſa loquutus*, loquetur, *aut* quæ non intelligit, *aut* quæ non ſentit. Quæ cum *Divinâ Sapientiâ*, & *Veracitate*, prorſus adverſâ concurrunt fronte, & non poſſunt conſiſtere. Unde & Deus *falſa præjudicia*, paſſim improbaſſe, atque caſtigaſſe legitur. velut *Math.* xx, 21 *ſeq*: *Luc*: xxII, 24, 25, *ſeq. Math.* xxII, 29. *ſeq. Luc*: I, 34, 35. & II, 49. & xxIV, 25, 26. *Ioh*: III, 4, 10. & xx, 33, 36. Ad *Loca* à Diſſentientibus objecta *Reſpondemus*, ea intelligenda aut *narrativè*, ex ſententiâ aliorum; (quomodò *Gen.* III, 4, 5. *Math*: xxVI, 70, 72.) & non *aſſertivè*, ex ſententiâ ipſius Dei; aut *figuratè*, *parabolicè*, *hyperbolicè* &c: Sermonis autem *figuratio*, quomodò (e) ſæpe, non

(e) Capit. II. hujus Tmem. & Tmem. Poſter. Capit. I. Axiom. x.

non eſt *falſitas*. *Deinde*: Poſitô, non conceſsô, Deum in *Locis objectis*, ita condeſcendere, an mox, quæſo te, valebit concluſio, *ex unô Scripturæ Locô, ad alium*; hoc eſt *à particulari*, *ad particulare*? Imô v. non condeſcendere Deum, in *Locis à Nobis* ſuprà allegatis, ad *putativam hominum ὑπόληψιν*, & falſitatem, patet: *tum* quod nuſpiam *propriè* in Scripturâ tradatur *ſententia contraria*, hoc eſt: *Solis ſtatio &c.* [Neceſſariò v. quoties Deus condeſcendit, alibi illud, in quô condeſcendit, *propriè* docet: Aliàs enim nulla foret ſenſus ſacri ἀσφάλεια; Quippe vel uno contrariô Exemplô datô, poſſent *Novatores*, quodcunque vellent ex Scripturæ teſtimoniis, eâdem imitatione, *putativè &c.* exponere, & ſic univerſam Scripturam vocare in dubium,] *tum*, quod Textus ipſe *Locorum allegatorum*, illud *putativum gloſſema*, non admittat. Nam cum ſcopus *Eccleſiaſtæ* ſit, *Primô capite*, *oſtendere omnia eſſe in viciſſitudine*, & *quod nihil novi ſit ſub ſole* [v. 9. 10.] Quomodò *eam Concluſionem* deducit ex *rerum generatione ſucceſſivâ*: [v. 4.] *Ex venti reciprocô reditu ad ſuas circuitiones*: [v. 6.] *Ex fluminum in mare lapſu &c.* [v. 7.] Quæ *realem* certè inferunt *viciſſitudinem*; Ità [v. 5, 6.] eandem colligit ex Ortu & Occaſu Solis.

Finge jam Eccleſiaſtem, [quæ eſt tua ὑπόληψις,] ſic Argumentari: *Sol apparenter oritur & occidit*: Ergò *Realis viciſſitudo rerum datur*. Quid hoc erit Paralogiſmô ſtultius? At ſi *Sapiens*, ità Argumentatur: *Sol realiter Oritur*, *& Occidit*: Ergò *Realis viciſſitudo rerum datur*. Iam fit primum *aliqua Connexio*, & vis bona *Argumento* ineſt. *Porrò*: Chriſtus *Math.* v. 45. æquè loquitur de *pluviâ*, ac de *Solis Ortu*: Quomodo & *Ioſua*, eôdem contextu, loquitur non tantùm *Soli*, ſed & Lunæ. Quàm ergó *verè* & non *apparenter pluit*, *& ſtetit Luna*, *tum cum eſſet in motu*, [concedunt autem *Copernicæi*, Lunam de ſe moveri, &c:] tam etiam *verè*, & non *apparenter*, *Oritur* & *ſtetit*, tum cum vellet moveri, *Sol*. Si vis dicere, *in eodem contextu*, *unum terminum propriè*, & *alterum putativè ſumi*, detur *Ratio*. Quæ te magis deficiet, ſi dicas *Solem ſtetiſſe verè*, *& non apparenter*, *juxta motum proprium*, *& non Diurnum*. *Nam quià motus Solis Proprius*, non eſt *dietim*, niſi (proximè) ad unum gradum, adjuvari ſuſpenſione *talis Motus*, parum aut nihil, *Ioſua* potuit: Quippe luce ſibi ſuppeditatâ illô modô, ad *tempus vix ſenſibile*. At verò *Ioſua*, ita non potuit juvari tempore æqui-

va-

valente *uni gradui*, ut nè quidem *Dies dimidius*, [venerat n. Sol jam ad *cœli medium*, tum cum *ſtare* juberetur &c. *Ioſv. x.* 13.] ipſi ad hoſtes ſuos disturbandos, potuerit ſufficere. Sunt qui ad cauſam hanc ulterius firmandam, uti ſolent *Pſalmo* xix. Et ex ejus *verſu* 6. ſic colligere: *Quemadmodum ſponſus è Cubili, & robuſtus ad curſum prodit, ità etiam ad curſum Sol*: At *ſponſus, & robuſtus, non putativè, ſed realiter prodeunt*: Ergó: *Etiam ad curſum realiter prodit Sol*. Vel ita: *Si ſponſus, & robuſtus, realiter prodeunt, etiam realiter prodibit Sol*: *At ſponſus et robuſtus &c.* Ergó. Connexionem qui negat, *Pſaltæ* deſtruit *ſimilitudinem*. Et cum *verſum* 5. *ejuſdem Pſalmi*, Paulus accommodat ad *curſum Evangelii*, *Rom.* x, 18. Videretur, ſi *motus Cœlorum eſſet apparens*, etiam *apparentem* fore *curſum Evangelii*. Quod *Abſurdum*. Verùm cum *heic*, *Verſus* 5. *Pſalmi*, non præcisè de *Motu*; ſed *filô* ſeu *lineâ*, *& expanſô cœli*, poſſit intelligi; cum quô etiam *Evangelii diffuſio*, comparari poteſt: Et *verſus* 6. etiam poſſit accipi de *Motu Solis propriô*, & non de *diurnô præciſè*: equidem non video, quid hinc contrà *Semi-Copernicæos* firmiter poſſit exſtrui: Cum hi *Motum Solis*, non *proprium*; ſed *diurnum*, negent. Atq; hęc ſatis ex *Scripturâ*, dicta ſunto.

Experientiam, SECVNDÒ, quod concernit: Si ponis *Terram quocunque moveri* motu, nulla gravia, ſurſum aut deorſum miſſa, cadent in eundem, aut quem voles in Terrâ locum. *Ratio* eſt: quià Terra, dum illa ſunt in aere, ſe ſubducet. *Excipiunt* quidem: *Terrena omnia prægnata eſſe, motu ſui totius,* [Terræ;] *atque hinc fieri, ut dum per aera feruntur, motum habeant non modò rectum,* [quem eis *Natura*, aut *Extrinſecum aliquod pellens* indidit;] *Sed & ſphæricum*, ſive *circularem. Vt hôc pactô ſemper immineant illi puncto terræ, â quô impreſſionem ejus, ad ſimilem cum eâ motum, hoc eſt circularem, acceperunt, ſive mediatè, ſive immediatè. Ità,* [ajunt] *ſagitta è puppi navis* emiſſa, *non aliorſum quàm in puppim recidit: Et lapis, ſupernè* [*ſi ità deſtinas,*] *è carcheſio, rectà in pternam cadit; utut dum ſagitta, & lapis, ſunt in aere, aliquo uſque jam progreſſa navis fuit: Eſſeque Rationem,* quod *Sagitta, & lapis, propter impreſſionem à naui acceptam, etiam in aere teneant motum navis, & moveantur lineâ parabolicâ, &c.* Hactenus *Illi*. Qui ſi tam vera dicerent, ut hæc equidem ſunt pulchra, & in cauſâ perditè amatâ, magnâ ingenii cruce, conquiſita; *Aſtronomiam* non intelligeret, qui non & ſibi, & illis, de tam *facili* & *compendioſô inventô* vel-

vellet gratulari. Atqui, ſi eadem nuda, & qualia ſunt, hoc eſt; abſque mangoniô inſpiciamus, rem ſe aliter habere edocebimur. Etenim ſi verum eſſet, *Terram imprimere ſuis homogeneis, aliquem motum circularem*, fieri non poſſet, ut non *ille*, (ſaltem in iis quæ per aerem feruntur,) quoquò modò caderet ſub ſenſum. At non obſervatus unquam fuit in iis, *motus* aliquis *circularis*; *ſed tantummodò rectus &c.* Cavillatio eſt; *Nos non poſſe animadvertere motum, quô feramur ipſi.* Nam ſi ponamus duos, *cymbâ, curru &c.* duci, & circumagi in circulum; Imò, [nè quid deſit Argumento,] prorſus eodem ferri intervallô, quô diſtare poſſunt duo mota in circulum à tellure; Sequeretur ſimiliter, eum qui *poſterior* in cymbâ ſedet, non poſſe animadvertere, quod in orbem moveatur prior, quià *eôdem ipſe motu convehitur.* Quod eſt contrà *πεῖραν*, & falſiſſimum. Dolus autem, quem occultant *lineâ parabolicâ*, ita in apricum poteſt elici. Explodatur *Globus* verſus occaſum. Quæſitus *Pythagoræus* reſpondebit, illum *geminô* proferri *motu*: Unô *rectô*, qui eſt à *projiciente*: Alterô, *Circulari*, qui eſt à *tellure*; & ſic pergere in motû ſuô, *parabolicè* &c. Quæro Ego: Utrum *motus* ille *rectus*, atque *circularis*, ſint in globô æquales, an ſint *inæquales*? Certè æquales ipſos nemo

dixerit: Poſtquam ſecundum ipſorum Aſtronomiam, *motus Terræ* [circularis,] eſt ęquabilis: *Atqui motus incuſſus à proijciente*, eſt quomodò omnes *motus Violenti*, circà finem, *tardior*, & *tardior*. Quare manet, quod ſint *inæquales*; & ſic prædominetur alter alteri, hoc eſt; ſeu *motus rectus*, *circulari*, ſeu [converſim,] *circularis*, *recto*. Quomodò impoſſibile eſt, ut niſi *alterô*, globus ferri poſſit, & ut *linea parabolica* conſervetur: Quando irruentibus *pluribus externis Moventibus* in aliquid, motum ſemper in naturâ obſequatur ei ſoli, quod eſt *validius*, & quod præ aliô *habet prædominium*. Sicut hoc, *inductione omnium ſingularium Externorum Motuum*, eſt irrefragabile: Porrò inveſtiganti, *uter horum motuum prævaleat & regat globum*; Dico, quod hoc faciat *rectus*: Eſto, quod cum eo adſit *circularis*. Etenim quià ex *ipſorum principiis*, Globus hic, (quomodo omnia projectilia,) *geminam naturalem*, in illô motu ſuô, habet *appetentiam*, *ad terram*, à quâ eſt avulſus: Unam, *Unionis cum eâdem*; tanquam *totô ſuô*: Propter *hanc*, globus ſimul ac ſui juris fuerit, rectâ, & proximâ lineâ verſus terram tendit: Alteram, *Motus cum eâdem Circularis*. Quis verò aliquam nunc dabit *Rationem*, ob quam, cum *proijciens* ſuſpendere poteſt *primam globi hujus appetentiam*: Hoc eſt, efficere ut globus, quamdiu in motus à ſe in-

diti poteſtate eſt, non deſcendat propter *unionem &c*: non & *alteram*, ſi quæ fuerit ſuppreſſerit? Maximè, cum multò arctius cohæret *amor unionis*, quàm *motus* cum Naturâ. Ut ſic *ille*, quàm *hic*, impeditu eſſet difficilior. Poteſt enim certè *Natura* eſſe *ſine motu*; [Quomodò & plurima, in eâ conquieſcunt;] At ſine *Unione*; [nempe eorum, ex quibus conſtet, *partium ad totum &c.*] non poteſt eſſe. Quâ quidem ratione, *Globi illius* nullus *motus parabolicus*, eſſe poteſt: Cum in eô, deſit *Circularis*. Ut ità hæc ejus fortuna, *reliquis ſimiliter motis*, documento eſſe poſſit. Quod attinet ad *Exempla è navi ſumpta*, preterquam quod *Similia, non probandi, ſed probata prius illuſtrandi*, *habeant poteſtatem*, [nempe debuit ante *demonſtrari*, & non *aſſumi*, *Terram moveri*,] etiam *falſum* eſt, *miſſile in navi*, *ſemper cadere in relictum, aut in alium, in quem fuit deſtinatum, locum*: Sed nec minus falſum, quoties cadit, hoc cadere, propter *motum navis*. Etiamſi enim non diffiteamur, *quod convectis poſſit incuti aliqua impreſſio ad motum, ſive à navi, ſive ab aliô quôcunque movente*; [omninò enim ſentit ſeſe inclinari, qui è navi ventis feſtinante, aut è curru equis tractô &c: in terram ſalit,] tamen illa talis impreſſio, in *exemplis objectis* & *ſimilibus*, aliena eſt, &

nequidquuam arguit: ut quæ non venit ad operationem, ſed ſupprimitur ilicò, à *motu aliô prædominante*, qui ſupervenit, nempe, vel ab *Externô aliô*, vel *Naturæ*. Explico: *Si motus alicujus projecti ſuper navim*, fuerit *par* motui navis, aut eô *major*, cadit projectile etiam in illud navis ex quô venit, aut quò tendit, punctum: ſed ſi ejusdem *motus* fuerit *minor*, ſic ut ſuffugiendi tempus habeat navis, dum illud ruit per aerem &c: fruſtrà exſpectabis, & non cadet. Itaque *Cauſa*, ob quam v. c. *Sagitta*, attingit *puppim*, vel aliud navis è quô fuit extruſa, punctum, non eſt quærenda in *motu Navis*, aut *impreſſione à Navi acceptâ*; [Ità enim oporteret *ſagittam*, & ſemper reverti ad idem, aut intentum punctum, & conſpici in aere moveri *parabolicè*, ſaltém ab iis, qui ſunt extrà navim: Quod eſt contrà *ſenſum*, & *Experientiam*,] ſed in *motu ipſius Sagittæ*: Quatenus, (ut præmiſi,) ſi *impreſſio* accepta à *jaculatore*, *aut Naturâ*, (illic in *aſcenſu*, hic in deſenſu) eſt celerior & fortior, quàm eſt *Motus Navis*, aut eidem *æqualis*, ſagittæ *punctum à quo* in Navi, ſagittam in motu occupatam non poteſt antevertere: Si *tardior*, poteſt. Quæ res etiam ità eſt de *lapide, quem è carcheſio &c: deÿcis in puppim navis*. Sicut

cut qui ex altô, aliquid jactu deſtinat in *currum*, *perpendiculariter inferiorem*, ferit illud metam quidem, ſi *motus ejus deſcenſorius*, fuerit *par* motui currus, aut eô *major*; ſed ſi *minor*, ſic ut currus ſubiens habeat ſpatium ſe ſubducendi &c. antequam ad *punctum ſuum*, miſſile pervenerit, nunquam ferit. Utrum ex hôc locô, reſponderi poſſit ad *Experientias Leandri Bandtii, qui Brugis, Annô* 1642. *ex feneſtris editioribus Monaſterii Dunenſis, fertur obſervaſſe, globum* 10, *&* 20. *librarum, eodem tempore perveniſſe ad terram, quo globum* 100, *aut* 1000 *librarum.* Unde videtur *Aliis*, inferri poſſe: *Gravitatem, Corporum deſcenſus non eſſe cauſam &c*: Sed fortè in globis illis, *major gravitas*, *non* prævalet *minori*, quià non habet *juſtum operandi ſpatium*: Vt feneſtræ illæ, quamvis *editiores, editæ ſatis* ad negotium, non fuerint. Certè ad curſum incitatis, unô tempore, *Bove*, & *Equô inæqualis roboris*, poteſt fieri ut intrà *modicum ſpatium*, neuter neutrum curſu antevertat: Cum in *longiori*, vincat Equus. Ut inde non poſſit colligi: *Agilitatem non eſſe cauſam celeritatis Animalium*. Et quicquid fuerit de *motu Animali*, certè *medium longius*, vel *brevius*, quanta præſtare poſſit, ſentit facilè, qui ex *tectô altô*, & *humili*, eodem

la-

lapide verberatur. Nam quò *longius deſcendendi ſpatium* habet lapis, eò etiam circà finem, fortius magiſque properabit, & movebitur; & ſic etiam gravius lædet in quod labitur. Si vera eſſet *Gravitas* (f) *Copernicæa*, definita per *appetentiam cujusque ad totum ſuum*, cum eam æquè *Levia*, ac *gravia* deberent habere, prompta foret reſponſio. Sed hæc res eſt altioris indaginis. Ego ſaltem moneo, & dubito. *Veniet*, forte *tempus*, [ut verbis utar (g) *Senecæ*,] *quo iſta, quæ nunc latent, in lucem dies extrahet, & longioris ævi diligentia.* Solet etiam, neque vanè, urgeri illud contrà *motum terræ*, maximè *Diurnum*. Quod, *ſi Terra ità moveretur, proſcindendô aerem, ventum excitaret.* Eſſe enim vulgariter notum, quod cogatur atque flabelletur ventus, etiam in *quavis mediocri trajectione Aeris*: Quantò magis in tam concitatâ? Occurrunt quidem reſpondendô: *Aerem, tanquam partem*, & *lanuginem terræ*, unà *circumagi cum ipſâ Terrâ, & ſic non proſcindi &c*: ſed non meminerunt, quid ipſi ſolent reſpondere *Ptolomaicis*: Nempe, *Cælos naturâ fluidos eſſe*, & *propterea ineptos eſſe ad circumeundum.* Eſt verò certè etiam Aer, fluidus. Ità ut

(f) Copernic. Revolution. l. x. c. 9. (g) Lib. 7. Quæſt. natur. Cap. 25.

ut quanquam inſpiſſetur *Metheoris*, tamen illa nec omni *locô*, ſed nec *tempore*, conſiſtant: nec ſint ad *tantum*, & *tam uniformem Terræ motum* capeſſendum ſatis compacta: multò minus *ipſe aer* ſint &c. *Coronidis* & *Superpondii* locô, addo: Quando *Copernicæi* præfractè gloriantur, *nullum in Syſtemate ſuô, Artis vitium eſſe*, [cum alioqui inventio ipſorum admirabilis ſit, & in *praxi*, laudem habeat,] etiam alia, contrà dici poſſe. Nam cum *Cæli Scrutatorum*, (h) *Alii*, Saturnum apogæum à Terrâ removent, *Semidiametris Terræ* 18094; & ultra eum *Fixas*, 1900 *Semidiametris*: Alii (i) diſtantiam Fixarum, (diſtantię Saturni ęqualem,) ęſtimant *Semidiametris Terræ* 20110: Et *Tycho* pro earum diſtantiâ aſſumit *ſola* 14000 *ſemidiametrorum Terræ* &c. *Copernicæi* (k) uſque eò prodigi ſunt, ut *diſtantiam fixarum* elongent, donec *Orbis Annui*, [neque enim aliter *Salvâ Hypotheſi* poſſunt,] parallaxis, prorſus evaneſcat. Unde eſt quod non modò (l) *Keplerus* ratiocinetur, *diſtantiam fixarum continere ſexcenties centena millia Semidiametrorum Terræ*; ſed & (m) *Galilæus*, quaſi animô

(h) Albategn. cap. 50. (i) Alfergan. Differ. 21. (k) Lanſberg. Progymnaſm. Aſtron. Lib. 1. c. 23. (l) Epiſt. Aſtronom. pag. 492. (m) Dial. de Syſtem. Mund.

mô abjectô, deſperans aſſerat, *eam ob immenſitatem, non minus poſſe capi, quàm myriades myriadum in numeris &c:* Ex quâ immani diſtantiâ, *enorme mundi centrum*, & *monſtroſa Fixarum Quantitas*, atque *magnitudo*, ſequitur. Etenim, aſſumptâ *Keplerianâ hac diſtantiâ*, & (n) *Galilæanâ Fixæ primæ magnitudinis diametrô apparente, quinque ſecundorum*; cum *Corpora ſphærica*, *in eâ ſint ratione, in quâ cubi ſemidiametrorum*, fiet ex his *διδομένοις Copernicæis*, ſtella *primæ magnitudinis*, major Terrâ, *vicibus* 384240583. Et Secundum hanc *diſtantiam*, lapis è *cælô fixarum* cadens, poſitô quod *ſingulis ſexagenis horariis*, poſſet *Leucam Francicam* abſolvere, non perveniet ad Terram, niſi *Diebus* 45194445. hoc eſt: *Annis* 123820, *ὡς ἔγγιστα*. Quæ quâ poſſunt probabilitate recipi? Eodem *Kepplerianô Orbis Maximi aſſumptô Radiô*, erit *Orbis Annuus*, & *hæc tria*, [quanta autem!] *corpora*, *Sol*, *Terra*, *Luna*; in nullâ, niſi *puncti* ad *Fixarum Orbem*, ratione. Et *centrum*, *punctumque inſenſibile* erit talis corpulentia, atque magnitudo, quæ (o) *Terræ globos, plu-*

(n) Dial. 3. de Mundi Syſtem: (o) Muler. in præfat. ad Inſtitut. Aſtronomic. item: Inſtitut. p. 25. Et in Iſagog. ad Tab: Friſic. p. 321. 322.

plures ſeſqui-bimillione, capere poſſit, Quâ quidem ratione, *Sol*, (Luminare tantum) in nullâ admiratione, futurus eſt; quippe cujus *lux*, & *moles*, fixis præcipuis omnibus minor erit. Sed de his, & pluribus, aliàs.

6. Accidentalis diſtinctio, quamdiu ſuppetit Eſſentialis, non eſt adhibenda proximè poſt Definitionem.

Dico, [1] *Accidentalis*. Puta, quà *Accidentalis*. Cum aliàs etiam *Diſtinctio Accidentalis*, poſſit ſupplere vicem *Eſſentialis*, & ſic *Lege hac* non teneri &c. Dico, [2] *Non eſt adhibenda quamdiu ſuppetit Eſſentialis*. Etenim interdum *Diſtinctio Eſſentialis*, nullô modô poteſt haberi; ut cum *Definitum*, ſeu *Diſtinctum*, fuerit *ſpecies ſpecialiſſima*, aut *Individuum Monadicum*: ut proluſimus. Ità *neceſſitas Legem frangit*: ſi quando illorum *natura* commodè in Diſciplinis, non poteſt declarari, niſi adhibitis *Diſtinctionibus Accidentalibus*. Quô de *Sequens Axioma*. Datâ verò *Diſtinctione Eſſentiali*, nunquam debet adjici *Accidentalis*, ſive *ſola*, ſive cum *Eſſentiali*; quià διαιρεῖν χρὴ τοῖς ἐν τῇ οὐσίᾳ, καὶ μὴ συμβεβηκόσι, 1 *de par. an. c.* 3. Et *puerorum eſt, & mulierculariun, non ſublimium Iudiciorum*

rum, *res partiri fortuitis diſtinctionibus.* *Scalig. Exerc.* 182, *ſ.* 1. Ità non ſatis accuratè *Logici*, diſtingvunt *Subſtantiam*, in *Primam*, vel *Secundam*: *illam*, ſingularem; *hanc* univerſalem. Quæ eſt *Diſtinctio Accidentalis*. Nam & *ſubſtantiæ* oppoſitum *Accidens*, in hunc modum poteſt diſtingvi: quippe quod ſimiliter, eſt vel *ſingulare*, vel *univerſale &c*: Quare, cum ſuppetant *Diſtinctiones Eſſentiales*, ſicut hoc ex *Arbore Porphyrianâ*, [uti vocant,] *Subſtantiæ*, eſt in propatulô; debuit hîc quidem *Accidentalis* exeſſe. Interim dico, [3] *proximè poſt Definitionem.* Quià enim interdum utile eſt ſcire, præter *Definiti Diſtinctiones*, etiam ejus *Accidentales aliquas*, debet res tranſigi illô temperamentô; ut *proximè poſt Definitionem*, hoc eſt; in *ipſis præceptis*, ſive in *curſu methodi*, nil niſi *ſolæ Eſſentiales* collocentur; In *reſolutione* autem *præceptorum*, eorumvè *explicatione*, poſſint etiam *Diſtinctiones Accidentales*, ſi quę hoc inſigniter merentur, addi: ſed & illud nonniſi *tranſitoriè*, Paucis videlicet monendô: *Definitum*, etiam *Accidentaliter* ſic diſtingui; atque non abs re eſſe, illud ut notetur, propter *uſum* hunc vel illum &c: Excipe, *Quando membra Accidentalia ſunt Affectiones definiti*, *ſeu Diſtincti*, *tum illa debent Eſſentia-*

libus.

libus præmitti. Conſtat enim, quod *vi bonæ Methodi*, ſemper *Affectio* ſit prior *Specie*; ſive *modus afficiens*, quàm *contrahens &c*: Unde etiamſi *Eſſentialiter* diſtingvi poſſit *Ens*, in *Subſiſtens*, vel *Inhærens*: *Corpus naturale*, in *Animatum*, vel *Inanimatum &c.* præcedunt tamen *eorundem Affectiones*; [nempe *Disjunctæ*, quæ ſunt *membrorum Accidentalium* inſtar,] *Entis* quidem, in *Neceſſarium*, vel *Contingens*; *Principium* vel *Principiatum &c*: *Corporis* autem *naturalis*, in *Mobile*, vel *Quieſcens*.

7. Accidentalis Diſtinctio, [deficiente Eſſentiali,] etiam poſt definitionem, cum delectu adhibenda eſt.

Datâ veniâ *Diſtinctioni Accidentali*, cum *Eſſentialis* haberi nequit, juxtà *Axioma proximè præcedens*; porrò ad *Regulæ hujus* ſenſum addimus, quod etiamſi *Diſtinctiones Accidentales*, multæ, imò quàm plurimæ eſſe poſſint, ob reſpectus fermè innumeros, qui eſſentiis *ex accidenti* ſuperveniunt, non ſint tamen *aut* omnes, *aut* aliquę ſine ordine, & cauſâ ſuâ, adhibendę. Nam quanquam una æquè poteſt eſſe *Accidentalis*

ac alia, & contrà *artis Principia*, non impingere; tamen poteſt una propius attingere *diſtinctum*, cui ſubeſt, quàm alia; & viciniorem cum eô nexum, hoc eſt; majorem ad *Naturam*, & *phænomena ejus* declaranda, uſum obtinere. Quæ conficiunt, eam ſi non *ſolam*, certè *præ aliâ* debere adſciſci. Tantum abeſt, jure poſſet intermitti. Id quod nunc mihi deducendum ſumo, maximè propter *Carteſianos*: Qui cum habere poſſent Diſtinctionem *Motus Localis*, in *Naturalem*, vel *Violentum*; *illum*, principii interni; *hunc*, externi &c: malunt tamen, [hac præteriâ] *Motum* diſtingere, in *Rectum*, *Mixtum*, vel *Circularem*: [Nobis, *Rectum tantùm*, vel *Mixtum*.] *Diſtinctio* quidem *utraque*, eſt *Accidentalis*: Motus enim *Localis*, tanquam *Species ſpecialiſſima*, non poteſt aliter diſtingui; ſicut *ſuprà*. Et reverà ſenſus comprobant, poſſe *idem numerô Mobile*, ſaltem *tempore diverſô*, *moveri* & *ab intrà*, & *ab extrà*: Et *in rectum*,& *in circulum &c*: Quod eſt indicium *Diſtinctionis Accidentalis*. Utor verò illâ admonitione, partim propter *Neotericos*, cæterà induſtrios, qui videntur diſtinguere *Motum*, in *Naturalem*, vel *Violentum*, tanquam in *ſpecies*: [cum diverſitas *principii*, hîc occurrens, non magis

gis

gis faciat *diverſitatem Eſſentialem ſpecificam*, quàm *albedo* emanans ex *lacte*, & *nive &c*:] partim, etiam propter *Veteres Peripateticos*, & qui *Motus quinque* faciunt *ſpecies*: *Generationem*, *Corruptionem*, *Augmentationem*, *Diminutionem*, & *Alterationem*. Quæ, quà non conveniunt, ſunt nonniſi *Motus modi*. *Baco de Verulam*; [p] prorſus ineptit; cum non ſolùm *ſpecificè* diſtinguit *Motum*, in *ſimplicem*, vel *Compoſitum*; ſed vel ità luxuriat, ut ſub *illo* iterum *ſpecies*, non pauciores 15. conſtituat; videlicet *Motum Antitypiæ materiæ*, *Libertatis*, *In ſphæram novam*, *Sigilli*, *Nexus ſecundi*, *tot congregationum*, & quæ piget recitare. Dico autem, ut revertar ad propoſitum: Quanquam *Motus* illa *utraque Diſtinctio*, ità *Accidentalis* eſt, ut monitum, relinquit tamen *prior*, [quæ eſt in *Naturalem*, vel *Violentum*,] *poſteriorem*, [quæ eſt in *Rectum*, vel *Mixtum*;] poſt ſe multis paraſangis. *Illa* enim motus naturæ *cauſam*; *hæc* nonniſi *ejusmodum*, inſinuat. At quis neſcit; quantum interſit in *Phyſicâ*, ſcire *modum*; an *cauſam rei*? Cum per *priorem*, etiam plura, certè jucundiora *problemata motus*, ſolvi poſſint. Nam non dabis rationem: quare *motus projectilium in adſcenſu mi-*

(p) Tract. de mot. & lib. 3. de augment. ſcient. p. 248.

minuatur: Quare *motus deſcenſorius*, *ſit celerior in fine quàm initiô &c*: niſi per *hanc ipſam*. Adeò oportuit eam, non modò non omittere, [quod *Carteſianus* auſus fuit;] ſed & *Diſtinctioni*, in *Rectum* vel *Mixſtum*; imò *omnibus*, quæ hîc aliæ eſſe poſſent, anteponere. Multis quidem ſe opponit (q) *Carteſianus*, & ſic infit: *Motus eâ ſententiâ Naturalis*, [ſeu principii interni,] *non exiſtit. Fit enim omnis motus à principiô Extrinſecô, quod* [pręter *Deum*, *qui motum primò rebus inditum adhuc continuat*,] *eſt ſi non corpus aliud motum excitans impulſu ſuô; certè materia ſtriata Cœli. Eſſe enim expanſum materiæ cœleſtis, ex quô cœlum & ſtellæ conſtant, primò conditum cum ramentis ſeu particulis, quas attritis angulis, cœlum, eô quô quotidiè circumagitur, defundit. Atque eas quidem, dum in terram defluunt, atque ex eô appulſu accipiunt vim reſiliendi*, nè loca, per quæ commeant, fiant vacua, *pellere in ea*, *corpora vicina*, & ſic Motum ſuum accipere, *corpora materialia*, bruta ſtirpes &c: *Fuiſſe* Ariſtotelem, *in eadem opinione*; *ut qui* 8. *Phyſic: c.* 4. multis probat: *Nullum corpus, moveri à ſe ipsô*; &

(q) Tatingh. clav. Phil. Natur. Cap. VI. q. 3. p. 119. ſeq. Confer ejuſd. præfat. cum p. 135. ſeq. & p. 161. 162.

8. *Phyſic*, c. 2. infit: *Animal prius quieſcens, poſteà movetur ac ambulat, nullô, ut videtur eorum, quæ extrà ſunt, movente. Hoc autem falſum eſt. Cernimus enim ſemper aliquid eorum, quæ innata ſunt animali, moveri: Hujus autem motus, non ipſum animal cauſa eſt; ſed id fortè quod ambit &c:* Confer, qui *Hunc Noſtrum*, aut docuerunt aut ſequuti ſunt, in hac admirabili *Motus* Cauſâ &c: (r) *Carteſium*. (s) *Henric. Regg.* (t) *Clauberg.* & *Alios*. Nos hîc compendium facturi, *Reſpondemus*: [1] *Carteſianum* (v) ipſum ſeſe refutare, cum fatetur *rerum intellectualium*, [puta homi-num,] *eſſe privilegium, quod habeant internum actionum ſuarum principium.* Nam ſi *Motus ex principiô internô*, hoc eſt; *Naturalis*, competit *his intellectualibus*, debuit certè *ipſarum causâ*, etiam tradi & exponi in *Phyſicâ*? Niſi ſi fortè aliquis ità naturã vellet perſpuere, ut negaret, *res illas intellectuales*, eſſe *conſiderationis Phyſicæ*, ſeu *corpora naturalia*. [2] Falſum eſſe *corpora*, quę ipſi vocant *materialia*, [hoc eſt alia quàm homines,] nullô niſi *Extrinſecô* gaudere *Motu*.

(r) Id cit loc. quæſt. 5. p. 134. (s) Princip. Philoſoph. part. 2. n. 34. ſeq. & part. 3. n. 87. ſeq. (t) Fundament. Phyſic. cap. 2. pag. 53 ſeq. & cap. 3. p. 78. 79. (v) In Defenſ. Carteſ.

Unde enim *Spontanei corporum motus, Brutorum inceſſus, volatus, natatus; Levium aſcenſus, deſcenſus gravium &c.* nullô alio *Externô* impellente? Fortaſſis *materia cæleſtis*, ea impellet? illud v. grande αἴτημα eſt, non dicam ψεῦδος. Nam cum nemo hactenus, ullô artis inſtrumentô, *ipſam cæli materiam*, potuit conſpicere; omneſque veræ ſapientiæ Candidati, tenuerunt, *cælum & non moveri propter fluiditatem ſuam, & in ſe eſſe aliquid continuum, longè à mundô hocce elementari ſeparatum*: [*Stellæ* influunt, non *cælum*; idque non ad *motum proximè &c.*] oportuit ipſos *magnâ prius ratione* nixos, quàm præſumerent, (quod dicitur,) ſexagenarios de ponte deijcere, & tum *moveri cælum*, contra diſputare; tum illud conſtare ex *materiâ ſenſibili*, non eâ modò in *particulas* & *globulos* diviſâ, *qui continuè inſtar vorticis gyrarent &c.* [ecce ut valent oculis!] Sed et ità volatili, *ut indies luxaretur, & hinc inde difflueret, propter motum faciendum &c.* Nos ejuſmodi admirandorum αἰτημάτων, nullum aliud, apud ipſos fundamentum hactenus potuimus reperire, quàm τὸ ἔφα; & inutilem quandam ſolicitudinem: *Quaſi vacui ſupplementum*, atque *Motus corporum*, aliâ ratione, non poſſent excuſari. Quod pro illô tantô auſu, utique nimis tenue eſt,

&

& perpluit. *Addo*: Quia hic *cœlorum Motus*, [æquè ac *aſtrorum νυχθημερινὸς*,] foret *æquabilis*, atque hoc ſemper, de ſe, totidem *particulas* excerneret; conſequi debere, quod *corpora, ad quæ ſemel movenda hæc materia cœleſtis habuit poteſtatem, ſemper in eodem motu pergerent; atq; eo ſimili, & uniformi.* In quo *ſenſum* atque *oculos* dimittunt. Nihil n. aliud eſt futurum, (removemus quippe *omne Extrinſecum*, ut qui loquimur, de *motu* (Nobis) *ſpontaneô*,) quod *materiam illam cœleſtem, unô modô comparatam*, ſuo confluxu, aliter determinare poſſit. Nimirum: Si v. c. *materia cæleſtis*, facit, ut bos locum mutet, & ſe moveat; quare non facit idem, cum incidit in eum dormientem? vel num in illum minùs incurrit? Contra: Proijciatur panis *catello quieſcenti*, videbis eum propter *ὄρεξιν internam*, & non aliquid *ad extrà* pellens, ſurgere & ſe movere ad capiendum panem: Quem ſi ipſi non objeciſſes, nulla *materia cæleſtis* eum commoviſſet locô. Ergò miſſis ejuſmodi *ineptiis*, atque *ſine ſomnô inſomniis*, *Motus ſpontaneos*, nemo rectius deduxerit, quàm ex *principiis internis*, hoc eſt: *formis*. In quo cũ *Antiquitate* ſtandũ. *Ipſi dum formã ſubſtantialẽ* negant, atque aliam conſarcinant (x) *ex motu, figurâ, magnitudi-*

N 2 *ne*

(x) Id. loc. cit. capit. V. p. 88, 91. ſeq. & p. 58, 189. ſeq.

ne &c; quæ tamen nec ipſa, *reale quid* audent appellare; [nihil enim ipſis eſt *reale*, *niſi ſubſtantia*,] neſcio quo ex intermundiô nobis, hanc tam incomprehenſibilem Philoſophiam proferunt. *Forma ipſorum*, non eſt *ens reale*, & tamen *ſubſtantias reales*,(ut quæ *ipſis* eſt *cauſa interna & eſſentialis corporum*,)conſtituet. Et cum(y) *Motum* ajunt, *nec novum generari, nec interire; ſed propagari ab uno in aliud*; cum *idem motus*, ipſis eſt *quid formæ eſſentialis*,fiet non modò *idem numerô eſſentiale* ,variis, imò *oppoſitis* rebus, [in quas nempe *motus* propagatur, datâ aliquibus *quiete &c*:] *eſſentiale*; ſed & re illâ,à quâ diſcedit eſſentiale, [nempe *Motus*,]manente integrâ. Bella fabula! *Multi nimium intelligendô, faciunt nihil ut intelligant*.Si *Loca ex Ariſtot.nobis objecta*, non reſpiciunt ad *Motum Externum*, nulli dubitamus, ea & falſa, & cum *ipsô Ariſtotele*, alibi, pugnantia, pronunciare. Atque hæc hactenus contrà illos *Novos Philoſophos*.

Caput

(y) Ib. p. 137. 138. ſeq.

Capvt Qvartum.

De

Diviſione Diſtinctionis in genere *Secundâ*: Quà eſt *Univoca*, vel *Analoga*.

1 Diſtinctio in genere, ſecundò eſt vel Univoca, vel Analoga.

Cum priùs diſſeruimus *Diſtinctionem*, ratione *Objecti* ſeu *materialis*, nunc eam res hortatur æſtimare in reſpectu ad *Modum cognoſcendi*; ſeu quà conceptus noſter, & facultas apprehendens ſuper illã cadit. Non exſpectabis autẽ plures hiſce duabus *Diſtinctionis in genere, Diviſiones*: Quià ut ſine *hac*, nihil eorũ facilè intelliges, quę *Capit. Ultimô Operis hujus* inculcantur; ita explicatô, quomodô *Diſtinctio*, & ſecundum *ſeſe*, hoc eſt *abſolutè*, & ſecundũ *modum concipiendi*, ſive comparatè, ſe habere debet; vix *quod ex uſu ſit*, neglectum accuſabis. Quià autem *conceptus noſter*, incidit in *objecta ſua*, vel *æqualiter*, vel *non æqualiter*, ſive *inæqualiter*; membra diviſionis hujus conſtare ſibi in propatulô eſt. Etenim,

I. Diſtinctio Univoca eſt Diſtinctio, in quâ totum ad omnes partes ſuas, æqualiter eſt contrahibile.

Vocari poteſt *Diſtinctio Æquiparantiæ*. *Genus* ſuprà explicatum fuit. *Differentiam* locamus, in *æquabili totius ad partes ſuas contrahibilitate*, ſive *communicabilitate*. Quatenus illud, ità eſt ad omnes *partes ſuas* æquilibre, ut nec huc, nec eò magis vergat. Exemplorum ubique ſatis eſt.

III. Diſtinctio Analoga, eſt Diſtinctio, in quâ totum ad partes ſuas, inæqualiter eſt Contrahibile.

Dici poteſt, *Diſtinctio Diſquiparantiæ*: Item, *Gradualis*: *ſecundum magis & minus*: ἀναβαθικὴ, ἐπιταθικὴ &c: Ad *Genus* tanquam ſæpe repetitum, nihil addo. *Differentiam* oſtendit *contractionis inæqualitas*. Quæ tamen hîc eſt, non *perfectionis*, ſive *formæ partium &c.* verùm *ordinis*, ſeu *conceptus* in *Diſtinctô*, ſive *totô ipſô*. Solent *illa* appellare *Analoga Phyſica*, ſive *Inæqualitatis*: Quæ tamen quià *inæqualitatem ſuam* habent ratione *Differentiæ* & *Partium*, [quatenus v. c. *homo* eſt præſtantius animal quàm

quàm *Vermis*, ſaltem ob *præſtantiorem formam*,] non autem ratione *Generis*, & *Totius*, [ſic enim v. c. *Vermis æquè*, neque minùs eſt animal, quàm *homo &c.*] ad *Univocorum*, non *Analogorum* claſſes ſpectant. Etenim, ſi illam mavis Philoſophiam, quod nempe etiam *inæqualia ratione differentiæ*, ſive *partium*, ſint *Analoga &c*: omnes penè Diſtinctiones, pro *Analogis* habere te neceſſe erit: Quià aut nulla, aut pauca ex rerum penu proferes *exempla*, in quibus non unum *membrorum Diſtinguentium*, quomodocunque, dignitate præſtat alteri.

IV. Diſtinctio Analoga, eſt vel Dependentiæ, ſeu Habitudinis, vel Independentiæ, ſeu Ordinis. Illa, in quâ totum contrahibile eſt ad unum membrum, propter alterum: Hæc, in quâ totum non eſt contrahibile ad unum membrum, propter alterum.

Nimirum: In *hac*, ſimplex eſt *unius membri*, (nempe *principalis*,) *præ alterô excellentia*; in *illâ* autem, [præter excellentiam ſeu *πρωτεύουσαν*,] etiam unius ab alterô *dependentia*, ſeu *proportionalis*, ſeu *cau-*

ſalis, ſeu *ſubjectiva*. Fit enim, ut in *Analogis Dependentiæ*, unum membrum præ alterô obtineat principatum, quià ei largitur ſeu *proportionem*, [quomodò in æquivocis,] ſeu *eſſentiam*, ſeu *ſubſiſtentiam*. Quomodò *Analogatorum unum*, debet alteri ſuum ſeu *fieri*, ſeu *eſſe*, ſeu *conſervari*; & ſic ab illô etiam dependet. Rem ut *Exemplis*, pro more illuſtrem: *Diſtinctiones Analogæ Dependentiæ ſunt*, quando dicitur: *Ens* eſt ſubſiſtens, vel inhærens: *Perfectio*, [Entis attributum,] eſt vel eminens, vel contracta: *Unitas* eſt indiviſa, vel indiviſibilis, vel diviſibilis: *Cauſa*, principalis, vel inſtrumentalis: *Forma*, vel Subſtantialis, vel accidentalis: *Spiritus*, infinitus, vel finitus: *Omnipotentia*, *Adorabilitas &c*: vel Divina ſolùm, vel participata: [nempe Carnis unitæ;] ſicut *Vita*, animæ; vel corporis: [Pertinent enim huc omnes Diſtinctiones, quę fundantur in *Unione* Κοινωνικῆ.] *Ignis* eſt elementaris, vel culinaris: *Lucidum*, vel luminoſum, vel illuminatum: *Grammatica*, vel *methodica*, [quæ dictionem puram, quà puram conſiderat, juxtà *principia*, literas & ſyllabas; *affectiones*, nomen, pronomen &c: & *ſpecies*, quà eſt vel ſimplex vel conſtructa &c:] vel *exegetica*, ſive *Lexica*, quæ dictionis ejuſdem ſignificata, tradit. *Diſtinctiones* au-

autem *Analogæ Independentiæ*, ſeu *Ordinis* ſunt, quandò dicitur: *Notitia Dei*, eſt vel revelata, vel naturalis: *Fides*, eſt vel robuſta, vel langvida: *Peccatum*, eſt vel voluntarium, vel involuntarium; *Perfectio*, vel graduum, ſive conſummata, vel partium, ſive inchoata: *Scibile*, vel liberale, vel illiberale: *Prima Species Qualitatis*, vel habitualis, vel diſpoſitiva: *Motus*, vel velox, vel tardus: *Calor*, vel fervidus, vel tepidus: *Frigus*, vel acre, vel remiſſum: *Memoria*, vel firma, vel fluxa, ſeu fragilis: *χρημάτων moderator*, vel Magnificus, vel Liberalis: *Regalia*, vel majora, [Leges dare, pacem vel bellum conſtituere &c:] vel minora, [poenas, mulctas irrogare, tributum imponere &c:] *Calliditas* ad quæſtum proprium, vel alienum: *Logica*, vel artificialis, vel uſualis: *Demonſtratio*, vel *διότι*, vel *ὅτι*: Et *innumera*. In quibus *membrum minùs primcipale*, non evertitur ſublatô *principali*.

Porismata, & Axiomata.

1. Univocum & Analogum, circumeunt omnes Diſtinctiones.

Hoc eſt: Dividunt *Diſtinctionem quà Diſtinctionem*, ſeu *ut ſic*. Habemus enim cer-

tè *Diſtinctiones Nominales*, tum *univocas*, [nempe *fortuitas*; quomodò hoc *Capit.* II. *Poriſm.* I. fuit declaratum,] tum *Analogas*; [nempe *Deliberatas*;] ſicut hoc ex collatione exemplorũ *Theſ* v. *Capit.* II. cum *Theſ.* v. vI. vII. *Capit. ſequ.* non erit in obſcurô.] Quod ad *Diſtinctiones Reales* attinet, neſcio an quisquam de iis, quin ſint & *Univocæ*, & *Analogæ*, dubitare poſſit. *Analogarum* certè farraginem, exhibuit *theſis ultima*, nuper declarata: Ubi *Analogæ Eſſentiales* fuerunt Diſtinctiones, *Entis, ſcibilis, cauſæ, formæ, ſpiritus, &c*: *Analogæ* autem *Accidentales*, *Vitæ*, *Fidei*, *caloris*, *motus*, *peccati*, *memoriæ*, *Logicæ &c*: Adeò ineptè definiunt *Analoga*, qui *definiunt*, *eſſe*, *quæ in nomine conveniunt*, *æqualiter*, *in re autem inæqualiter*. Nam dantur etiam, *quæ in nomine conveniunt inæqualiter*: ſicut *Analoga Æquivoca*, [nempe *Proportionis*, aut *Attributionis Extrinſecæ*,] ſuprà dicta *Deliberata*. Imó: In ipſis *Analogis Realibus*, ubi *res* eſt *inæqualis*, etiam *vox* eſt *inæqualis*, quia *hæc ſequitur rem ſuam &c*:

2. Inter Diſtctionem Univocam & Analogam, non datur medium.

Stabilimentum ei rei fuit poſitum *Theſi* I.

Un-

Unde hic nolo actum agere. Eſt enim *non æquale*, nihil niſi *inæquale*. Miror ergò nondum deſvevisse illam ſententiam apud *Ethicos*, quod *Liberalitas* à *Magnificentiâ*; & *Modeſtia* à *Magnanimitate*, non *differat*, neque *prorſus Specificè*, neque *gradualiter*; ſed *quaſi ſpecificé*. Cum non poſſint ignorare Viri Docti, quod cum *ſpecificum graduali oppoſitum, ſit univocum*, tale *medium* non poſſit dari. Et quid opus aliquid *extra-graduale* quærere, Ubi nil niſi *ipſum graduale*? Eſt in *virtutibus controverſis*, idem *materiale*; [nempe in *Magnificentiâ* & *Liberalitate*, *ſumptus*: in *Magnanimitate*, & *Modeſtiâ*, *honores*:] Eſt & *formale*; [nempe *moderatio honeſta quà honeſta*, illic *ſumptuum*; hic *honorum*.] Ut hucuſque nihil differant. Quid eſt ergò in quò differunt? Nempe in eò, quod *ſumptus* in *Magnificentiâ* ſint eximii; parvi, in *Liberalitate*: *Honores* in Magnanimitate, ſint illuſtres, modici in *Modeſtiâ*. Qualis verò hæc ipſa Differentia? Si *magnum*, & *parvum*, in iis quæ *conveniunt materialiter & formaliter*, habebunt poteſtatē faciendi *Diſtinctionem Specificam*, aut *quaſi ſpecificam*; habebunt certè etiam faciendi in *Temperantiâ*, *Manſvetudine &c.* Hoc eſt: & *Ethicam*, & *reliquam Philoſophiam*, perturbandi. Tanto magis, ſi hîc abſtrahis ipſum *eſſentiale*, &

 di-

diſtinguis: *Sumptuum moderator*, eſt vel *Liberalis*, vel *Magnificus*; *Honorum moderator*, eſt vel *Modeſtus*, vel *Magnanimus*: habes *Diſtinctionē*, non *ex ſemiſſe*; ſed *ex totô*, *extraſpecificā*: Hoc eſt, puram putam *Gradualem*. *Dices*: [1] Etiam aliter has virtutes poſſe diſtingui: Etenim *Liberalem*, aliis ſumptum facere, & hoc quidē magis privatim: *Magnificum* autē etiam ſibi, & in publicum. [2] *juſtitiam* etiam occupari circà *χρήματα*, & *honores*; quæ tamē ideò non eſt *ſpecie* eadem cum *aliqua harum virtutum*. Et [3] *Ariſtotelem* conſtanter inter *Liberalitatem* & *Magnificentiam*, item; *inter Modeſtiam*, & *Magnanimitatem*, tanquam *ſpecie* diverſa, diſtinxiſſe. Reſp: ad [1] *Differentiam* illam eſſe prorſus aut *nullam*, *aut invalidam*. Etiam *Magnificus*, in aliorum gratiam *χρήματα* expendit; ut *cum ſumptuoſè in publicum ædificat*, *alios menſâ excipit*, *&c*: cumque *Liberalitas* eſt *aliis* dare, poteſt idem fieri & *in publicô*. *Magnificus* cum *ſibi* ſumptum facit, ex confeſſô *privatim* facit. *Adhæc*: Quamquam in eô quidem eſſe poſſit firma *differentia*, quod *Liberalis* inſumat tantùm aliis; *Magnificus*, & *aliis*, & *ipſi ſibi*; tamen illud non eſt ſatis pro *Diſtinctione quaſi-ſpecificâ*; quando adhuc *idem* manet utriusque *materiale*, & *formale*. Si quis vellet dicere *tepidum* & *fervidum* differre *quaſi-ſpecificè*, quod utut *eſſentiali* congru-

ant,tamen ità ſint diverſa, ut *tepidū*, tantùm calefaciat *ferVidum* autem & urat &c: quos non ſuaves ludos faceret? Ad [2.] Si ſermo eſt de *Iuſtitiâ UniVerſali*, verſatur illa quidē circà & *ſumptus* & *honores*,ſed,non *adæquaté*. Etenim *illius* eſt, non tantùm *ſumptus & honores*,ſed & multòplura,hoceſt:*ſuum cuique*, in genere tribuere. Quomodò *eadem*, non tam *Virtus*,quàm *Virtutum plurium ſylloge* eſt;& per ἕξιν definitur. 5 *Ethic*. 1.Si autem ſermo eſt de *Iuſtitiâ Particulari*, pertinent quidem ad *illā* ferè adæquatè χρήματα & *honores*,ſeu *diſtributiVè*,ſeu *commutatiVè*,ſednon in eâ, quâ ad reliquas *formalitate*. Etenim χρήματα, & *Honores*, occupant *Virtutes Liberalitatem*, & *Modeſtiam*, quatenus in iis eſt *honeſtas quà honeſtas*: At verò occupant *juſtitiam Particularem*,quatenus in iis eſt *honeſtas lucri*. Unde & *juſtitiæ* δόσις καὶ λῆψις, ſemper eſt *debita*, & *proportionata*: Quæ in *Virtutibus controVerſis*, etiam benéque eſt *gratuita*. Ad (3) *Ariſtotelis authoritatem*, *ſine ratione*, eſſe fulgur ex pelvi. Amicus *Ariſtoteles* &c: ſed magis amica *Veritas*. *Ariſtoteles* potuit errare, quia erravit, dum *Galaxiam ſtatuit eſſe Metheorum*: *Maria & flumina identidem exſiccari*: *NerVos oriri à corde &c*: Vide ſis *Melchior*. *Can*,l.10. *de locis Theol*.c,5.*PoſſeVin*. *Cap* 18. 19.*l*. 13. *Bibliothec.&c*. *Prudentiæ autem eſt nunquam*

nimium fidere iis, qui nos vel ſemel deceperunt. Unô verbô; *Ariſtotelem* faciles admittimus & laudamus, ubi æquus eſt, & λόγον ſequitur; ſed ubi hoc non præſtat & ſeducit, quæſo quis vult ejus ſputum &c.?

3. Diſtinctio Analoga, in totis prædicamentalibus, pertinet ad ſola Accidentia.

Prædicamentalia Diſtincta appello, quorum circulus eſt *Natura determinata per ſe poſitiva*. Ejus *duo ſumma Capita* eſſe liquet: *Subſtantiam*, & *Accidens*. *Subſtantia*, *Analogas* nullas *Diſtinctiones* facit; ut quæ *graduum*, *magis* & *minus*, non eſt capax. Nam quamquam poſſunt in aliquô ſubjectô, quædam *ſubſtantiæ* habere ἀφαίρεσιν, [velut *formæ materiales dum ſecantur*,] quædã, & ἀφαίρεσιν, & πρόσθεσιν, [ut *materiæ corruptibiles*;] tamen non ideò rectè eas dixeris aſſumere *magis* & *minus*: Ut quæ *aut* manent uniformes, [velut *formæ*, quæ ſecantur,] *aut* non recipiunt *magis* & *minus* adverbialiter; ſed *majus* & *minus*, nominaliter; [ut *materiæ*.] Quod eſt *extendi*, non *intendi*. Ut propterea in *ſola Accidentia* neceſſe eſt cadant *hæ concipiendi inæqualitates*. Idque *primò*, in *Qualitates ſolas*. Nam *Quantitas* ma-

matrem, *materiam* ſequuta, non intenditur, ſed extenditur. Et *reliqua Accidentia* ſi quid habent *gradationis hujus*, habent propter *Qualitates*. Cæterùm, *majus* & *minus* illud *rerum pretium*, ſeu earum *ἀνισότης*, oritur, quando aut *plures diverſæ formæ*, unum *ſpecie* accidens intendunt; ſed *diſſimili potentiâ &c*: [*Forma* enim *formam* poteſt antecellere, jam *intrinſecè*, ratione vel *ſui*, vel *qualitatum*; jam *extrinſecè*, & ratione *Officinæ*, ſive *organorum*, per quæ debet operari:] aut *eadem*, *iisdemque inſtructa forma*, nititur in idem *ſpecie* effectum, ſed non *pari curâ*, aut *attentione*: ut cum illud jam aggreditur *ſeriò*, jam *otioſè* &c: Unde poſteà oritur illa utriuſque *inæqualis dignitas*, *quam Diſtinctio Analoga*, proſequitur. *Dixi* autē fieri hoc ipſum, in *prædicamentalibus*, ſeu *hemiſphæriô determinatô*: Etenim in illô alterô *hemiſphæriô ſuperiore*, ſive *Supra-prædicamentali*, omnes quę à *Deô*, & *creaturâ* abſtrahunt *Diſtinctiones*, ſunt *Analogæ*: Quarum *membra* tamen non ſunt *Accidentia*; [quanquam interdum *accidentalia*,] ſed *conceptus tranſcendentales*, qui de *Totis* ſeu *diſtinctis ſuis*, participant *inæqualiter*, proprer *infiniti* præ *finitô* excellentiam.

4. Diſt-

4. Diſtinctio Analoga non cadit in Propria.

Vulgò dicitur: *Propria non intenduntur, neq; remittuntur*. Eſt autem *intendi*, [unde & oppoſitum *remitti*, poteſt intelligi,] nil niſi accipere *ejusdem ſpeciei qualitates*. *ſive plures numerô, ſive easdem numerô prolongatas, aut validiores*. Ità poteſt *intenſio* fieri *geminô modô: Unô*, per *plurium numericarum ſive ſingularium qualitatum appoſitionem*. Quomodò *doctior, albior, calidior*, per appoſitionem *plurium numericarum doctrinarum, albedinum &c*: in & cum ſubjectis ſuis: *Alterô*; per *earundem qualitatum numericarum, aut continuationem*, aut *fortiorem radicationem*. Ità cum *altiùs homo ridet, canis latrat &c*: non eſt neceſſe, ut coeant *plures numericæ potentiæ, ridendi aut latrandi*; Sed ut eædem ſaltem ſint *expreſſiores*, ſeu *validius ut è ſubjectis ſuis educantur*. Et cum *Angeli Boni poſt confirmationem*, vulgò dicuntur, quàm *ante* perfectiores; non fit illud certè *ob adeptionem plurium*, quàm quæ ante habuerant, *donorum*; ſed *ob eorundem uſuram tantùm prolongatam* ſive *confirmatam*. Prorſus ut *Adam*, ſi cum uxore, non peccaſſet, atqe accepiſſet *donum perſeverantiæ*, factus

factus fuiſſet *perfectior*, non *ob aliam*, [ſive *ſpecie*, ſive *numerô*] *Dei imaginem*, quàm quâ fuerat ante ornatus; ſed *ob eandem*, *longius continuatam*. Ità malè partibus ſuis de funguntur *Alii*, cum inculcant, *intenſionem* eſſe *receptionem plurium ejusdem formæ partium*: aut eſſe, *ejusdem formæ ulteriorem è potentiâ ſubjecti ſui eductionem*: Nam præterquam quod nec *formæ* habeant partes, neque *omnes formæ intendantur*; etiam datur *intenſio* aliter quàm per *hos modos*: ut evictum. Verùm quò dilabor? *Propria* conſiderari poſſunt in *ſtatu* vel *conjunctô*, vel *diviſô*: atque adeô ut afficiunt *ſubjectum*, vel *exanime*, vel *animatum*. Quô præmiſſô, *Axioma* ſic intelliges. In *ſtatu conjunctô*, *omnia propria*, tam *inanimata*, quàm *animata admittunt gradus*. Etenim res loquitur *plures ejuſdem ſpeciei formas*, poſſe ubi concurrunt, *fortiori actu* educere *propria ſua ſpecifica*, quàm ſi fuerint *ſingulæ*, aut *pauciores*. Nota enim eſt Regula, ex Phyſicis: *Virtus unita, fortior diſperſâ*. Unde & *plures homines, ſimul tollentes cachinnum, penetrantiorem clarioremque edunt riſum*, quàm *pauciores* ſive *ſinguli*: Et *ferrum candens* acrius urit quàm *papyrus*, *ſtipula*, *&c*: poſtquam *illic* plures ignium atomi, [ob materiæ firmitatem & ſoliditatem;] *hîc* autem paucio-
res

res,[ob materiæ raritatem,ſeu poroſitatē;] concurrerunt. Quæ & cauſa eſt,quod *calorem* modò *tepidum*, modò *ferVidum* habeamus:item,*frigus* jam *intenſum*,jam *remiſſum*. Nam *calefactio*, certè non eſt *caloris allopoetica quædam inductio*; [ſicut vetus Philoſophorum natio, malè ſibi fuit imaginata;] ſed *atomorum ignis*, juxtà cum *calore*, [proprio ſuô,] *communicatio*. Loquendô autem de *propriis* in *Statu Separatô, Inanimatâ*, quidem *nullos admittunt gradus*; ut quę quòd agunt, ſemper *quantum poſſunt agunt*. Quemadmodum, [manendô intrà illos *quantitatis terminos*, quos natura *cuique in ſuô genere*, poſuit;] v. c. *Ignis numericus*, *ſolitarius* & *diVidus*, ſemper æquè calidus eſt, & urit: *Aqua numerica ſolitaria* & *diViſa*, æquè *frigida*, ſemper *eſt* &c. Agunt enim ad extremum virium: Quanquam *æqualitas* illa *urendi*, atque *frigefaciendi*, non percipiatur, quoties aliquid fortius prędominatur; ſeu ab *Arte*; ſeu *Naturâ*. Nempe hoc Dico: *Propria ſeparata inanimata*, quandò in *ſubjectô* & *tempore conVenienti* exſeruntur, eôdem modô exſeruntur; Atque *unô gradu*, *unâ efficiciâ*, ſui ſenſum reddunt; niſi cùm in *mixtione*; [qui tum *ſtatus* eorum eſt *conjunctus*, & non *ſeparatus*,] ſæpe, utut ſemper fluant iiſdem viribus, non perci-

cipiantur, quià *ab aliis fortiorum virium qualitatibus* ſupprimuntur: Et ſic *majus ſenſile* eô modô *detrahit minori*, quô candelam Soli obverſam & expoſitam non conſpicis &c: Dicet quis: *Planta* tamen non ſemper effundit *propria ſua æqualiter*; ſed *ſecundum ætates*, ea jam debiliora, jam efficaciora. Ego verò exiſtimo difficulter aliquid hîc poſſe ſtatui & determinari, niſi *propria plantarum eſſent cognita*. Res enim loquitur, illas plantarum qualitates, quæ ſunt cognitæ, & *in ætate* variant, eſſe non *propria*, ſed *accidentia communia*; cum non *unam ſolam ſpeciem* ſequantur. Ferè enim quas vires habet *una plantæ ſpecies*, etiam habent plures. Quomodò ità purgat *rhabarbarum*, ut purgent etiam *elleborus*, *agaricum &c*: Et *Medici*, *calidorum*, *frigidorum*, *aſtringentium*, *ſolventium* &c: habent *gradus*; *primum*, *ſecundum*, *tertium &c*: Quod eſt *commune*, & non *proprium*. An ergò *plantæ non habent propria*? Dico ea non eſſe cognita. Imò! forte neque habere. Nam in multis *formis inanimatis*, propria ejuſmodi non reperiuntur. Sicut *verè propria*, *tot ſtellarum fixarum*, *arborum*, *lapidum vulgarium &c*: Phyſici non poſſunt exhibere. Alia eſt ratio de *propriis animatis*, ſive *ſenſibilibus*. Quorum *formæ*, [quia aut *liberta-*

ta-

tatem, aut ſaltem *umbram libertatis*, habent;] variè poſſunt moderari *propria ſua*, atque ea *intendere* vel *remittere*: ſaltem, *ubi non coguntur*. Quomodò non ſemper *æquè*, aut *æqualiter*, *homo ridet*, *bos boat &c*. Eſtque elegans, quod ille de *Luſciniâ*: *Sonus* [inquit] *nunc modulatus editur, nunc continuô ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexô, nunc diſtinguitur conciſô, nunc copulatur intortô, & vel promittitur revocatô, vel infuſcatur ex opinatô. Interdum ſecum ipſe murmurat, plenus, gravis, acutus, creber, extentus; ubi viſum eſt, vibrans, ſummus, medius, imus &c.* Adeò cautè & cum granô ſalis, *hæc Sapientum dicteria*, accipienda ſunt: *Τῶν μὲν ἰδίων ἐπίτασις μετοχὴ* Porph. c. 17. §. 16. *Accidens magis & minus ſuſcipit, proprium nequaquam*: Damaſcen. Dial. c. 28. *Si proprium intenderetur, intenderetur etiam eſſentia*: Scalig. Exercit. 12. ſ. 2. Talia enim ſcita, *actu ſecundô*, atque *exercitè* non eſſe vera conſtat, niſi [quomodò diximus,] in *ſtatu ſeparatô*, de *inanimatis*. Velle autem explicare ea de *actu primô*, ſeu *potentiâ*, cum ſe res aliter habeat conſtanter, *actu ſecundô*, nil niſi luſus eſſet. Quid enim? Numnè etiam eandem *æqualem potentiam* habere poſſunt *Accidentia communia*, ad ea quibus inhære-

re-

rent, *ſubjecta*; quæ an propterea neque illa *gradus magis* & *minus* receptura ſunt? Eſt enim certè nulla repugnantia, à *parte ſubjecti*, ut non omnes, *æquè ſani, divites, facundi*, *&c*, eſſe poſſent: utut *actu tales* non exiſtant. *Deinde*: Exſpecto, quomodò illa propria, *actu primô* ſeu *potentiâ*, dici poſſint *æqualia*, quæ ſe talia nunquam exhibent *actu ſecundô*. Unde enim illa *æqualitas* erit cognita; poſtquam *actus primos* non datur, aliunde elicere & cognoſcere, quàm ex *ſecundis*; ubi ſemper *inæqualitas*? Homines enim, boves, canes &c: [quomodò dictum,] propria ſua *æqualiter* nunquam exſerunt. Ad illud: *Propria intelligenda ſunt de potentiâ*, *non de actu*, excipimus: verum illud eſſe, & intelligendum, de *actu quovis numericô*, *&* ὑπαρκτικῶ: *Quatenus non eſt neceſſe* ad proprii *rationem ſpecificam*, ut ſe illud, in *omni individuô ſemper* exſerat; ſed ſat habet ut ſe exſerat *alicubi*, & *aliquando*. Minimè verò, quod ſit aliquid habendum pro *propriô*, quod ſe nunquam *actu* oſtendit intrà ſpeciem illam, cujus eſſet proprium: Aut quaſi illud in *potentiâ perpetuò latitante*, conſervari poſſet. Quomodò càuſam ſuam malè agunt, qui ut obtineant, *Motum* eſſe *proprium unitum corporis naturalis*; ajunt de *Terrâ*, quæ ipſis obij-

objicitur, quod utut nunquam moveatur *actu*, tamen habeat *potentiam ſe movendi.* Unde enim norunt, quod id *naturaliter poſſit moveri*, quod ſe *actu* nunquam movit &c. Ergò, cum *propria ante nominata*, nĕ in *unô* quidem, *intrà ſpeciem individuô*, poſſint oſtendi ſe habere *æqualiter*; utique laboraret *ἀῤῥωθία τῆς διανοίας*, qui vellet, *ſenſu dimiſſô*, contendere, quod ea tamen ſe haberent *æqualiter*, & quod *non intenderentur*, ac *remitterentur*. *Dices*: Cum neque *actu ſecundô* homines *παρίσως* ſentiuntur eſſe rationales, etiam liceret illos diſtinguere in *magis* & *minus* tales: Quod abſurdum. *Reſpondeo*: ſi *rationale* ſignificat ipſam *ſubſtantiam*, quæ eſt hominis *formale* ſive *differentia*; non ſic licere docuit ante *Poriſma proximum*. At ſi *idem* ſumitur *pro actu formæ hominis ratiocinativô*, ſeu *potentiâ* ad eundem, quæ eſt idem quod *docilitas &c*: omninò fieri poteſt, ut unus ratione diverſitatis *temperamenti*, *artis*, *ſtudij &c.* ſit *magis rationalis*, hoc eſt; *docilis*, quàm alius. Imò, quàm ſit ipſe aliquis, *tempore*, *ſtatuque organorum* &c: diverſô. Adeò & *propria*, ſuas *ἐπιτάσεις*, habent.

5 In

5 In Diſtinctione Analogâ Dependentiæ, ſublatô unô membrô, debet cadere alterum.

Membrô nempe *primariò ſublatô*. Id quod vel primô *dependentiæ* intuitu conſtat, ex quâ facilè hoc exſculpimus. Etenim *Philoſophia Prima*, ad *illam* dicit eſſe opus, *tum* illius, à quô aliquid dependet præexiſtentiâ; *tum* præexiſtentis in dependens, quà eſſe, fieri, aut conſervari, influxu. Igitur ſubtractô, per quod aliquid aut *eſt*, aut *fit*, aut *conſervatur*, neceſſe eſt, quod ſic *eſt*, aut *fit*, aut *conſervatur*, intercidat. Reſumamus nonnulla, ex penu ſupra explicatô, ad hunc uſum. *Ens* ità dicitur de *ſubſiſtente*, atque *inhærente*; ut ſi ſubruas *ſubſiſtens*, Ens in illô *alterô*; mox exſpiret: ſicut everſâ *formâ ſubſtantiali*, mox & *Accidentalis* corruit: [*Hæc* enim ſi non *ineſt*, eſſe nequit.] Demptâ λόγȣ *Omniſcientiâ*, *&c*: [quanquam in æternum demi nequit,] *caro unita*, ab illâ non denominabitur: Quomodò & *vitâ animæ* ſublatâ, ceſſat *vita corporis &c*: Exſtinctô *igne elementari*, *culinaris* non poteſt vivere. *Grammaticâ methodicâ* everſâ, nulla eſſe poteſt *exegetica*; ut quæ in illius *principiis &c*: nititur. E contrà, loquendô

de

de *Diſtinctionibus Independentiæ*: Peſſundatâ *Notitiâ Dei revelatâ*, & *fide robuſtâ*, non mox concidit *Notitia* Dei *naturalis*, & *fides infirma*. Neque ruina *Lgicæ Artificalis*, eſt fatalis ſtatim *Uſuali*: quià ante *Zenonem Eleatem*, primum *Artificialis Logicæ*, (ut volunt) inventorem, *Thales Mileſius*, & alii *S*apientes, ſolô *Naturali diſcurrendi modô*, veritatem diu fuerunt aſſecuti. Unde & *Logica Artificialis*, dicitur neceſſaria ad *τὸ εὖ εἶναι Veritatis*, non ad *εἶναι abſolutè*.

6 Diſtinctum, quod à Deô & creaturâ abſtrahit, ſemper eſt Analogum Dependentiæ.

*S*unt qui *Analogiam*, [ſed mendoſè ſolam *Intrinſecam*,] dividunt in eam, quæ ſit *cum dependentiâ*, *vel citrà dependentiam*, [quam & vocant *ſingularem*:] Atque *ad hanc* referunt exemplum *Generationis Divinæ*, & *humanæ*: Quaſi *hæc* ab *illâ* non penderet. Verùm, [quod pace ipſorum dixerim,] *Analogia Independentiæ*, ſicut in *Terminis prædicamentalibus*, eſt vulgaris, & non raro obvia; ità in *Sphærâ altiori*, quæ eſt *myſticorum*, atque *tranſcendentium*, nullum prorſus locum habet. Etenim, quià in iis

iis ſub *unum conceptum* rediguntur, *infinitum* & *finitum*; non vitabis, quin quod habet *finitum* commune cum *infinitó*, id omne habeat, *ab illô, dependenter*. Niſi malis intolerandum hoc jocari, *quod creatura ipſa ſibi aliquid debeat*; hoc eſt; *aliquid habeat perfectionis, juxtà quod, non dependeat à Primâ Cauſâ*. Quod cum ſit falſum, atque inauditum, ſequitur quod nec poſſit *τὸ generare*, ſeu *communicare eſſentiam*, dici ſimul de *Deô*, atque *creaturâ*, ut non alterum ab alterô dependeat; & ſic fiat *Analogia dependentiæ*. Fateor quidem *dependentiam*, hîc, [ut & in *dependentiâ relationis creaturarum*, *à Divinâ* ſivè *Hypoſtaticâ*,] non eſſe tam palpabilem, ut in *aliis*; Interim addo: Eam propter *difficultatem noſtræ perceptionis*, non ſtatim poſſe negari: quià *Majeſtas infinita* [quicquid fiat,] ſarta tecta debet conſervari. Si quis dixerit: Non eſſe neceſſe, ut quià *perfectio Creaturæ dependet à Creatore*, ideò dependeat à *quovis ejus Conceptu*; Eſſe enim hominem, *unum* propter Deum; Sed non propter *conceptum quemvis Dei*, v. c. *Omniſcientiæ &c*: utut *ea nihilominus ſit ipſe Deus &c*: Reſpondebo: Nos non ſtatuere *quemvis conceptum perfectionis limitatæ*, *dependere à quovis conceptu Dei*; Sed eum qui ſit *communis cum Deô*.

Notum eſt enim, fieri *hujuſmodi communitatem*, per *Attributionem talem*, quæ ſit, [poſt ſordes benè defecatas,] *exaltatio univerſæ illius perfectionis, quæ in creaturâ eſt, ad Deum*; idque *ſenſu*, & *modô eminentiſſimô*. Ut hoc pactô *creatura*, quicquid in univerſum habet *perfectionis*, id recognoſcat apud *Creatorem*, tanquam rei illius *Dominum Proprietarium*. Quod qui concipit *ſine dependentiâ*, næ ille fungum pro cerebrô habet, & peponem (quod dicitur) pro corde. Malè ergò determinant (z) *Tridentini*: *Non minùs, quàm verum Deum, eſſe adorandum, quod fuit à Domino, ut ſumatur inſtitutum.* Intelligunt, quicquid fuit inſtitutum ut ſumeretur in cænâ: nempe non ſolùm *corpus Chriſti*; ſed & *Species Sacramentales*, hoc eſt; *Panis & vini accidentia.* Confer (a) *Svarez.* (b) *Bellarmin.* (c) *Tanner.* (d) *Gregor. de Valenc*: Et *Alios*, *poſt Concilium Tridentinum.* At quomodò *Adoratio*, ſeu *Latriæ cultus*, non cadet *minùs* in *creaturam*, quàm in *Deum ipſum*? Si vis dicere: *Accidentia illa eſſe coadoranda cum corpore Chriſti, quià ſimul ſunt cum eo*: Sicut *carnem Chriſti*, *cum λόγῳ*; *purpuram Regis, cum Rege &c*:

Re-

(z) Concil. Capit. v. (a) Tom. III. in III. Thom. d. LXV. Sect. I. (b) l. IV. Capit. XXIX. (c) in II. IIæ. Thom. Diſp. IV. n. 38. (d) Tom. IV. Diſp. 6. Punct. 2.

Reſpondeo: Etiam ſequuturum, *ligna, lapides &c*: religioſè eſſe adoranda, quià in iis etiam eſt *Deus*. Nam quamquam *Unio Sacramentalis* omninò alia ſit ab *Unione providâ*, &c: tamen nulla datur *ratio*, ob quam, *præſentia Dei*, in *illâ*, magis inferet rebus præſentibus *aliquam adorabilitatem*, quàm in *hac*. *Carnem Chriſti coadorari cum λόγῳ*, non eſt mirum, quià jubet Scriptura, *Phil*: 11.8, 9, 10. *Hebr*. 1.6. quamquam illud tamen non *æqualiter*; ſed *propter λόγον*. At de *Accidentibus iſtis Sacramentalibus*, nullò Scripturæ apice probabunt, quod ſint *coadoranda*; nedum *æqualiter*. Deinde: Loquimur de *Adoratione Religioſâ*. Cum *Adoratio veſtis propter Regem*, non ſit *Religioſa*; ſed *Civilis*. Imò ne *hæc* quidem niſi *æquivocè*; quippe *Metonymica*, *Signi*, aut *Adjuncti*. *Tropica* autem *coadoratio*, non eſt *coadoratio*, niſi in *abuſu*, & *quà nomen tantum*. Sicut ſæpe hîc de *Tropicis* oſtenſum.

TMEMA POSTERIUS: DIEXODICUM,

Propter Anomaliam Diſtinctionum quarundam in *materiali*.

Quamquam abunde exſculptâ & firmatâ *naturâ Diſtinctionis* in *Primô Tmemate*, poſſet aliquis meritò dubitare, an adhuc aliquid aliud, hoc in argumentô opus eſſet adijci; Tamen quià in uſum irrepſerunt quædam *Diſtinctiones*, quæ quamquam juxtà *formale*, ſatis poſſunt dijudicari ex iis, quæ *Primô Tmemate* à Nobis fuerunt tradita; tamen *materiale* adhuc habent ità intricatum & informe, ut ſicut paſſim volunt cum ſordibus ſuis eſſe & videri, ità nuſquam non pariant confuſionem. Ex hoc genere, ſunt *Diſtinctiunculæ*, in *Latè* vel *Strictè*; *Propriè* vel *Impropriè*; *Per ſe* vel *Per accidens*, & ejuſmodi: Quæ nondum *certis Legibus* aſtrictæ, magnâ & intolerandâ cum audaciâ graſſantur. Neque enim facilè aliquis in tam deſperatam cauſam incidit, ut non iis illam ſe tueri poſſe putet: quibus tanquam ægide tutus, ſi inſtas & urges ut in lucem prodeat, fermè ut involvulus, foliô intortô pampini ſe concludit, & reſpondet: *Diſtin-*

ſtinguo in Latè vel Strictè; *Per ſe vel per accidens &c*: Quas ſubtilitates, & inania crepitacula, ſi non capis, remque, teque deſeres. Itaque duximus operæ pretium, huic tantæ licentiæ ut iremus obviam, & ejusmodi aliquas *Diſtinctiones*, quæ præ aliis tantas cient turbas, in *materiali ſuô* cenſeremus: Quò hôc rectè conſtitutô, tandem, quid de ejusmodi tam inverecundis & in omni forô ſtreperis & clamoſis rabulis, ſtatuendum eſſet, haberetur. Mihi ſic ſtat ſententia: Eſſe eas quidem in locô adhibitas non contemnendas, neque malæ operæ; ſed tamen ſæpius, & ut vulgò quidem aſſumuntur, eſſe nonniſi *temporis ſpolia, latibula ſophiſticationum, onera Veritatis, poma eridis & litium, azyla ignorantiæ*, & unô verbô, dignas, quæ ubi nebulis diſcuſſis, rectè & intus, & quales ſint, fuerint cognitæ, magnam partem, ex uſu & omni honeſtâ συζητήσει, eijciantur inter exverras. Loquatur cum ſequentibus,

Caput Primum,

DE

Diſtinctione in *Latè*, vel *Strictè*: *Propriè*, vel *Impropriè*.

1. Vox Latè ampliatum: Strictè limitatum notat.

L*atè* & *ſtrictè* idem ſunt quod *Generaliter* & *Specialiter*. Cætetùm utrimque non tolluntur *gradus*. Habemus enim ut *latius* & *latiſſimè*, *ſtrictè* & *ſtrictiſſimè*; ità *generalius* & *generaliſſimè* &c: Quò nomine *Latum*, χύσει diverſâ, atque aliâ, etiam fieri poteſt *Strictum*. Quemadmodum, cum (a) *Dn. Gutchius*, πρᾶξιν *functionem intellectus* facit, quâ *Intellectus* & *voluntas ob boni conſiderationem, ad bonum & honeſtum peragendum quaſi extenduntur*; rectè *Alii*, hanc ſignificationem nimis *ſtrictam* judicant, dicuntque ad πρᾶξιν ſufficere, ſi à *reliquis functionibus mentis, ſibi contradiſtinctis*, poſſit diſcerni. Quales quidem ſunt ποίησις, & θεωρία. Id autem fieri poſſe, ſi πρᾶξιν, omnem illam *actionem mentis* appellemus, quæ non prodit extrà ad *opus*. Quomodò ſanè πρᾶξις multò

(a) Habit. Intellig. part. Spec. c. 1. the. 8.

tò plura comprehendit, quàm quæ ad *bonum*, aut *honeſtum* diriguntur: Nempe prætereà, & *æquum*, & *verum*, & [ex *ſermocinalibus*,] *purum quà purum*, *perſvaſibile*, *quantum &c*: Quæ nequè *Artes*, neque *Theoriæ*, ſunt. Illa πρᾶξις conſtitutio & acceptio, præ priori, *Lata* dici poteſt. Datur eâ tamen adhuc *Latior*; quatenus πρᾶξις, omnem *extenſivam operationem* pro *formali* habet, contrà *theoriam*; ſic ut includat etiam *Artes*. Quomodò *Gnoſtologus* dividit *Habitum* generaliter, in *Theoreticum*, vel *Practicum*. Atque ſic quod prius erat *Latum*, hoc aſpectu, fit *aſtrictius*. *Theſis*, nullà eget exegeſi: quippe contracta *ſtrictè*, his diffuſiora *Latè* capi, ſermo vel ex furnô loquitur.

II. Vox latè, geminô caſu adhiberi poteſt? [quanquam diverſimodè,] realiter, & nominaliter.

Pluribus modis non poſſe accipi, facilè ſibi perſuadebit, qui expendit, alios *Fontes Diſtinguendi* non poſſe eſſe. Sicut hoc pluribus paſſim explico. Quæ autem illa ſit *diverſitas*, quæ ſe in uſu horum terminorum offert, docent quæ ſequuntur.

III. Vox latè, quæ terminum aliquem in formalem ſuam rationem extollit, indiſcriminatim bona eſt.

Hôc ſenſu, *Latè* & *ſtrictè*, pari paſſu ambulant cum terminis, *formaliter & materialiter*: quatenus ſecundum παιδείας *Philoſophicæ* τρόπον, aliquid dicimus conſiderari *formaliter* cum abſtrahitur à *conditionibus* ſuis, (ut loquuntur,) *individuantibus*: *Materialiter* autem, cum pro expreſſiori aut particulari ſuâ ratione ſiſtit. Id quod *Latè* & *Strictè* facit. Eſſe verò tum omni procul metu acceptabilem *terminum Latè*, nemò poteſt dubitare, qui quid ſit *formalitatum* in Philoſophiâ *abſtractio*, didicit. Profectò, ſenſim ſub aſpectum ſeſe exhibente hac *Naturâ rerum*, quę hinc *lis* eſt, illinc *amicitia*; ut rebus noviter emergentibus, locus competens eſſe poſſit, ſi quà habent convenientiam, neceſſe eſt veteres *ſtrictæ notiones*, amplientur. Atque id nulli mortalium, qui ſit ſanæ mentis, iniquum videri poteſt. Dabo *exempla* ejuſmodi *licitæ terminorum exaltationis*, tam de *factô*, quàm de *jure*. Terminus *non-renatus*, primò & perdiu non ſigeificavit niſi *Ethnicos*, &

qui

qui ſegreges extrà Eccleſiam, nunquam fuerunt regnerati: Sed rectè *Noſtri*, eum extulerunt ad majorem *Latitudinem*, ſic ut ſignificet etiam eos, qui utut quondam Eccleſiæ fuerunt inſerti, tamen *per peccata contrà conſcientiam, dona regenerationis exſtinxerunt*, & ſic *pares ethnicis*, [cum ſint iis etiam aliqui deteriores,] evaſerunt. *Objectum ſpeciale Fortitudinis* in Ethicâ, diu æſtimatum fuit in *ſolâ morte bellicâ*. Progreſſu autem temporis, *Chriſtiani*, cum paganorum ſcripta legerent, obſervarunt illum *termini ſenſum* nimis *ſtrictum* & *materialem* eſſe; quippe dari adhuc aliud, imò excellentius *Virtutis* iſtius *objectum*, hactenus à *Scholâ* aut ignoratum aut præteritum, nempe *martyrium*. Quare ut huic etiam locus eſſe poſſet, *objectum Fortitudinis* ità ampliandum, ut ſit indifferens tam ad *martyrium*, quàm ad *Mortem Bellicam*. *Archipelagus* olim, tempore longiſſimô, tantùm dicebatur de *Mari Ægeô*, propter *inſularum in eô multitudinem &c*: Nunc verò *datâ eadem ratione*, etiam apud *Artis Primores* reperimus ità vocatam partem *Maris Chinenſis*. Ut *Archipelagus* non modò ſit *Ægeum*, ſive *Europæum*; ſed & *Chinenſe*, ſive *Aſiaticum*, dictum aliô nomine *S. Lazari*. Et hoc certè licuit, & benè

factum fuit. De *jure* autem etiam *dilatari* poſſunt &] debent [1] *Ens rationis poſitivum*: Nempe cum *Ens rationis* diſtingvunt in *Poſitivum*, vel *Negativum* ; ſub *poſitivô* aliqui concludunt ſolas *Relationes rationis*, & ſub iis *Notiones ſecundas*, Genus, ſpeciem, caſum Nominativum &c: Cum tamen *poſitivum* illud adhuc multò *Latius* eſſe poſſit. Quippe datur *Ens rationis poſitivum*, non modò *Relativum* ; ſed & *Abſolutum* : Acheron, Minotaurus, Tragelaphus &c : Dantur, quæ ſunt *talia Entia rationis*, præter *intentiones ſecundas*, etiam ipſa *primæ intentionis univerſalia*; utpote quæ *formale* ſuum, hoc eſt; *unitatem* ſuam, & *communitatem*, ſive *aptitudinem ſe multiplicandi in pluribus abſtractè inferioribus* habent *nonniſi objectivè in intellectu*. In *Naturâ*, nihil niſi *Singulare*. Eſt enim *omne Ens, vel increatum*, vel *creatum*. *Illud*, eſt ſolus *Deus*: cujus de *Singularitate*, non magis *fide* conſtat, quàm *ratione*: Eò quod *plura infinita*, dari repugnet. Negatâ vero *potentiâ ad plura*, nullum exſtrui poteſt *Univerſale*. *Hoc*, eſt à cauſâ aliquâ productum, & ſic etiam *Singulare*. Nam *actio cauſæ niſi ad ſingulare non poteſt terminari*, Unde præclarè

(b)Thomas: *Natura de ſe non habet unitatem communem.* Et (c)Suarez: *Nulla unitas in re exiſtens eſt communis.* Et Boethius: *Omne quod eſt, in quantum eſt, ſingulare eſt.* Muſſitant quidem, *ultimum hoc* valere in *ſtatu exiſtentiæ*, non *eſſentiæ*. Sed *ſtatus* ille *Eſſentiæ*, ſi ab *Exiſtentiâ* ſeparetur, nihil eſt: quia *eſſentia non aſſequitur naturam entis, priusquam aſſequitur eſſe Exiſtentiæ.* Sicut rectè (d) *Alexander ab Ales.* Hic mihi aliquis forſan objiciet: Tum, quod [primò,] *Univerſalia ſint in ſingularibus potentiâ & quà materiale*: Tum [ſecundò,] quod *conveniant rebus, omni mentis fictione ſepoſitâ*; [neque enim ego fingo, *Socratem eſſe hominem, animal* &c:] Tum quod [tertiò,] cum *omnes diſciplinæ* conſtitutæ ſint ex talibus *Univerſabilus*, ſequeretur *Sapientes nonniſi in entibus fictis occupari*; atque non modò, *Entia rationis eſſe directæ occupationis in Diſciplinis*, ſed & *nullos Habitus eſſe reales*. *Reſpondeo*, ad *primum*: *Materiale univerſalium*, in *ſingularibus*, adhuc eſſe *ſingulare*; & ſic *realitatem univerſalis*, nil juvare. *Potentia*, ſecundum quam *univerſalia*: prętenduntur eſſe in *ſingularibus*, non eſt *realis*, ſed tan-

(b) Cap. 4. de Ente & Eſſentiâ. (c) Met. Diſp. 6, ſect. 1, n. 12. (d) 5, Metaph. c. 35.

tùm *objectiva*: Quomodò omnia alia *Entia rationis*, ſunt *radicaliter* in *ſingularibus*: quatenus mens occaſionem ex iis ſumit aliquid in *naturâ* æmulandi. Notum eſt enim *Ens rationis* debere concipi ad modum *Entis realis &c*: Quatenus autem *potentia* illa eſt *realis*, pertinet ad *intellectum*; ut qui ex *Singularium inductione* & *collatione*, abſtrahit, format, & procudit *univerſale*. In *Secundô Argumentô*, præmiſſarum utraque decipit. *Major*, ut particularis: *Minor*, ut falſa. Non omne quod competit rebus *ſine fictione mentis*, ſtatim eſt *reale Ens*. Niſi iidem volent admittere etiam de *non-entibus negativis*, *potentialibus*, *privativis &c*: quæ *convenientiam* illam ipſam habere poſſunt. *Aer* ſanè *eſt tenebroſus*, *omni mentis actu quieſcente*; neque tamen propterea *tenebræ*, dici poſſunt *entia realia*. Deinde: *Falſum* eſt, *univerſalia*, *quà univerſalia*, *convenire ſingularibus*. Nam *animal*, *homo &c*: *quà univerſalia*, nullô modô competunt *Socrati*; ſed quà *ad Socratem adſtricta* ſunt, & *Singularia*. Pone enim *hominem*, qui de *Socrate* dicitur, eſſe *univerſale*, erit *humana natura Socratis*, *pluribus individuis communicabilis*, & *ipſe Socrates aliquid univerſale*. Quod ἀνηφαντόν. Argumentor: *Quodcunq; ſingulari eſt oppoſitum*, *id de eô non poteſt affirmari*: *Univerſale quà*

gu-

univerſale, *ſingulari eſt oppoſitum* : Ergó; *Univerſale quà univerſale*, *de ſingulari*, *non poteſt affirmari*. *Major* patet : Quià ex *Oppoſitô*, [terminô diſſentaneô,] non fiunt *prædicationes affirmativæ*, ſed *negativæ*. *Minor*, per ſe clara atque ἀναμφίλεξος eſt. Quare cum id, quod prædicatur de *ſingulari*, non poteſt eſſe *Univerſale*, relinquitur quod ſit *ſingulare*; quià inter *univerſale* & *ſingulare*, ſive inter *communicabile pluribus abſtractè inferioribus*, & *non communicabile pluribus abſtractè inferioribus*, non datur medium. Etiam *Dici* [affirmativè,] *requirit ineſſe*. Atqui ineſſe *ſingulari*, niſi aliquid *ſingulare*, non poteſt. Dicitur quidem *communicabile partibus ſuis ſubjectivis &c*: Sed hoc de *ſolâ potentiâ* eſt intelligendum. Quatenus eſt *univerſale*, poteſt communicari; ſed cum communicatur actu, non eſt amplius, quale prius fuit; ſed eſt aliquid in eô, cui communicatur, hoc eſt; *quid adſtrictius*. Unde iterum necti poteſt *argumentum*: *Quicquid tantùm eſt potentiale aliquid ad ſingulare*, *illud de eô*, *actu non poteſt affirmari* : *Univerſale quà univerſale*, *tantùm eſt potentiale aliquid ad ſingulare*: Ergò; *Univerſale quà univerſale*, *actu de ſingulari non poteſt affirmari*. Ad Tertium Reſpondemus: *Entia rationis eſſe duûm generum*: Quædam ad *ſingularia realia* poſſe

contrahi, & eſſe eorum quaſi compendium; [talia ſunt *univerſalia omnia primæ intentionis &c.*] quædam verò contrahi non poſſe: [velut *figmenta*, cerberum, chimæram &c.] *Prioris generis Entia rationis*, non arceri ab *Habitibus realibus*; ſed *poſterioris*. Si quæris autē quomodò *hæc univerſalia*, [Entia rationis,] aut *Habitus ex iis conſtituti*, dici poſſunt *realia*, Reſpondemus: ea ſic dici non κατ' αὐτὸ aut *quà abſtractionem*; Ita enim *Ens rationis* nullô modô, poteſt fieri *reale*, [cum *Ens rationis*, & *reale* opponantur;] Sed κατ' ἄλλο, ſive *quà contractionem*: prout *univerſalia* poſſunt, [quanquam *actu*, tantùm ut *ſingularia*,] contrahi ad *Entia realia*, atque cum iis identificari. Quomodò *homo*, *animal*, *vivens &c*: cum *Socrate*. [2] *Claſſes aliquot Repræſentatitiæ in Metaphyſicâ*: Nam *Metaphyſicus* certè, non ſolùm *Deum*; ſed & Dei *Qualitates*, *Actiones*, *Relationes &c*: inter *Entium manipulos*, habebit annotatas. Æquè enim *Dei*, ac *Creaturarum Qualitates*, *Actiones &c*: illic recenſendas eſſe, patet ex Habitus iſtius Univerſaliſſimi, tum *Indifferentiâ*: quàm recta ratio indicat ſervandam, non minùs in *unô Modô Contrahente*, nempe *Inhærentiâ*, quàm ſervatur in *alterô*, nempe *ſubſiſtentiâ*, ad hemiſphæriū utrumque, hoc eſt: *Ens* tam *increatum*, quàm *Creatum*: Cum *unus Modus contrahens* non po-

teſt magis eſſe *objecto*,(quod indifferens,)diſſimilis quàm *alius*: Tum *Officiô Horiſticô*: Quô defungi non poteſt Metaphyſicus, ſaltē *adæquatè*,quamdiu *Attributa Dei* non habet inter ſylvas ſuas repræſentata, hoc eſt: *Accidentium*: Quandò *ſubſtantiæ* nullô modô eſſe poſſunt.Quomodò enim poterit Ontologus, *Pneumaticæ* aſſignare *Immortalitatē*,*immenſitatem*, *Omnipotentiam &c*: (Quæ ſunt certè Attributa *Spiritus Infiniti*,) ſi ipſe ea in *Claſſibus*, & *Tabulis Entium* non habet annotata? Ex harum enim inſpectione & intuitu, debet doceri quid ad quamque Diſciplinam poſſit dimitti: Ut ſuum quæque accipiat non modò *Objectum*; ſed & quod huic *inſit*, aut *ſubſit*. Qui verò metuunt, ſi hoc fiat, *Deum fore compoſitum &c*: eos larva terret umbratilis. Poteſt enim *formale Accidentis*, *Inhærere*, omni procul periculô ampliari, etiam ad *noſtrum modum concipiendi*. Ut *Accidentium* alia, (nempe creaturarum,) verè ſubjectis ſuis, ut ab iis diſtincta, *inhæreant*: Alia à nobis tantùm *ſic concipiantur*. Quomodò hæc *Dei Adjuncta &c*: Nam ità certè non infertur *inhærentia* aliqua in Deum, & quæ hinc dependet *compoſitio*, & *imperfectio*; ſed tantummodò in *intellectum noſtrum*,qui tenetur, nè ſit prorſus neſcius &c: illud *uniforme*

Dei-

Deitatis jubar, tot diverſis operis partiri, idque *per Analogiam ad creata*. Atque ità & *Accidens*, & *Claſſes ejus*, ampliari poſſunt. [3] *Oppoſitio, Contraria*: *Oppoſitionem hanc*, ſtatuere ſolent nonniſi in *Qualitatibus*, velut inter *frigus* & *calorem*; *album* & *nigrum*; *ſiccitatem* & *humiditatem*, *&c*: Verùm quià *Diſparatum*, & *Oppoſitum*, debent continere in *Logicâ*, omnia illa, quæ facere poſſunt *prædicationem negativam*, (dividunt enim *terminum Diſſentaneum*, in communi,) & verò multa extrà *categoriam Qualitatis*, inter ſe diſſentiunt, quæ nec *diſparata*, nec *oppoſita relativè*, *privativè*, aut *contradictoriè*, eſſe poſſunt; neceſſe eſt ut *terminus Contrarii*, extendatur. Quare nos dicimus: *Contraria* eſſe *terminos oppoſitos*, *qui ut oppoſitæ ſpecies ſeu modi pugnant*, *ſic ut ad reliqua diſſentanea non poſſint revocari*. Nempe huc pertinent, præter *Qualitates*, etiam [quæ aliò non poſſunt dimitti,] non ſolùm *ſpecies oppoſitæ*, *Subſtantiarum*, *Actionum*, *Quando*, *Quantitatum*; *&c*: [ut homo & brutum; tempus præſens & præteritum; longitudo & latitudo &c.] ſed & *modi oppoſiti*. *Modos* dico, tam *prædicamentales*, velut *differentias oppoſitas*, [rationale, & irrationale; inſtantaneum & ſucceſſivum, &c:] quàm

extra-prædicamentales. Solent Philoſophi, *terminos Oppoſitos tranſcendentaliter*, velut *cauſam* & *cauſatum*; *neceſſarium* & *Contingens*; *Subſtantiam & Accidens*; *Deum* & *Creaturam*; *Materiam* & *Formam* &c: referre ad *Oppoſita relativé.* Verùm etiamſi *Diſparatio relativa* inter *terminos tranſcendentales*, eſſe poſſit, [velut inter *Ens* & *attributa ſua*; *Attributa unita inter ſeſe &c*:] atque adeò etiam *Oppoſitio*, velut inter *Perſonas Deitatis*; tamen alibi, hoc eſt; extrà *has relationes hypoſtaticas*, dari *Oppoſitiones*, quæ ſint *propriè relativæ*, haud exiſtimo. Nam certè *cauſa* & *Cauſatum*; *Subſtantia* & *accidens*; *Deus* & *creatura &c*: non habent aliam ad ſe mutuò *σχέσιν* & *relationem*, quàm habent *Oppoſita* etiam *non relativa*; velut *grave* ad *leve*, *cæcum* ad *videns &c*: hoc eſt; ex *remotô*. Propter *relationes* autem *ex remotô*, nemo dixerit, *verè relativè*, aliqua opponi: Poſtquam eas habere poſſunt, quæ à naturâ propter *eſſe abſolutum* facta ſunt: velut *amor* & *amatum*, *ſcientia* & *ſcibile*, *actio* & *paſſio*; & omnia *Oppoſita abſoluta*. Quare cum ejuſmodi *Oppoſita tranſcendentalia*, [ex *propinquô*] *abſolutæ entitatis* ſunt, & proptereà, non poſſunt eſſe *relativa*; ſed nec *privativa*, aut *contradictoria*, [notum eſt enim quod ſe non habeant, ſive ut *pri-*

 vatio

vatio & *habitus*; ſive ut *ens* & *non ens*;] conſtat, quod, [cum incertis ſedibus non poſſint vagari] recipienda veniant, ſub *contrariis*; & quod uſus *Contrariorum*, ità ampliandus ſit. [4] *Antœci*: *Geographi* diſtinguunt *Habitatores terræ*, reſpectu *ejusdem meridiani*, in *Antœcos*, *Periœcos*, vel *Antipodes*. *Antœcos* faciunt, qui ad eaſdem meridiani partes habitant; ſed in diverſis parallelis, utrimque æquè diſſitis ab æquatore: *Periæcos*, qui diverſas quidem ejusdem meridiani partes incolunt; ſed in eôdem parallelô: *Antipodes* autem, [aliis *Verſipedes*, *Antomos*, *Antichtones &c.*] appellant, qui ad diverſas ejusdem meridiani partes, & in *diverſis parallelis*, ſed *per centrum terræ oppoſitis*, vivunt. Quæ *Diſtinctio*, cùm *omnes orbis terræ incolas*, non complectitur, atque præterit innumeras myriades hominum, habitantium in *diverſarum*, aut *earundem meridiani partium diverſis* [aliter quàm *per Terræ diametrum*,] *parallelis*, & *in differente diſtantiâ ab Æquatore*, verſus ſeu *eundem*, ſeu *diverſum polum*, *&c.* cogit neceſſitas extendere vocem *Antœcorum*, ut *hos* etiam complectatur. Nam ad *Periœcos*, aut *Antipodes*, non poſſunt reduci. Et ſic *Latè*, valet & eſt neceſſarium. Verùm,

IV.

IV. Vox latè, quæ termini alicujus ſaltem nominalem laxitatem ſiſtit, ſæpe non eſt commoda.

Ratio eſt: Quià tum *Diſtinctionem* facit nonniſi *Nominis*, ſeu *Æquivocam*: Quæ *abſolutè* non poteſt adhiberi. Certè non in *capite* & *corpore* rerum gravium jam determinatarum: Non *à quolibet*, aut *ob quodlibet*; nedum *citrà rationem*, *&c*: Quô de operoſè totô *Cap*: 11, *Tmemat*: *Primi*. Ubi ſimul aliquem ejus *uſum* deprehendes *ante ſtatum conſtitutum*; ſi nimirum *uſu* facta. & ab iis quorum intereſt, jus & poteſtatem ſuam accepit. Debet itaque corrigi illud (e) *Grotii*: *In non odioſis ſumenda verba ſecundum totam proprietatem uſus popularis*, *& ſi plures ſint*, *eam quæ latiſſima &c*: Nam interdum, nè hoc licet quidem. *Nota*: [Quod priùs mihi admonendum fuerat,] *Latè* & *ſtrictè*, in hoc ſenſu, *Synonyma Grammatica* habere terminos, *laxè* ſive *populariter*, & *rigoroſe*; *acroamaticè*, & *exotericè &c*: Nunc ad *Elenchum*. [1] *Gretſerus* (f) ut obtineat *Libros* nobis *Apocryphos*, eſſe *authenticos*, atque *à Prophetis ſcriptos*, diſtinguit

(e) l. 2. de Jure Bell. & pac. p. 318. (f) Defenſ. Tom. 1. c. 7. l. 1. p. 97.

guit inter *Prophetas Laté*, & *Propriè* (ſive *ſtrictè*) ſumptos. Sed quià *Prophetæ* ità *latè* ſumpti, non ſunt *Prophetæ realiter*; hoc eſt; [quales nos ad *Canonis* ſcriptionem requirimus,] θεόπνευστοι; ſed tantùm *nominaliter*, malè *Gretſerus*, membrum *latè* [nominale] infert in *ſtatum* jam *determinatum*, qui eſt: *Libros Veteris inſtrumenti*, *nobis Apocryphos*, *eſſe à Prophetis ſcriptos*. Ubi nos terminum Prophetæ, *propriè* & *realiter* uſurpamus, *Lojoliſta* autem accipit *impropriè* & *nominaliter*, & ſic *Quæſtionem* ſubdolè pervertit. Quomodò autem *Libri Apocryphi* non ſint ἀξιόπιστοι in condendis aut probandis *Fidei Articulis*; ſed συχνὴν tantum ἐμπειρίαν &c: clarè contrà *Pontificios* & *Anabaptiſtas* demonſtrat *Dn. Spanhemius*, *Diſp*: à VI. *ad* XV. Incluſivè, *m. p.* 121. *ſeq.* ob has rationes: Quod contineant *falſa*, *contradictoria*, *impia*, & *ſuperſtitioſa*. Cum quô conferri poteſt *Gerhard. in Exegeſ. cap.* 8. *Chamier l.* 5. *de Canon. c* 4. *ſeq.* & *Alii.* (2) Ex *Noſtris* etiam aliqui malè utuntur terminô *Latè*, dum ità extendunt *Peccatum Actuale*, ut etiam poſſit deſignare *motus quosvis* ἀπροβουλεύτους *naturæ vitiatæ*. Quomodò ajunt: *infantes etiam habere Peccatum Actuale.* &c: Verùm enimverò illa *Peccati actualis* ampliatio, non eſt bona. Etenim enervat *Peccati Actualis*

alis oppoſitum, quod eſt *peccatum originale*, atque ad ſe rapit illud, per quod *peccatum originis* deberet conſervari. Quod eſt *cauſa confuſionis*, & *illicitum*. Certè, ſi ea erit *Peccati Actualis* latitudo, ut ſignificare poſſit *omnem illegalem actum*, [rectiùs *defectum*,] ſive is fuerit *proæreticus*, ſive *non*; erit *Peccatum Originis* ei oppoſitum, nil niſi *torpida quædam facultas*. Quod eſt ἀϑεόλογον, & notatum in *Scholaſticis*. Quare ut *Peccatum Originis* ſibi conſtet, & non ità diluatur; hoc eſt; ſit non modò *facultas*, ſive *habitus malus*, [ἄεργος;] ſed & *actualis in malum ebullitiò*, juxtà *Gen*: VI, 5. non poteſt *Peccatum Actuale*, aliter ſupponere, quàm pro *defectu proæreticô*; aut *nominaliter*, ultrà id, augeri: quià *Nominale repugnans*, non eſt bonum. Iuxtà *Tmem*: I. *Cap*: II. *Poriſm*: 3. (3) *Grotius* de jure Bell. & pac. l. II. c. VII. n. 4. ait: *Debitum ſtrictè interdum ſumitur pro eâ obligatione; quam inducit jus expletorium: Interdum laxius, ut ſignificet id, quod niſi inhoneſtè omitti non poteſt, etiamſi honeſtas illa, non ex juſtitiâ, ſed ab aliô fonte proficiſcatur. Ità alimenta liberis deberi &c.* Rectè equidem: poteſt *debitum* ita *latè* ſumi; ſed hoc tantum *nominaliter* & *impropriè*. Etenim quià *debitum tam latum*, æquipollet *omni* *ob-*

obligationi, cujus radix etiam eſſe poteſt *nuda promiſſio* & *gratia*; nihil *debitum propriè* habendum eſt, niſi *quod obligat ex jure expletoriô*, & quod *ad meritum exactè eſt proportionatum*. Sicut alibi. Unde, ſi *Grotius*, obligationem ex aliô fonte, quàm ex *tali jure* profectam, putat eſſe *verè debitum*, fallit & fallitur: Quià quicquid, quomodocunque aliter ſe habet, eſt ex *gratiâ*, quæ cum *propriè ſumptô debitô*, atque *meritô*, non poteſt conſiſtere. Atqui [*Dices*] propter *debitum* ejusmodi *latum*, poteſt aliquis conveniri. Ego verò etiam inficior eâ cauſâ *verè debitum* eſſe. Poteſt enim aliquis conveniri ob *quamcunque obligationem*, & ſic eam etiam *gratuitam*. Videlicet: *Cum Conventio*, ſeu *Actio*, ſit *jus perſequendi in judiciô, quod nobis debetur*, Inſt. l. IV. tit. VI. de Action. Et verò *Donatio* eſt *modus acquirendi dominium*, pr. tit. Inſt. de Donat. Atq; adeò, *Donari non poteſt, niſi quod ejus ſit cui donatur*, l. in ædibus 9. §. ult. ff de Donat. Confer l. 20. ff. de reb. credit. poteſt quis conveniri etiam ob *Donationes Gratuitas &c*: Neque tamen *Gratia*, aut *Gratuitum*, [ſicut ante] *verè Debitum* conſtituit.

(4) *Logici*, ad *Terminum Complexum* referunt *Definitionem*, & *Diviſionem*. Quæritur an hoc de *Definitione* fieri poſſit? Nos ne-

negamus. Nam ſi *Definitio* erit *Terminus Complexus*, ſupponet *Terminus Complexus* ità *latè*, ut etiam *Complexa ſolâ voce*, poſſit comprehendere. Eſt enim certè in *Definitione*, nulla alia *Complexio*, quàm *vocis*: poſtquam in eâ *plures voces* nonniſi *unum conceptum*, (nempe *definiti*,) ſpargunt. Breviter: Res ità habet. Illud *Complexum* propriè eſt in Logicâ, quod ob difficultatem apprehenſionis, non eſt bonus *terminus ſimplex*; ſed *ineptus*. Atqui tale quid non eſt *Conplexum voce tantùm*, ſeu quod plures repræſentat *voces*; ſed quod plures repræſentat *conceptus*. *Plures* enim *conceptus*, non poſſunt ſimul obiri, & ſic termini non *benè apprehenſibiles*, ſeu *inepti fiunt*. Cum & ſi *Complexum voce* ſeu *ſonô* tantùm, eſſet *verum* ſeu *proprium Complexum*, forent *verè complexa* multa, quorum *unus* eſt *Conceptus*: nempe *Synonyma Grammatica*, περιφραστικὰ &c: Velut ſi dicam: *Enſis* & *gladius*, *gemitus* & *ſuſpirium*, *Campus Martius*, *Haga Comitis*, *Delphinus Galliæ* &c: Atque è contrà *incomplexum* foret quicquid *unâ voce* conſtat. Quod utrumque malè eſt fundatum. Enimverò *una res*, *unuſque conceptus*, non poteſt dici δυσνόητος, & *terminus Ineptus*: Et una vox, ſæpe plures *conceptus* connotat. Qui profectò non poſ-

poſſuut dici aliquid *incomplexum &c*: Ut propterea *complexum* & *incomplexum*, formaliter dijudicanda ſint non ex *voce*, ſed *conceptu*. Oggerenti: *Definitionem ex pluribus conſtare conceptibus*, eò quod eodem actu non poſſit apprehendi *Differentia*, quô *Genus &c*: Reſpondebo: Diſtinguendum eſſe inter *Genus* & *Differentiam*, ſumpta *conjunctim* tanquam *partes Definitionis*, & ſumpta *ſingulatim*, ut *non partes* Definitionis. Hoc in ſenſu valet ἔνστασις: Ità ut v. c. *notio animalis*, non ſit *notio rationalis &c*: cum *conceptu* diſtinguantur. At cum uterque hic terminus conjungitur; & *definitivè* enunciatur: *Animal rationale*: *unus* tantùm menti obvenit *conceptus*, nempe *Definiti*, *hominis*. Prorſus quomodò conjungendô has voces; *Moles Hadriani, Sereniſſimus p.t. Rex Daniæ & Norvegiæ &c*: unum tantùm habeo conceptum; utut *voces ſingulæ diviſæ* ſuum quæque habeant conceptum, & ſic etiam *complexa* eſſe poſſint. Ergò quià *complexum vocale*, non poteſt eſſe *complexum*, niſi *æquivocè*; & *Definitio*, eô modô eſt *complexum*, ut deduximus, enimverò halucinantur *Logici*, cum *Definitionem* ad *Terminum Complexum* referunt, poſtquam *hic* ad *eam* non poteſt dilatari niſi *nominaliter*. Qualis dilatatio illô locô

non

non eſt licita: nempe ubi agit de *complexô* non *æquivocè*, ſed *verè tali. Politicus*, noviſſimè diviſit *Democratiam*, in *Liberam* ſeu *Abſolutam*, ubi omnes æquè ad honores Magiſtratus, admittuntur, [ſaltem qui ſunt digni;] vel *Aſtrictam*, ſive *Limitatam*, ubi non admittuntur niſi certæ in Republ. familiæ: Qualis ſtatus fuit *Reipubl. Romanæ*, ante *Legem Canulejam*; & eſt hodieque *Reipubl. Noribergenſis*, *Auguſtanæ*, *&* *complurium*. At verò *Democratia*, ad *Aſtrictam* illam non poteſt exaltari. Nulla enim ſecus futura eſt differentia inter *Ariſtocratiam*, & *Democratiam*. Supponet enim *Democratia*, de *formali*; admiſſionem ad Magiſtratum, præſcindentem à [dignis] *omnibus* & *aliquibus*. Quomodò *Ariſtocratia*, evacuabitur. Nam ſi ea aliquid erit, certè erit *admiſſio talis ab aliquibus*. Itaque *Democratia* ſe fundabit & concludet in *ſolâ iſonomiâ*, ſeu *indifferente omnium*, [dignorum] *admiſſione ad honores*; ſi modò *formam Reipubl*: *Democraticam*, vis diſtinguere ab *Ariſtocraticâ*. Quæſo enim quid invenies aliud? An quià in *Ariſtocratiâ* pauciores regant? Nondum certus *Optimatum* numerus conſtitutus eſt. Et habetur certè pro *Ariſtocraticâ*. Reſpublica *Maſſilienſium*, utut in eâ *ſexcen-*

centi olim præſidebant. Imó : habemus *Democratiam*, quâ minor eſſe *Ariſtocratia* non poteſt, nempe *Duumviralem &c*: An quià in *Magiſtratu Ariſtocraticô*, etiam *fortunæ bona*, reſpiciuntur; in *Democraticô* autem ſola *virtus*? Equidem non exiſtimo. Nam [ut præteream, quomodò *Politici*, etiam faciunt *Ariſtocratiam* ex *Virtute ſolâ*, quam vocant *Simplicem*,] quià *Democratiæ partes*, etiam eſſe poſſunt *divites* & *nobiles*, poſſunt hi etiam ad officia *Magiſtratus*, in *eâ* adoptari. Et ubi *Magiſtratus* electio coarctata eſt intrà *certas familias*, velut *Patritiorum* in Germaniâ &c: ſunt illi ipſi *Patritii* in Republ. quaſi *nobiles*, atque *ditiores*; & ſic pares *Optimatibus*. Imó verò [*dices*] *Majeſtas Democratica* ambulatoria eſt; *Ariſtocratica*, fixa &c: Ego verò nego hoc eſſe neceſſarium. Nam & in multis Civitatibus, *Conſulatus permanentes* dantur: Et *honores Ariſtocratici*, etiam illi ambulare poſſunt. Hoc eſt itaque quod deſidero in *Virô Doctô*. Dilatat ubi non poteſt dilatare; nempe tribuendo ea *Democratiæ*, per quæ *Ariſtocratia* debebat conſervari; hoc eſt: eſſe *Ariſtocratia*. [Neque enim *oppoſita* ad ſe, exaltari poſſunt.] Et ſi vel maximè illa *Democratiæ latitudo*, adhuc eſſe poſſet *Nominalis*, tamen eâ, *Op-*

ti-

timus Vir, in *ſtatu controverſiæ*, [nempe ubi *Democratiam* vult dividere] non ſic uti potuit. juxtà *Tmem:*1. *Cap.* 11, *Axiom.6.*

V. Proprium, eſt nativæ ſignificationis: improprium, tranſlatæ.

Proprium & *improprium* terminis *latè* & *ſtrictè* ſubijcimus; quià iis ſunt ſubordinata. Cognoſcitur enim ex collatione proximæ *Theſeos* IV, cum *ſeq. Proprium* & *Improprium*, eſſe *Strictum*, & *Latum Nominale*. Aliàs non diffitemur, *Proprium* quandoque etiam opponi *communi* ſeu *communicato*; ſed ſic non eſt *hujus inſtituti*: quià eô ſenſu, cum *oppoſitô ſuô*, cadit ſub terminis *Primariô* & *Secundariô*: Quorum ſedes erit *Caput Ultimum*. Nempe illic etiam *rei*; *hic* ſolius *vocis* ratio eſt. Cum & numerus longè maximus ſit *communicatorum*, quæ *ſubjecto participanti*, non ſunt *impropria*. Vocamus autem illud hoc locô *proprium*, quod eſt *nativæ ſignificationis*. Cujusmodi eſt vocabulum in *uſu ſuô primigeniô* permanens, & non devinctum *alienis*, ſeu *extrinſecis*. Dantur enim *voces* fermè *unà natæ cum rebus ſuis*. juxtà *Ciceron*. 3 *de Orator.* atque eæ vel maxime ſunt *propriæ*. Cum nempe hoc ſignificant, ad quod ſignifican-

 dum,

dum, primò fuerunt inventæ. De ſe quidem, *vox* non eſt magis uni rei *propria*, quàm alii, ut quæ ſignificat *ex inſtitutô*, atque eò eſt indifferens, ut non magis *huc* quàm *illuc* trahi poſſit: ſicut æquè potuit vox *album*, etiam initiô deſignaſſe *nigrum*, modò ità voluiſſet *uſus &c*: At cum ſemel *vox* impoſita eſt certè alicui rei deſignandæ, ſi prius nihil ſignificavit, manet ei uni *propria*, & ſic obligata, ut nullum aliud pari officiô, [à ſe quidem *eſſentialiter* diverſum, aut *eôdem tempore*,] obſervare poſſit. Unde ſi quandò *neceſſitatis*, aut *feſtivitatis* causâ, *vox* aliqua ad alia *extraeſſentialia*, [*propinquitate* tamen quâdam *ſignato ſuo* juncta,] inflectitur, non poteſt certè, *extrinſeca* hujuſmodi etiam *propriè* capeſſere &c: juxtà *Theſin* VII. *hujus*. Dixit *Aliquis*: *Abuſus* ſæpe prior *uſu*: quomodò *vox Dei* primò fuit adhibita ad deſignandum *Deos falſò* atque *ὀνομένως* tales: Inde ad *verum Iehovam &c*: *Nempe*: Si hæc ità ſe haberent, ſequeretur *ſignificationem primam*, [quæ eſt *Theſis* noſtra,] non ſemper eſſe *propriam*. Verùm, non poſſum conijcere, unde *Vir Doctus* habeat, quod *Vox Dei*, primò fuerit in uſu de *Idolis*. Neque hoc mihi videtur probabile, cogitanti, quod *Dei veri noema*, ſaltem *confuſum*, omnibus

bus ſit congenitum, & haberi etiam *illuſtrius* & *diſtinctius*, contemplandô, poſſit. Rom: 1, 19, 20. Quare adhuc inſto, & revertor ad propoſitum, quod, *ſignificatio tranſlata*, prius memorata, ſit *Impropria*, & *viciſſim*. Nam *tranſlationem*, hîc non intelligo *internam*, ſeu *eſſentiæ*, quæ eſt cum *vox* ſubducitur à ſuâ *ſtrictâ ſignificatione* ad *fuſiorem*, & *abſtractam*, propter adæquandum termini *formale &c*: Quô de *Theſi* III. *præced*: [Hæc enim *tranſlatio*, ſinit *vocem* permanere intrà *eadem eſſentialia*, & ſic nullam facit *improprietatem*;] ſed *externam* & *cognationis*: Quatenus propter *externam* quandam *analogiam*, & *vicinitatem*, *vox* ad illud quod ſuo *primitivo ſignificato* extraeſſentiale eſt, traducitur. Id quod ſolet *Tropus* dici; atque ob hoc ſemper *improprietatem* facit. Eſt enim *Tropus*, [juxtà *Quintilian*: *l*. 8. *c*. 6.] *verbi vel ſermonis à propriâ ſignificatione in aliam cum virtute mutatio*; ſive [quod eôdem recidit ex *Ejuſd*. *l*. 9. *c*. 1.] *Dictio, ab eô locô, in quô propria eſt, tranſlata ad eum, in quô non eſt propria*.

VI. Ubi Diſtinctum nè quidem uni membrorum competit propriè, non ſit locus diſtinctioni.

Notum eſt enim *membra*, tum non eſſe *adæquatè* repræſentata: Quippe deeſſe illud, cujus intuitu, reliqua fiunt *impropria*. Cum in omni *improprietate*, aliud ſit à *quô* quid transfertur, ab eô, *ad quod* quid transfertur. Itaque, ſi *Diſtinctio impropria*, produxit *omnia ſignificata Diſtincti ſui*, non poteſt intermittere illud, à quô facta fuit *tranſlatio*; & ſic non *proprium* aliquod ſimul addere. Nam non poteſt intelligi, quomodò in *ſufficienti* & *exactô omnium ſignatorum indice*, [qualem quidem *Diſtinctio nominis adæquata* ſiſtet,] non ſit unum, cui ſignum *primò propriéque* fuit impoſitum. Quale certè, quod nuſpiam aliquid ſignet *propriè*, qui facit, idem facit, ac qui dicit *ſignum* illud, non fuiſſe *primó* alicui rei inditũ, hoc eſt; non fuiſſe *ſignum*. Sed hoc etiã perſequor *Theſi proximè ſequente*. *Uſum*, & *Abuſum* deduxit *Tmem*: 1. *Cap*: 1. *Poriſm*. 5. *Claſs*. 2. *Exemplis*, quæ huc trahi poſſunt.

VII. Diſtincti & Diſtingventium, una tantùm ſignificatio propria eſſe poteſt: Cæteræ omnes, ſi non ſpuriæ, impropriæ ſunt.

Fer-

Fermè ità concludit (e) *Scaliger* : idque rectè. *Voces* enim cum ſint *rerum ſigna* & *cubilia*, quomodò *quæque res in ſe una* eſt; ità *ſignum* ſimile, hoc eſt; *quæque ſibi*, quô noſci poteſt, exigit. Si rei illi, *primò* eſt impoſitum, fit ei *proprium*; ſed ſi exinde eſt *tranſlatum ad alia*, idque *minus juſtè*, [nempe *repugnanter*, *temerè* &c :] *ſpurium* eſt; Si autem *juſtè*, ſeu per *Tropum*, jam tum quiden *licitum* eſt, ſed *intrà ſuos terminos*, hoc eſt; ut *improprium*. Manet enim adhuc, *illi uni*, cui *primò* fuit injectum, *proprium*; & *præ omnibus aliis*, devinctum &c : Prorſus quô modô, *Imago hominis*, nonniſi *unum* individuum, *preſſè* & *exactè* repræſentare poteſt : Si quæ autem alia ad illud veniunt in comparationem, veniunt *ἐν ὁμοιώματι* ſaltem, & *impropriè*. Interim *Nota* : [in quô *Scaliger* excipiendus eſt,] poſſe tamen *plures ſignificationes proprias*, ejuſdem vocis, concurrere; In *Fortuitis* quidem *æquivocis*, & *ampliatis eſſentialibus*, tempore *eôdem* : ſed in iis, quæ ex *impropriis* fiunt *propria*, *tempore diverſô*. Quô de, ex profeſſô, *Theſi* ix. *hujus*.

P 4 VIII.

(e). lib : 13. de Cauſis L L. cap. ult.

VIII. Diſtinctum & Diſtingvens improprium, eſt nominale deliberatum, ſive tropicum; & viciſſim.

Theſis hæc in anteceſſum confirmata fuit. Etenim *Theſi V. hujus*, patuit *improprium* eſſe *Tropicum*: Et *Tmem.* 1. *Cap*: 11. *Theſ*: *V. Nominale Deliberatum* eſſe *Tropicum*. Quò defuncti labore, hîc quieſcimus. Eſt ergò omne *improprium*, *nominale*; ſed non contrà, omne *proprium*, *reale*: Quia *proprietas* etiam cadit in *nominale*, nempe *fortuitum*. Malè itaque judicium præcipitant, quotquot fingunt aut *improprietatem* ubi non eſt *tropus*; aut *proprietatem*, ubi eſt *tropus*, contrà *hæc principia*. Ex quorum numerô, hic mihi audiendi ſunt, [1] *Calvinus*, (f) defenſus à (g) *Zwingerô*, qui ſic infit: *Quoniam is qui verus erat Deus & homo, Chriſtus, ſangvinem ſuum pro nobis crucifixus fudit, quæ in ejus humanâ Naturâ peracta ſunt, ad Divinitatem*, impropriè, *licet non ſine ratione transferuntur*. Hæc ille. Atqui nulla hîc *improprietas*, locum habet; qúià nullus *tropus*. Nam quandò ea, *quæ ſunt peracta in humanâ naturâ*, tribuun-

(f) l. 2. Inſtit. c. 14 n 2. (g) p. 247.

untur *Divinæ Naturæ*; ſaltem *una Natura* ponitur pro *aliâ*: hoc eſt; *pars*, pro *parte*. Cujus non eſt *tropus*. Avertat verò Deus, ut non *mori* & reliqua *humanitatis propria* ἐνεργητικὰ, ſint quàm maximè *propria* ad *Divinam Naturam*: & viciſſim, *hujus* ad *Humanam*. Nam ſecus actum foret de redemptione noſtrâ: Quià [cum *impropriæ operationes* tantùm *titulares*, atque *nonreales* ſint,] *Caro*, ſuô unius molimine, nil proficeret ad *infinitum* λύτρον. Neque ulla alia futura eſſet *Naturarum Unio*, quàm qualem illi *communionem Idiomatum* atque *Apoteleſmatum*, ad *naturas*, agnoſcunt, hoc eſt, *Verbalis*. Quæ eſt re, *non-unio*. Maximè poſtquam *excluſivæ* ejusmodi *operationes*, arguunt *excluſiva ſuppoſita*: Quemadmodum *Operationes ſunt ſuppoſitorum*. At *ſuppoſitum*, non eſt ſine complexu eorum, quorum eſt *ſuppoſitum*: hoc eſt; *Naturarum*. Ideoque cum *earum communione*, tam reverà aget *propriè*, [ſaltem in iis, quæ *ad finem Unionis*, faciunt,] quàm eſt *terminus henopœus utriuſque*. Finge ergò, *naturas excluſivè* agere ad ſe invicem, & negabis *unitatem ſuppoſiti*, [neceſſe eſt enim cum *actiones ſint ſuppoſitorum*, ut *natura* illa *excluſivè agens* ſit *ſuppoſitum*; & ſic illa *altera excluſa*, ſit & illa *ſuppoſitum*, aut

ἀνυπόστατος; Quod *abſurdum*:] Nega *unitatem ſuppoſiti*, & negaſti *Unionem*. Porrò *argumentor*: *Cui ſubjectum*, [natura humana] *eſt proprium*, *ei etiam propria ſunt ejusdem* πάθη & ἀποτελέσματα: Atqui λόγῳ *ſubjectum*, [humana natura] *eſt proprium*, [nempe tam *proprium*, ut eſt *pueris ſua caro*, *Hebr*: 11, 14. Neque hoc audent negare *Reformati*,] Ergò: λόγῳ *etiam propria ſunt* ſubjecti [humanæ naturæ] πάθη & ἀποτελέσματα. *Deus* quidem, ſive λόγος *ſimplex* atque ἄσαρκος, neque *ſanguinem* habet, neque *pati* poteſt &c: ſed alia ratio eſt *Dei* ſive λόγου *compoſiti*, ſeu ἐνσάρκου; qui tam *propriè* ob *unionem* ἀκραιφνεστάτην, patitur, moritur &c. *in carne ſuâ*; quàm [quod eſt ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον,] *factus fuit Caro*. Unde & *proprius*, ſeu ἴδιος *ſanguis*, [& per eum *paſſio* & ἀπολύτρωσις,] tribuitur non ſolum *Chriſto* ſive *toti Perſonæ*, *Hebr*: IX, 12. & XIII, 12. ſed & *ipſi Deo*, *Act*: XX. 28. Terminus *ſecundariò* hic locum habere potuit, [propter *naturarum inæqualē* in hôc negotiô *concurſum*,] verùm non *impropriè*. Quià *ille* ſtare poteſt cum *proprietate*, & *realis* eſſe; *hic*, non itim. *Status Unitus* multa facit, quæ non facit *ſeparatus*. Videre eſt *animam*, de ſe ſpiritum *impaſſibilem*, ob *unionem* ſui cum corpore, læ-

ſo

ſô cerebrô, ità affici, ut vel in ſe ſapientiſſima deliret. Quâ *unione*, nempe *Naturali*, infinities adhuc arctior eſt *Perſonalis*, ut quę nunquam ſolvi poteſt. Sed & nunquam dici poteſt: *Anima facta eſt Corpus*, ſicut *Iohannes* dicit: *λόγος factus eſt caro &c*: *Cap*: 1. 14. [2] *Crocius*: Qui in *Syntagm*: *l*. 3. *p*. *m*. 522. Ita ſcribit: *Hæc Diſtinctio*, [nempe *Voluntatis Dei*, in *Signi*, vel *Beneplaciti*,] *à Scholaſticis reperta, & ab orthodoxis ſcriptoribus, haud rarò uſurpata, dextrè accipienda eſt. Etſi enim improprietas quædam ſit in vocibus, ut rectè notant Molinæus & Walæus; tamen diſtinctum voluntatis Divinæ conceptum, ex ipſorum uſu indicant. Hinc Voluntas ſigni eſt, quâ Deus vult fieri aliquid à creaturis intelligentibus & rationalibus. Nam hîc paulò anguſtius ſumitur, non pro quavis voluntatis Divinæ ſignificatione; ſed pro ſignificatione per præcepta & interdicta, promiſſiones item, & comminationes, quibus præcepta ſanciuntur.* Et poſt: *Iſtæ duæ voluntatis Divinæ quaſi ſpecies, nempe Signi & Beneplaciti &c*: Ità *Crocius*; vim *improprietatis*, [ſi quidem meliùs non ſentit, quàm ſcribit,] ità intelligens, ut nemo minùs. Quid enim! An *voces* de ſe *Impropriæ*, *diſtinctum* (*hoc eſt*; *certum*) *conceptum* indicabunt? Monſtrum ſanè in *Philoſophia*: Simile alteri, quô *vo-*

luntas Impropria [ſigni] erit non ſolùm *vera voluntas*, [qualem ſanè oportet eſſe eam, *quâ Deus aliquid vult fieri à creaturis ſuis rationalibus &c.*:] ſed etiam voluntatis Dei *quaſi ſpecies*. Abſurdum eſt: *impropria*, [quippe *æquivoca*] *diſtinctum* ræpreſentare *conceptum*; & adhuc abſurdius, *eum* quaſi *ſpecificum*. Nam quô modô, quæſo te, *vox nuda*, [quale *improprium*,] erit ſimul *rei eſſentia*; imò ea, *quaſi Specifica?* Cætera ad *Voluntatem Signi* & *Beneplaciti* pertinentia, ſuis locis vidimus & caſtigavimus.

[3] Ex *Noſtris*, Aliqui: ſtatuentes *Chriſtum triduô mortis non fuiſſe propriè hominem*. Atqui *tropi* hîc veſtigia nulla ſun,t& ſic *nulla improprietas*. Perpetuò enim piæ menti diſcernendũ venit, *Myſterium*, 1.*Tim*: III, 16. *à vulgari caſu*, & φιλάνθρωπος à θεανθρώπῳ. *Quod præter naturam eſt, naturæ Legibus non eſt judicandum.* Scalig. Exercit: 77. ſ. 2. Neque enim *Homo* λόγος, convenit *conceptu*, cum vulgari *homine prædicamentali*; ſed eſt *homo eminenter*, ob ea, quæ hîc diverſiſſimè admiranda incidunt: velut, *naſci ex virgine, per adumbrationem Spiritus Sancti; ſine virili ſemine; ſine propriâ ſubſiſtentiâ; Quà corpus vulneribus apertum, non corrumpi* Palm: XVI, 10, cum *Lazarus* τεταρταῖος oleret; *Ioh*: XI, 39. *&c.* Unde facilè ener-

vantur *Inſtantiæ* contra *myſterium*, ex *Naturâ* petitæ. velut; Quod *homo mortuus, corpusque ab animâ localiter ſeparatum habens, non ſit verus homo* &c: Nam *homo vulgaris* ſive ψιλάνθρωπος, mortuus, deſinit vivere, & *partes* ſuas *eſſentiales* nullô modô unitas habet, atque ſic *propriè* non eſt homo. *Homo* verò θεάνθρωπος, utut verè ſuô tempore fuit mortuus, *corpusque* ab *animâ* tantô habuit intervallô disjunctum, quantô diſtat à *ſepulchrô*, *paradiſus*; tamen ità, etiam tum vixit in *Deo vivo Luc: xx*, 38. ut ipſe corporis ſui templum, à judæis deſtructum, reædificaverit. *Ioh.* 11,19.21. Fuitque animâ ſuâ à corpore *naturaliter*, ità abſens, ut tamen eâdem animâ, fuerit corpori ſuo, *perſonaliter* præſentiſſimus. Neque enim in *aliâ* λόγου *parte*, ſubſtitit anima in *paradiſô*, in aliâ corpus in *ſepulchrô*; quià λόγος non eſt *partibilis*, aut *localiter* ſubſiſtit &c: Ob quod in ipſâ *mediâ morte*, Chriſtus non modò vocatur *homo*; ſed & ἀληθῶς ſeu ὄντως *homo. Marc: xv*,39. *Luc: xxIII*.47. *Diſſentientes*, dum imbrem fugiunt, incidunt in profluentem. Nimirum: Si Chriſtus triduô mortis, non eſſet *Homo* niſi *nominaliter* & *impropriè*; ſequeretur eum, illô tempore non fuiſſe *Chriſtum*; quià *hic* non eſt niſi

Deus & *Homo ſimul &c.* Quomodò ſolvetur *Unio.* Oportebit eum etiam, abſurdâ ratione, *bis & ſæpius factum verum hominem*: nempe primò in *conceptione*, atque iterum in *reſurrectione*, quando non erat tempore mortis *homo*, niſi *æquivocè* &c: Adhæc: λόγον in cælô, eô tempore, fuiſſe ἀσώματον; in ſepulchrô, ἄψυχον, &c: Ut idem *illis* hîc eveniat, quod *qui in limô utrumque crus impactum habent. Quò namque ſeſe alterutrô expedire enixius conantur, eò fortius alterum defigunt.* Scalig. Exerc. 307. ſ. 28. [4] *Logicus*: Qui audet affirmare: *Analogum proportionis quandoque poſſe competere omnibus analogatis in ſignificatione propriâ*: Quomodò *Principium, cordi, puncto, fonti.* At *Analogum proportionis* eſt *æquivocum deliberatum*, [nempe *Metaphoricum*;] & ſic nunquam *proprium. Exemplum*, additum, nihil melius eſt *Theſi.* Dignum, [quod dicitur] patellâ operculum. Nam *principium*, nè quidem *Analogum* eſt ad *cor*; *fontem*, & *punctum*, [quam enim præeminentiam habet *cor* præ reliquis, eam non habet in ratione *principii*, ſed *nobilioris ſuæ formæ &c*:] nedum *Analogum proportionis*. Quià enim *hoc*, [ut dictum] in omni ſanâ Philoſophiâ, eſt *æquivocum*; ſi *principium* eſſet tale quid, non poſſet *Diſtinctionem ſuam*

am, [quæ eſt, eſſe *originem proceſſionis alterius*] conferre *cordi, fonti, puncto*. Notum eſt enim *æquivoca non poſſe unâ Definitione convenire &c:* (5) *Maccovius:* (x) Cum *proprio* & *improprio* ſynonymos facit terminos, *univocè* & *æquivocè*; *Verè* & *apparenter*; *ſecundum Eſſentiam* & *apparentiam*; *Synonymicè* & *homonymicè*; *verè* & quæ *opinione hominum*, *ſecundum rei veritatem* & *nominis ſimilitudinem*; *reverà* & *nominetenus*. Utique inaccuratè. Nam nec omne *Homonymum* ſeu *æquivocum*, eſt *improprium*; [Dantur enim etiam *homonyma propria*,] nec ſemper *proprium*, eſt ſecundum *eſſentiam*, aut *ſynonymum*; multò minus *univocum*. *&c*. Nam & *analoga*, & *paronyma* ſe habere poſſunt *propriè*. *Apparenter*, & in *opinione hominum*, poſſunt eſſe alia quàm *impropria*, nempe *falſa*. tandem, *nominetenus* & *ſecundum nominis ſimilitudinem*, non ſunt adæquata ad *improprium*; ſed ad *Nominale* in communi.

IX. Non licet à poſterioritate temporis ad termini alicujus improprietatem colligere.

Nempe: Omnis *Prima ſignificatio*, quamdiu in uſu eſt, etiam eſt *propria*. Sed non con-

(x) Diſtinct. generaliſſ. Decur. 1. th. 11. p. 164.

contrá: Omnis *Propria ſignificatio*, mox eſt *prima*. Poteſt enim fieri, & fit ſæpiſſimè terminos initiô *aſtrictius* habitos, poſteà re auctâ, ad *majores uſus*, tranſumi; ſic tamen ut non liceat *poſteriores acceptiones*, ad priores, *improprias* denominare: cum non fundentur in *tropô*; ſed ſint à *propriis* ad *propria* abſtractæ, atque exaltatæ. Ità ab antiquâ memoriâ, Vox *excommnicationis*, profani uſus fuit; nempe pro *bannô*, ſeu *proſcriptione civili*. Nunc autem invaluit etiam illa acceptio, omni procul *improprietate*, quâ excluſionem *ab Eccleſiâ*, ſignificat. Quoad longiſſimè recordari poſſumus, *Liberæ Civitates* dicebantur primò *Civitates Græciæ*, quas *Flaminius*, Philippô Macedone ſuperatô, Senatus Populique Romani decretô, *Liberas* eſſe juſſit; *Liv. l.* 3. *Dec.* 4. Poſteà & in *Imperiô Romanô*, voci locus fuit, idque ad ſignificandum non ſolùm illas *Civitates*, quæ initiô Imperio, *immediatè*, ſicut aliæ Provinciæ fuerunt ſubjectæ; ſed & quasvis alias, nunc quidã *exemptitias*, olim tamen *uni: Mcipales*: Idque & *hîc*, & *illic*, *propriè*. *Talenti* pretium, apud *Græcos*, olim fuit vilius, ut colligit ex Homerô, *Alexander Sardus* l. *de Numis:* ſed poſt ità incrementum ſumpſit, ut *Favonius* audeat affirmare: Nihil

Athenis obulôve minus, majusve talentô.

De-

Deinde: Poteſt etiam fieri, ut ſignificatio aliquamdiu *impropria*, temporis progreſſu fiat *propria*: nempe emortuâ & exſtinctâ illâ, ad quam ità fuit *impropria*. *Paralleli* vocem (l) *Ptolomæus*, qui *Climatum* non facit mentionem, ſumpſit liberalius: Ità ut ad *Grad. Latitudinis* 63. *Diemque Longiſſimum* 20 *horar.* [ubi (m) *Nos* Parallelos ad minimum *trigintà duos* numeramns,] agnoverit tantum Parallelos *viginti unum*: Sumptô *Paralleli* computô non modò ad *quadrantem horæ*; ſed & ad *horam dimidiam*, imò *integram*. Cujus rei *cauſa* an fuerit *Solis declinatio* tum *major*, vel *incognita*, an quod ſic voluit *Vir Maximus &c*: in incertô eſt. Poſteriores autem *Antiſtites Geographiæ*, per *Parallelum* hunc *Horarium* intellexerunt *Zonulam*, quæ ſit *Climatis dimidium*, ſive *pars quadrageſima octava latitudinis Quadrantis Terræ*, usque ad *Circulum Polarem*, ad quem *Climata* evaneſcunt: reſpondens præcisè *Quadranti Horæ* in differentiâ *Diei Solſtitialis* ſeu *longiſſimi*. Quæ quidem ejus noviſſima ſignificatio, ubi primum emerſit, ad *Ptolomaicam*, (uti neceſſe erat,) fuit *impropria*. Sed nunc certè, ubi *Ptolomaicus Paralleli uſus* obſolevit, (utut enim interdum diſquiritur, *ſub quô*

(l) In Tab. Univerſal. Mercator. (m) Cluvar. Introd. Georg. l. 1. c. 6.

Parallelô Ptolomæus aliquem collocarit locum, tamen quoties *Geographia Moderna* quærit de *Parallelô*, ſemper intelligit, aut eum quem dixi *Circulum Horarium*; aut adeò Circulum aliquem eorum, qui ad *denos quosque Meridiani gradus*, loca *ejusdem elevationis* colligunt; hoc eſt, *Circulum Latitudinis*,] recentiſſima hæc *Horaria Paralleli ſignificatio*, certè *Propria*, quàm maximè exiſtimanda eſt. Ità & *Latro, Tyrannus, Sophiſta, Magus, Hoſtis, &c.* diu *propriè* in bonam valuerunt partem: Nam & *Latro* fuit *ſtipator*; dictus vel *à latere*, ut vult *Varro l.* 6. quod Regi eſſet circum *latera*, & ad *latera* haberet ferrum; vel à λάτρον, quod mercede eſſet conductus: Et non ſolum *Latinus*, *Æneam*; cui filiam & plurima benignè offert, vocat *Tyrannum*, *Æneid.* VII. Sed & *Ariſtoph. in Nubibus*, *ipſum Iovem* appellat θεῶν τύραννον &c. Inde verò deflexerunt in eum, quem hodieque obtinent, ſenſum: qui tamen ſtante memoriâ *prioris ſenſus*, longô tempore fuit *improprius*. Poſtquam verò crescente abuſu, prorſus exſtincta fuit *vetus ſignificatio*: ſucceſſit quæ nunc eſt in uſu, & ea tum quidem certè *propria*. Nam nemo nunc quidem terminos, *Tyrannum, Latronem &c.* concipit ut *ambiguos*. ſed ut *unum quid*, deſignantes. Interim

rim, non rarò *vetus propria ſignificatio aboletur*, & negligitur, antequam poſſit, debeatque. In quô *Conſvetudo*, æquo non præjudicat. Videlicet: Cum Veteres *Græci*, *Circulum Arcticum* appellarunt, qui includens ἄρκλυς, *ſtellas ἀειφανεῖς* circumſcribebat, pro latidudine cujuſque loci &c: audacter noſtra tempora, illam *Circuli Arctici* ſignificationem omiſerunt, & in ejus locum aſſumpſerunt, eam, quâ *Circulum Polarem* notat. Ubi verò non putandum eſt, poſtremam *Circuli Arctici* acceptionem, eſſe *propriam*, & primam *impropriam* &c: Verùm è converſò, hanc eſſe *propriam*, illam *impropriam*: *Poſtquam Circulus Arcticus polaris*; non ſolùm non ſità *Græcis* uſurpatus; verùm etiam malè dicatur *Arcticus*, qui ἄρκλον clariſſimam non comprehendit. *Dices*: Quomodò ſeparandi ſunt *Polares Circuli* ab invicem, ſi non *alter* appellan *Arcticus* &c. Reſpondeo: per *Plagas*: vocandô unum *Borealem*, Alterum *Auſtralem*, ſed ad *Alia*.

X. Improprium, quà tale, non eſt falſum.

Improprium enim non opponitur *Vero*, ſed (ut patet) ſoli *proprio*. Differunque *falſum*, & *Improprium* objectis: quod in *illô*, res

eſt;

eſt; In hôc, *nomen* cum analogiâ rei. Sed & cum *Propoſitio impropria*, ſit *æquivova*; eam *Veritatis* & *falſitatis*, non eſſe capacem ſatis liquet, propterea quod hæc *contradictoriè* ſe habeant, tanquam quæ *rebus* vel *conſentiant*, vel *non conſentiant*. At *contradictio* in *æquivocis*, [quà *æquivocis*,] nulla eſſe poteſt: Quià *hæc* debet fieri, [inter alia,] etiam *ſecundum unum conceptum*. Qualem *in Æquivocis* non dari, ἀσυμφίδοξον. Manet ergò *impropria* ſeu *æquivoca*, [nempe *quà talia* & ante *reſolutionem*,] *non poſſe falſa dici*. Cujus rei etiam fundamenta, jecimus alicubi iu *Tmem*: *Priori*. Uſus eſſe poteſt contrà *Reformatos*: Qui *Communicationem Idiomatum*, [utut eam ratione *Perſonæ* vocant *realem*; tamen] ratione *Naturarum*, non ſolùm ἀθεολόγως vocant *impropriam* & *Verbalē*, [nempe *ſynecdochicam*, *enallacticam alloeoticam &c*:] ſed & *nonnulli* etiam *falſam*. Utique *hoc ultimum*, certè ἀφιλοσόφως. Patuit enim quod ſi vel maximè *Communicatio illa*, ex ipſorum *hypotheſi*, ſe haberet, nondum tamen *falſa* poſſet proclamari. *Adverſæ ſententiæ* Teſtes qui vult advocare, conſulat (l) *Combachium*, (m) *Piſcatorem*, & *Alios*.

XI.

(l) Tract. de Commun. Idiom. c. 5. p. 79. (m) Volum: 1. th. Theol. l. 10. th. 23.

XI. Ptoprium præferendum improprio.

Habet *proprium* præ *impropriô*, inſignem *præeminentiam*, non tantùm ratione *Naturæ*, quatenus *hoc illius* gratiâ atque interventu fit; ſed & *cognitionis*, ob arctiorem præ *illô*, cum *ſignatô ſuô* unionem. Quomodò cum audio: *Herodem eſſe vulpem*, primò incidit conceptus & imago *vulpis animalis*, quæ eſt *propria*: Inde ex conſideratione *abſurditatis*, mens delabitur ad aſſumendum *Tropum*. Quæ eſt certè *poſterior conſideratio*. Hinc illud: *Analoga*, [nempe *Æquivoca*, non *Attributionis intrinſecæ*] *ſtant pro ſignificatione ſuâ famoſiori.* Adeò Cum *Signa* ſint tam *propria*, quàm *impropria*, dubitare nemo niſi vecors, poteſt, quin magis iis ſtudendum *ſignis*, quæ rem *propius* & quaſi digitô intentô monſtrant, [qualia ſunt *propria*,] quàm quæ *ex remotô*. Quò enim inter *ſignum & ſignatum* analogia major, eò melior. Et quis mallet per *feneſtram* ingredi, cum per *januam* poſſet? Unde facilè conſpicitur, quàm *in omni Studiorum genere*, [dicente *Voſſio de Philolog.* c. 5. p. 31] *Primum eſſe debeat, proprietatem vocum noſſe*: Et quàm ſit

ſit *Literalis ſenſus*, in omni ſcibili, magna prærogativa, non ſolùm *quà* σύνθεσιν, ut nimirum, ſapiens, ſapientis ſenſa animi communicaturus, ἐνθυρρήμων ſit, & ei ſtudeat ſermoni, qui *res æquet verbis*; ſed & *quà* ἀνάλυσιν eorum, quæ ſunt conſignata ab aliis: maximè à *Spiritu Sanctô*, in *Scripturis*. A quorum *Propriô* ſeu *Literali ſenſu*, nemo ità fatuus ſit, ut velit diſcedere, niſi cum *Scriptura ipſa*, [ut quæ non poteſt aliò intelligi ſpiritu, quàm quô ſcripta &c:] *contradictionem*, quæ ad *improprietatem* cogat, commonſtraverit. Nam, *ſi cuique* [ità *Menaſſe Ben iſrael l.1.de Reſurrect. c.6.*] *pro arbitriô ſuô, liceat ſenſu allegoricô explicare ſacras literas, quæ certitudo explicationis erit? Senſum quem quiſque volet, ſibi finget. Unde in infinita & innumerabilia nos incidere neceſſe erit abſurda. Huic enim per Creationem cæli & terræ, quæ in Geneſi deſcribitur, intelligi poſſit ortus & origo alicujus gentis, quemadmodum Eſaias comparat inſtaurationem Iſraelis, cum creatione novorum cælorum. Per luminaria, intelligi poſſet Lex: Nam Lex comparatur luci. Sic cum dicitur ſol paruiſſe Ioſuæ, poſſemus illud explicare, de ortu ejus imperii; de occaſu verò alicujus regni, cum ſol occidere dicitur; ſecundum illud Prophetæ: Conſtitit vel occidit ſol cum adhuc dies eſſet &c:*

Ver-

Verba Graviſſima. Ubi verò *Scriptura* ſeu *expreſſè* ſeu per *conſequentiam*, notat *contradictionem*, tum primùm cedet *proprium improprio*. Quomodò ſunt *Loca Scripturæ*, quæ *vitam æternam* deſcribunt ut *donum gratuitum*; ſunt alia quæ ut *mercedem*: Quid tenendum? Nimirum *Spiritus S.* oſtendit *contradictionem Rom*: xi, 6. Ergò admittendus *Tropus*. Quomodò & *merces Matth. v*, 46. per *gratiam* exponitur *Luc*: vi. 32. Pauli etiam θηριομαχίᾳ 1 *Cor. xv*, 32. *impropriè* accipienda eſt. Nam ut nihil dicam de *Hiſtoriâ Profanâ*, quæ vix permittet *civem Romanum* beſtiis poſſe objici &c. *Digeſt. l.* 3. *ad Leg. Cornel. de ſicar.* Confer *Act. xxii*, 25, 26, 29. & *xvi*, 37, 38. Scriptura ſaltem ſuſpicandum relinquit; non eſſe conveniens *Patientiæ Martyrum*; ut cum beſtiis ſe committant in pugnam, ſed ut eas potius patiantur &c: *Uſus* etiam præterea vel maximè eſſe poteſt contra *Calvinianos*, quorum *Theologia*, magnã partem *Tropologica* eſt: ut qui *contradictiones multas* metiuntur, non ex *Verbô Dei*, fundatô in loquentis ὑπερβάλλοντι δυνάμεως μεγέθει; ſed ex *ratione*. Quâ quidem arbitrâ, cadet *proprietas* non modò *Verborum inſtitutionis cœnæ*, & quæ illi plura habent pro *impropriis*; ſed & *Generationis filij Dei æternæ*, *Reſurrectionis*, *Trinitatis*, & quid

quid non? Adeò, (quod inquit *Auguſtin. l. 3. Doctr. Chriſt: c. 10.*) *Si animum praeoccupavit erroris opinio, quicquid aliter aſſeverit Scripturæ, figuratum homines opinantur.*

Caput Secundum,

De

Diſtinctione in *Per ſe* vel *Per Accidens*, in genere: Et in ſpecie, de *Per ſe*, & *Per Accidens Entitativô.*

1. Per ſe & per accidens, ſunt membra Diſtingventia, in primâ & ſecundâ mentis operatione à peritis uſurpata, diſtinctioris cognitionis rerum cauſâ.

D*efinitionem* juxtà leges horiſticas exactam, in tam variâ rerum luce, non poſſumus polliceri. Damus *Genus*, damus ἐν ὁμοιώματι etiam *Differentiam*; & qualem longiſſimè abſtrahendô, habere potuimus. Eadem autem vel nominare, eſt exponere. Quià quid ſint *Membra Diſtinguentia*; Quid *diſtincta* univerſitatis hujus *cognitio*; quid item

item *periti*, ſeu *artifices*, ex quorum ore hîc pendendum, ipſâ ſeſe mentione ingerit.

11. Per ſe & per Accidens, eſt vel Entitativum, vel Prædicativum.

Uſurpavit hoſce terminos *Javellus l. 3. Metaph.* ſed *diverſô* à nobis *ſenſu*. Etenim ille, *Entitativum* ſeu *Metaphyſicum per ſe* facit, quando res *de ſeſe* vel ſecundum *ſuam naturam*, eſt talis vel talis: Ut quum *So l*dicitur lucidus *per ſe*; *Luna* autem *per accidens &c*: *Prædicativum* verò ſive *Logicum per ſe*, facit, quando *prædicatum eſt de ratione ſubjecti*, aut *vice verſâ*. Quomodò cum dicitur: *Rationale eſt animal*; fit *prædicatio* per ſe, (Ipſi,) *Entitativè*; ſed non *Prædicativè*, quià *Genus non dicitur de ſuâ Differentiâ per ſe*. At longè latius ſe extendunt pomœria *horum terminorum*. Eſſe enim multò plures modos *per ſe Eſſendi* & *Prædicandi*, ex hac *Noſtrâ Operâ* eluceſcit. Et *Deinde*: Quanquam *exempla* à *javellô* allata aliquam fundare poſſint differentiam; tamen *Definitiones*, quas *exemplis* illis illuſtrare vult, coincidunt. Quomodò enim quæ ſibi invicem *de ratione* ſunt, non erunt ſimul ſibi & juxtà *naturã*? Si aliter ſenſit *javellus*

oportuit eum aliter loquutum; & non dediſſe anſam, *per ſe Entitativum* cum *Prædicativo*, confundendi. Nos autem, quià videntur iſti *termini*, nihilominus non inepti ad recipiendam *ampliationem*, ſic ut omnia poſſint complecti, quę hîc *uſus* quomodocunque fecit, eos retinere propoſuimus; quamquam ſervatâ perpetuâ proteſtatione contrà eorum *Abuſum*; & mutatis mutandis.

III. Per ſe & per accidens Entitativum eſt, quod nudum terminum ſimplicem afficit.

Entitativum hocce præcedit *Prædicativum*, quià fundatum eſt ſuper objectô primæ mentis operationis, *Terminò ſimplice*: è contrà *Prædicativo* res eſt, ut ſequetur, cum objectô ſecundæ mentis operationis, *Propoſitione*. Appellatur *Entitativum*, quia *entitates* ſeu *eſſentias* rerum ſpectat, attendendô quô *actu ſtatuque* illæ extrà cauſas ſuas emerſerunt. *Extrà cauſas*, [dico] partim *poſitivè*, prout verè factæ ex cauſis ſunt: partim *negativè*, prout *cauſas* nè habere quidem poſſunt.

IV. Per-

IV. Per ſe & per Accidens Entitativum, eſt quadruplex: Ratione vel [1] indiviſibilitatis; vel [2] totalitatis; vel [3] immutabilitatis; vel [4] Cauſalitatis.

Non eſt hîc quidem ſtricta aliqua *Diviſio* In *ſpecies oppoſitas*; ſed eſt tantùm innoxia quædam *Diſtributio* in *modos diverſos*; prout eos *uſus* excipit. *Diſtributio* [inquam] non *Rhetorica*, (inſufficientiæ,) quæ non ſemel ante forô ceſſit; verùm *Logica*, [ſufficientiæ,] quæ fit in *modos* ſic *diverſos*, ut poſſint ii nihilominus, *quà materiale*, interdum coincidere. Sunt enim *membra* hæc *diverſa*, ex eorum ordine, quæ ſunt *ſemi-diſtincta*, & tamen non ſpernenda in *ſuô genere*. Sicut pro iis cauſam diximus *Tmem*: *Prior. Cap.* I. *Poriſm*: 7. *Obſerv*: I. Cum autem tot modis, ſe habere poſſint *hi termini*, & ſit præter eos, etiam *Per ſe* & *Per accidens Prædicativum*, facilè intelligitur, quàm incurioſè *Maccovius* (n) *Per ſe* & *per accidens*, æquipollentes facit terminos: *Naturâ ſuâ*, & *determinatione*; *eſſentialiter*, & *accidentaliter*; *internâ ratio-ne*

(n) Diſtinct. general. Decur. 1. th. 11. p. 164.

ne & *externâ acceſſione*, *formaliter* & *abuſivè*; ratione *naturæ*, & *eventus*; *Denominatione intrinſecâ*,& *extrinſecâ*: Nam quemadmodum *tales termini*, interdum, [ſed pars quidem benè rarò,] ſuccenturiati ſint terminis *per ſe* & *per accidens*; ità iis nunquam *æquipollent*. Longè enim latius ſe diffundit uſus terminorum *per ſe* & *per accidens*. Ut quà non patuit, mox patebit.

V. Ratione indiviſibilitatis ſive Unitatis: Per ſe, eſt quod non habet in eſſentiâ ſuâ plura completa: Per accidens, quod habet.

Ordine *prior* eſt hic *modus* reliquis, quod fundatus ſit, [ut dictum] in *unô*. Eſſe enim *unum*, inter *Attributa Entis* ordine primum, in propatulô eſt. Cæterum, ut revertar ad propoſitum: Poteſt *pluralitas* illa *Completorum*, quà hanc rem noſtram ſe habere *trifariam*. Nenpe [1] *Adjunctivè ſolùm* ſeu ratione *conſociationis*; ejuſque tum *realis* ſive *Cohæſivæ*, κατὰ σύνθεσιν, παράθεσιν &c: tum *habitudinalis* ſive *relativæ*, κατὰ σχέσιν, κίνησιν &c: Quomodò *Per ſe* dicitur quod eſt *ſolitarium*: (Velut cum *prima mentis operatio*, in ſe ſiſtit;) *Per accidens* autem

quod

quod ſe conjungit cum aliô; ut cum *prima* illa *mentis operatio*, tranſit ad *enunciationem*, *ſyllogiſmum &c*: Ità *Theologi*, dicunt *Vocationem Dei Per ſe*, ſemper eſſe *efficacem* & *univerſalem*: Sed *Per Accidens*, [hoc eſt conjunctam cum aliô, nempe incredulitate hominum &c:] interdum eſſe *inefficacem* & *particularem*. Nota: Videndum tamen, *quid uſus ferat*. Etenim appellamus quidem *hominem ſolitarium*, & qui lucem fugit, *per ſe*; ſed non contrà eum *per accidens*, qui familiariter vivit &c: [2] *ſubjectivè*, ſeu ratione *Concretionis*: Quomodò *paronymantia* ſeu *abſtracta*, [albedo, juſtitia &c:] ſunt *Per ſe*; *Paronyma* autem, ſeu *concreta*, [albus juſtus &c:] ſunt *Per accidens*. [3] *Collectivè* ſeu ratione *aggregationis*, tum *ordinatæ*, tum *inordinatæ*: prout *Per ſe*, ſunt Civis, miles, lapis, Iuſtitia habitudinalis &c: *Per accidens* autem Civitas, exercitus, acervus lapidum, Iuſtitia habitualis primæva &c: Fuit enim juſtitia hæc, ſive Imago primi hominis, *harmonia variarum inter ſe mutuò conſentientium facultatum*, & ſic *Aggregatum* quid. ut in confeſſô eſt.

VI. Ratione Totalitatis ſive Exiſtentiæ: Per ſe dicitur, quod non eſt ad aliud naturâ ſuâ ordinatum; Per accidens, quod eſt.

Totum eſt *Modus unionis*, atque eò etiam *unius*. Quò hoc *Entitativum*, rectius poteſt priori ſubijci. *Ordinatio* autem illa *ad aliud*, eſt tum [1] In *afficiendô*: Quomodò omnes ſubſtantiæ ſunt *Per ſe*, ipſa autem accidentia, *Per accidens*: Quià hæc ſolum *ordinata ſunt ad afficiendum*; nempe ſubſtantias, in quarum quaſi gremiò ſinuque vivunt. Eſt ergò *hujus loci* illud *per ſe*, quod vocant *Exiſtendi*, [quomodò nempe *ſubſtantiæ omnes* ſunt *per ſe*,] ſi quidem illud ſine *ſyntheſi*, aut *diæreſi* eſt. Nam ſi concipis *prædicativè*, pertinet non huc quidem; ſed ad *Caput Sequens*: Ubi etiam brevi libertatem illam, quam hactenus, contrà jus faſque, favore errantium uſurpavit, amittet. Tum [2] In *Eſſendô*: Ità non *omnes*; ſed *quædam* ſaltem *Subſtantiæ*, nempe *completæ*, ſeu *tota*, ſunt *Per ſe*: Quædam autem *Per accidens*, nempe *incompletæ*, ſive *partes*, quæ propter complementa *totorum* ſunt. Hanc ergò juxtà ſignificationem; homo, brutum &c: ſunt

ſunt *Per ſe*: ſed *partes* eorum, tum *phyſicæ*, [eſſentiales, integrales;] tum *Logicæ*, [genera, differentiæ,] ſunt *Per accidens*.

VII. Ratione immutabilitatis: Per ſe eſt, quicquid aliter eſſe non poteſt: Per accidens, quod poteſt.

Ità neceſſarium, *Per ſe*, & contingens, *Per accidens*, appellare moris eſt. Sive ea talia fuerint [1] ratione *eſſendi* aut *operandi*: Quomodò ſi omnimodè conſideras, ſolus Deus eſt *per ſe*, & creaturæ omnes *Per accidens*: ſi *reſtrictè* autem non ſolùm Deus, ſed & alia *entitatis* aut *activitatis neceſſariæ*, ſunt *Per ſe*; uti *contingentis*, ſunt *Per accidens*. Hôc ſignificatu, *Per ſe* habemus, dies, noctes, ſolis ortus & occaſus &c: *Per accidens* autem, bella, morbos, diſputationes &c: quod ſint *Contingentia*. Ità *rationale*, reſpicit hominẽ quidem *per ſe*; ſed animal reſpicit nonniſi *per accidens*: quià fieri poteſt, ut hoc non ſit *rationale* &c: ſive [2] ratione *afficiendi*: Quomodò adjuncta, quæ ſubjectum *neceſſariò* afficiunt, ſunt *per ſe*; [velut *propria* relata ad ſubjectum ſuum primarium,] quæ autem ſubjectum non afficiunt niſi τυχόντως, ſunt *per accidens*, [velut ad-

junſta *communia*, & propria, ad ſubjectum ſuum *ſecundarium* relata.] Nam huc referenda eſt illa vulgatiſſima τῶν *per ſe* & *per accidens*, acceptio, [non quidem tamquam *adæquata*, ſed *ſubordinata*] quâ *illud* ſolet attribui *ſubjecto primario*, cui nempe πρώτως aliquid competat: *Hoc*, ſubjecto *ſecundario*, ſeu cui aliquid competat δευτέρως: [Ubi *per accidens*, commutatis verbis etiam benè dicitur κατ' ἄλλο; Quicquid obloquuntur qui pertendunt, *per ſe* hîc opponi τῷ κατ' ἄλλο, & non *per accidens*.] Eſtq; *per ſe*, in hoc ſenſu, propter ſe ipſum ab aliquô denominari; *per accidens* autem denominari ex gratiâ ſeu mutuô alterius.Ità λόγος reſpectu *ſuorum Divinorum idiomatum*, ſe habet *per ſe*; ſed *caro unita*, tantùm *per accidens*. *Spiritus S.* ad *Regenerationem &c:* ſe habet *per ſe*; ſed *verbum* & *ſymbola terrena*, *per accidens*. Quomodò & *lux* ſeu *fulgor*, reſpectu *Solis* eſt *per ſe*: reſpectu autem *Lunæ*, quæ in ſe opaca eſt, *per accidens*. Similìter *per ſe* reſpicit *ſenſibile*, animal, quod eſt πρῶτον ſui δεκτικόν; Sed *hominem* tantùm reſpicit *ſenſibile*, *ſecundariò* ſeu κατ' ἄλλο, & *per accidens*. Quanquam enim *ſenſibile*, eſt neceſſarium homini ratione *eſſentiæ*, tanquam ejus *Differentia remota &c*: tamen non eſt ei neceſſarium ratione *ſub-*

ſubjecti: cum ſecus nihil foret *ſenſibile*, quod non idem *homo*. *Nota*: Interdum, [ſed. rarò] cum *accidens* participatur; *per ſe*, præciſè non ſignat *neceſſarium*: Velut ſi *maritus aliquis* dicitur dives ex bonis ſuis, *per ſe*: Uxor autem indotata, *per accidens*: nempe ex admiſſione ad *mariti bona*.

VIII. Ratione Cauſalitatis: Per ſe, eſt cum cauſa aliquid ex intentione producit.

Nolumus hîc onerare chartas recenſione plurium *enormium* & *monſtroſarum Definitionum*: Quià quid prodeſt diſcere, quæ alii *falſò* opinati ſunt? Eamus potius per *neceſſaria*. Ad *per ſe* hoc *in Cauſandô*, duo debent obſervari. *Unum* eſt *productio* ſeu *influxus*, tamquam aliquod *latius eſſentiale*: *Alterum* eſt *Intentio*, ut quid *adæquatum*. *Productio* ſeu *influxus*, hîc debet eſſe verus; (quià ſecus *nulla cauſa*,) & intelligi, vel à parte *cauſæ*; quatenus *productio* illa eſt in *actu*, [ſive *ſucceſſivô*, ſive *inſtantaneô*,] Ità terminus *per ſe* denominat ſolam *Cauſam Intendentem*: vel à parte *effecti*, poſtquam eadem *productio*, jam eſt in [illegible] *per ſe*, denominat *effectum*

quâ quis ſciens aut volens fertur ad aliquid. Eſt vel *Cognitionis* ſeu *ſcientiæ*, [quæ in *cauſis voluntariis*, dicitur *intellectus*,] vel *appetitionis* ſive *complacentiæ*, [quæ in *iisdem cauſis*, dicitur *voluntatis*.] *Hæc*, [nempe *voluntatis*,] iterum eſt vel *pura* ſive *abſoluta*, quando aliquid expetimus *abſolutè*; vel *mixſta* ſive *conditionata*; quando aliquid expetimus ſub *conditione*: ſicut *qui ſibi metuens à naufragiô merces abÿcit*, *navis levandæ cauſâ*. Quæ quidem *actio*, & ſimiles, quæ ἑκόντι ἀέκοντί γε θυμῷ fiunt, ſi ſpectantur *ante conſultationem*, omninò ſunt *invitæ*, atque ſic *per accidens*: Si autem conſiderantur in *ipſâ conſultatione*, aut *in illô temporis articulô*, *quô fiunt*, ſunt *ſpontaneæ*, atque eô ipſô & *per ſe*. Neque n. *invitum* venire poteſt in *deliberationem*. Cum & tales *actiones* niſi *volentes*, non obimus, [utut ſub *conditione*,] nempe determinandô nos *ad unam partem*: velut in periculô, ad *mercium jacturam*, quò majus malum, minori poſſit redimi &c: Itaque ſic agimus, quià volumus ſic agere. *ICti*, dum tales *actiones* referunt ad *coactas*, faciunt hoc ex *commiſeratione humanæ infirmitatis*; quò eas tantò facilius excuſare poſſint. Cum ſint, ut divi[illegible]cum fiunt, *ſpontaneæ*. Quam[illegible]ſut redeam è diverticulô,]

In-

Intentio cognitionis, utique alia eſſe poſſit ab *intentione appetitionis*, [prout poſſunt ea quæ cognoſcimus, in ſe eſſe aut *theoretica*, aut *mala*, & ſic manere tantùm intrà *facultatem veri & falſi dijudicatricem*, & non terminare *appetitum*,] tamen *Intentionem* hîc cum nomino, intelligo non ſolùm eam quæ ſit *Cognitionis* aut *ſcientiæ*; ſed & quæ ſit *comprobationis* ſive *appetitus*. Ratio eſt: Quià *prior* illa, ſtare poteſt cum *cauſâ per accidens*, & ſic eſſe inepta ad *formale cauſæ per ſe*. Etenim in *coactis* ſeu *involuntariis*, poteſt cauſa *ſcire* hoc quod agit, & tamen agere *per accidens*, & non *per ſe*, eò quod *intendat* aliud, quàm quod aſſequitur. Certè *formæ*, in *monſtris naturæ*, ſeductæ ab *imaginatione*, [quæ per ſpiritus, *vim formatricem* turbat,] *ſcientes*, ſed *invitæ*, foedum ſibi domicilium exſtruunt. Atque *Peccator* in *monſtris animi*, ſæpe & ille *ſciens* ruit contrà Legem & ordinem Divinum, *ſine complacentiâ voluntatis*: juxtà illud quaſi *Renatorum*: *Rom*: vii, 19. ὃ οὐ θέλω κακὸν, τοῦτο πράσσω. *Non-renatorum* autem

—— Video meliora proboque,
Deteriora ſequor &c: Quare nè *formale* τοῦ *per ſe*, cum *formali* τοῦ *per accidens*, confundamus, neceſſe eſt *intentionem* hîc accipiamus, non al-

alterutram, ſed *utramque*. Unô verbô: Eam quæ ſit *appetitus*. Nam hæc ſemper *cognitionem*, anteponit. Ità *Per ſe* hoc, idem ſonat, quod *ſpontaneum* ſeu ἑκούσιον. Cæterùm juvat attendere *intentionis* aliquot *Diſtinctiones*, quę ad rem hanc ſcitu valde neceſſariæ ſunt. Nempe (1) in *Intellectualem*, quę ſit cauſarum voluntariarum; *ſenſualem*, quę ſit cauſarum naturalium ſenſibilium; vel *Naturalem*, quę ſit cauſarum naturalium inſenſibilium. Singula hęc, ſibi convenientem ut *notitiam*, ſic *appetitum* habent: Prout ἀναντιῤῥήτως deprehendimus *per ſe* animam intelligere; apes mella ſtipare; ignem urere &c: Unde cum omnia hęc verè agentia *per ſe* eſſe poſſint; ἀπαιδεύτως ab aliquibus *intentio* ſolis *cauſis liberis*, ſeu *voluntariis* tribuitur. Et cum *Diviſio Efficientis*, in *per ſe* vel *per accidens*, ſit *diviſio Efficientis ut ſic*; debet certè curam habere, omnium in genere *Efficientium*, & non ſolarum *voluntariarum*. Penè autem oblitus fueram monere: *Intentionem intellectualem*, eſſe iterum vel *Spontaneam tantùm*, vel *Electivam* ſive *Proæretivam*. *Illa* eſt in iis, qui ſecus quàm ex *Deliberatione* agunt: quomodò *pueri*, *inſani*, *temerarii*, item *præcipites*, (maximè in *affectibus*, qui ſunt ſubitanei,

nei,vixque ἐφ' ἡμῖν;]& *determinati ad unum aliquid ex naturâ*: Sicut ad edendum & bibendum, fugienda mala &c: de quibus non eſt conſultatio. Aliqui *actiones puerorum*, *inſanorum* & *temerariorum*, omnes referunt ad *cauſam per accidens*. Sed quemadmodum *eædem* cum fiunt *ſine intentione*, ſunt *per accidens*; ità cum fiunt à *volentibus*, hoc eſt; *cum intentione*, ſunt *per ſe*. *Hæc*, nempe *Electiva*, eſt in iis,qui *conſultò* ſive *ex deliberatione* agunt. Etenim *Electio* ſeu προαίρεσις, non eſt niſi *appititio præmeditata finis ſeu boni alicujus*, *per media*, *quæ à nobis fieri poſſunt*.(2)In *Poſitivam*, [quâ quis aliquid *committere*, aut *committendò deficere*, intendit; velut qui in forum pergit, aut ſcortatur &c:] vel *Negativam*, [quâ quis aliquid intendit *omittere*, ad quod faciendum erat obligatus.] Neque enim *Cauſa per ſe*, ſolummodò fit ob *intentionem* in *actum* aut *Defectum commiſſionis*; ſed & in *defectum omiſſionis*, ſeu *ceſſationem ab actu*: quandò ab eô, non debuit ceſſare. Nam ità, qui ſic *ceſſat*, pro conſequentis effectus *cauſâ*, æſtimatur, *per ſe* quidem, ſi *volens*; *per accidens* autem ſi *invitus &c*: Certè cum *Dux Exercitus*, militi circumfuſo hoſte, cum poteſt, non ſuccurrit; fit illius militis ſui cædis, *cauſa per ſe*. Et

quoties aliquis *omittendô* peccat: non dat eleemoſynas, non precatur &c: [3] In *immediatam*, quæ eſt cauſarum intendentium proximarum; vel *mediatam*, ſeu *ſubordinatam*; quę eſt cauſarum earundem remotarum. Neque enim putandum eſt, omnem *intentionem*, mox eſſe *ſine interventu* & *immediatam*; ut hic *Schola* indormiſcit. Quià dantur etiam *cauſæ* plurimæ *remotæ*, quæ agant *per ſe*. Et quæ nunquam agant *per accidens*. Ad quod ſylvę plus erit alibi. Nunc autem patet in univerſum *per ſe* in *Cauſandô* dici, quę ex *intentione* ſeu *producunt aliquid*; ut ſunt omnes *quatuor cauſæ*; ſeu *producta ſunt ab aliquô*; ut ſunt *actus* & *effecta* ab his exeuntia; velut, *formata*, *materiata*, *effecta*, *finita*. Quamquam *Efficienti*, [ut ſequetur] regnum ſit.

IX. Ratione Cauſalitatis: Per accidens eſt cum cauſa aliquid producit ſine intentione.

Per accidens ratione *Cauſalitatis*, ſumitur *variè*: [1] *impropriè*: quando res aliquô modô fluit ab eô, cui *per accidens* tribuitur; quamquam non ut *cauſâ*, verum ut

oc-

occaſione, aut *conditione*, [quam appellare ſolent *removens prohibens &c:*] Ità *per accidens*, dicuntur fieri *bonæ leges à malis moribus*: *furta ab aſpectu pecuniæ malè cuſtoditæ: homicidia*, *latrocinia* &c: à *nocte illuni*, tamquam ἀφορμαῖς. Similiter, dicitur, *acceptio bonorum operum eſſe à promiſſione Dei*; *Converſio ab homine non opponente repugnantiam*; *refrigeratio aquæ calefactæ*, *à remotione ejusdem ab igne* &c: tanquam à *conditione ſine quâ non*, & non *cauſâ*. Homine certè *repugnantiam* tanquam obicem removente; hoc eſt; *paſſivè* admittente ſpiritum, tam *aliunde* ſequitur *converſio*, quàm ſequuntur, *ſole auferente lumen*, (tanquam & illud *prohibens &c:*) *tenebræ*. [2] *Magis improprie*: Quando *res denominans per accidens*, fit quidem à *denominatô*, tanquam *cauſâ*; ſed eâ, quę eſt *cauſæ per accidens*, oppoſita, ſeu *per ſe*. Ità *uſus* fert dicere: *Per accidens* eſſe *ſanitatem à Medicinâ*; *Calefactionem à ſole &c*: quæ tamen potius dicenda eſſent *per ſe*. Habent enim hæc effecta, *neceſſariam* atque *immutabilem* colligationem, cum *effectô præcedente*, & ſic habent ſe juxtà *Poriſm. 4. hujus*. *Neceſſariò* enim *Sol*, (ignes in aerem extrahendô) *calefacit*, atque ſanat *Medicina*: Puta quâ eſt *Medicina*, & non potius talis tantùm κατὰ δόξαν, ſeu

ſeu *intempeſtiva* &c: *Deinde* verò etiam *ſanitas*, quà debet eſſe talis, ſecundum leges *Fati*. Nam in *naturaliter morituro*, ſanitas amplius non debet eſſe. Quare non ceſſat magis tum agere neceſſariò *Medicina*, quàm non ceſſat homo *neceſſariò* nunc habere *dies*, *noctes*, &c: quod hæc ſuô tempore deficient. [3] *Impropriiſſimé*. Quandò *res denominans per accidens*, nullô modo fit à *denominatô*, fundatâ tamen *denominatione* in aliqua *conjunctione*, itâ ut illud dicatur eſſe *cauſa*, quod ſimul adeſt cum *verâ cauſâ*. Idque *ratione*, vel (primó) *Temporis*: velut ſi *noctua* dicitur *cauſa* mortis alicujus *per accidens*, quod eo ipſo tempore, quô hæc venit in tectum, ille exſpirarit; Aut quis *Cauſa per accidens* Cometæ, qui ſe nato, primum fulſit &c: vel (ſecundó,) *Subjecti*: Ità *ædificatio* vulgò dicitur eſſe à *Muſicô per accidens*, quatenus hic eſt unà *Architectus*; (qvum non ædificet *Muſicus quà Muſicus*;) *edulcatio* ab *albo*; *Ars pingendi* à *Medico*, à *Philoſophô* &c: vel (tertiò) *Effecti*: Quomodo *per accidens*, dicitur eſſe, *peccatum* reſpectu *Dei*; *Mors* reſpectu *Evangelii*; *Ira* reſpectu *Legis* &c; quatenus *effectis Optimis Dei, Legis*, atque *Evangelii*, &c: talia accidunt ex eventu,

ſine

ſine *influxus culpâ*, imò *ſuſpicione*. Nam *Nos* talia, ad *æquivocè cauſantia* referimus, tantùm ex *conſvetudine*; quod ità ſoleant facere *Alii*: Cum non debere, ſuô locô, *ex profeſſô* atque ſeriò oſtendimus. Vel [quartô;] ſicut *theſis* habet. In *eâ*, duo ad *illud* requiſivimus; *productionem* nempe, ſeu *influxum*, qui eſt illi communis cum *cauſâ per ſe*; & *intentionis negationem*, quæ eſt illi ſoli propria. *Productio* prorſus eô ſenſu hîc recurrit, quô in *per ſe*: eſtque & hîc à parte *cauſæ* & *effectus* ſimul, intelligenda. Quare eandem ei ceruſſam, hîc iteratò non inungimus. *Influxu* ſeu *productione* opus eſt; quià *per accidens*, hîc non opponitur *cauſæ*, ſed huic *cauſæ*, nempe *per ſe*. Ut in meridie cæcutiant, qui eam, civitate *cauſarum* exterminant: Cum tot *effecta fortuita*, præ oculis ſint, quæ neceſſariò ad aliquas *cauſas*, atque eas non alius quàm *ſui generis*, hoc eſt; *per accidens*, ſpectent & pertineant. Nam ut quæ *per accidens* fiunt aut faciunt, etiam illa fiunt aut faciunt; ità *effectum per accidens*, [ſicut omnia alia effecta] non poteſt determinari, niſi à *cauſâ* ſuâ *proximâ*; quæ hic alia non occurrit quàm *per accidens*. Unum addo: *Influxum hunc per accidens*, *non competere omnibus cauſis*, ſicut evenit in *cauſâ per ſe*. Nam habemus quidem [primò]

For-

Formas per accidens; Non ſolùm quatenus hæ ſunt *efficientes*, atque velut *cauſæ per emanationem*, compoſitum, aut in eô aliquid, producunt; ſed & quà ſunt *veræ formæ*, atque ut *internum* quid, compoſitum informant. Nom non rarò illud ipſum informatum compoſitũ eſt *monſtrum*. Atqui verò, ſicut *natura* ſemper perfectiſſimum in genere ſuô intendit; ità intendit etiam, [quæ eſt *principaliſſima naturæ pars*,] *forma*. Ergò, quoties *forma* in *monſtris*, tanquam in *hoſpitio*, aut *alienô*, aut *deformi*, ſedet, certè ſedet *præter intentionem*; & ſic etiam informat ea *per accidens*. Habemus [ſecundò] *Materias per accidens*. Imò eas fœcundiores *formis*. Nam non ſolùm illæ hoſpitantur in *parergis naturæ*, uti *formæ*; [nempe *materia* illic æquè improbat hoc quod *παρὰ φύσιν* eſt, ac *forma*;] ſed & paſſim in *Concretis Artis*: Ubi ferè *formæ* ſequuntur *intentionem Artificis*, atque ità ſunt *perſe*. *Materia* mehercle, quandò ſubjacet *ideis practicis*, non poteſt pati cum *intentione*; quippe quam unam habet ad ſuam *ſpeciem*, tanquam ejus *quid eſſentiale*, & non ad *Artis ὁμοιώματα*. Quæ cum ſecundum *ideam menti Practici inhærentem* fiunt; *materia* ad illam tanquam ſibi *incognitam*, non poteſt ferri *appetitu aliquô*; poſtquam *ignoti* *nul-*

nulla ſit cupido. Fertur ergò *inſcia*, atque ſic habet ſe *per accidens*. Id quod erat oſtendendum. Atq; ità habemus *materias per accidens*, in *monſtris mundi hujus animalis*, *vegetabilis &c:* ſed & in *omnibus artefactis.* Habemus [tertiò]. *Efficientes per accidens*: Et quidem eas, *omnium numeroſiſſimas.* Sicut rectè colligit *Stagirita*, 2 Phyſic: t. 50, 54. Nam quanquam *materiæ per accidens* dantur, ubi non dantur *Efficientes per accidens*, [nempe in ἔργῳ, quod *intendit* artifex, *materia Poetica*, eſt *per accidens*; & *artifex intendens*, eſt *per ſe &c:*] tamen errores *Efficientium*, [maximè *voluntariarum*,] ſic ſunt crebri, ut *materiis* palmam non modò dubiam faciant, [ſi quidem palma poſita eſt errori,] ſed & non obſcurè, præripiant. Nam & hæc, [inter *alia*] cauſa eſt, quod Sapientiæ Antiſtites, *effecta per accidens* penſitarint, in ſolâ *Efficiente*, & non *aliis Cauſis*: referendô ea nimirum vel ad *Fortunam*, vel ad *Caſum.* Quartó: *Fines per accidens*, non habemus. Ratio eſt: Quià ſic *moverent ſine intentione.* Quod eſt *abſonum* & contrà *principia.* Nam quoties *finis vim cauſandi* ſuam exſerit; hoc eſt, *movet Efficientem ſpe venturi amabilis*, *&c*: toties etiam non poteſt non *intendere* illud, quod ſic offert *Efficienti*; quià ſecus non hoc eſſet, quod eſt. Nempe

pe Finis. Etenim ubi nulla *intentio*, nulla *motio*; ubi nulla *motio*, nullus *Finis*; ubi nullus *Finis*, neque *Finis per accidens*. Taceo, quod cum *cauſa per accidens*, aut non ſciat actionem ſuam, aut eâ ſaltem *non delectetur*; *Finis* autem fiat *finis* eô, quô [ſicut dictum] *movet Efficientem &c*: non poſſit fieri, ut non *Finis* & cognoſcatur & ametur ab *Efficiente*; & reciprocè, *Efficiens* à *Fine*. Quomodò iterum *Finis* non poteſt eſſe *per accidens*. Effectorum ergò *per accidens*, *eventum*, ſivè *conſequens* habere poſſumus, ſed non *Finem &c*: Deinde: In *Cauſâ per accidens*, requiritur ut *influxus* ejus, non ſit *intentus*. id quod ſit cum *Principium agendi*, eſt *invitum* ſeu *ἀκούσιον*. Hoc eſt: vel [1] *ignarum actionis ſuæ*, [cui opponitur *intendens* ſimul & ex *cognitione*, & ex *appetitu*:] Ità *per accidens*, ſe habent, *Noachus* [neſciens vim vini Armeniaci,] *ad ebrietatem*; Gen: IX, 20. 21. *Paulus ad conviciandum Magiſtratui*, Act: XXIII, 3, 5. Item *Neſciens* [ex pravâ διαθέσει.] *legem* Deut: XXII, 8. tecto ſuo loricam non apponit, & ſic *fit cauſa reatus ſanguinis, ſi quis ex eô cadens, interierit*: *Piſcatores Mileſii, ad inventionem aurei tripodis* &c: vel [2] *Coactum* ſive *Violentum*, [quæ hîc nobis ſunt *Synonyma*,] nempe, quod eſt *purè tale*, & *ſub*

ſub nullâ conditione, cupit effectum; nam quod ſub *aliquâ*, eſt *per ſe*, ut ſuprà. [Huic opponitur *intendens* ſolùm *ex appetitu*.] Quomodò *per accidens*, *Lucretia ſuccumbit Tarquinio*; *Socrates cicutam bibit*; *Pater ruendô*, *filium opprimit*; *fur in carcerem abit*; Item; Cum *nauta coactus emanet è navi ſuâ*, & ſic *fit cauſa per accidens*, *quod ſubmergatur &c.* vel [3] Et *ignarum & Coactum*: Quâ ratione; *grave tendit in ſum*; *Leve deorſum*; *Sol ſubſiſtit*; *ferrum natat &c.* [*præter naturam uſurpata à primâ cauſâ*:] Ad quæ non eſt *ſcientia aut appetitus*, niſi *externus*, *Motoris*, *aut Thaumaturgi*.

x. Cauſa per accidens eſt duplex, fortuna, vel caſus. Fortuna, eſt cauſa per accidens agentium voluntariorum: Caſus, eſt cauſa per accidens agentium naturalium.

Genus itaque ſeu *conceptus Convenientiæ*, cauſæ hujus utriuſque, eſt *cauſa per accidens*. Quatenus nempe utraque producit aliquid *ſinè intentione*. Ità *Deus* hîc excipitur: Cujus Providentia ſic eſt occulata, ut quæ agit omnia, exquiſitè & *cognoſcat*, & *deſideret*. *Sors* & *Caſus*, imprudentiæ & impotentiæ, hoc eſt; imperfectionis, ſunt voca-

VI. Ratione Totalitatis ſive Exiſtentiæ: Per ſe dicitur, quod non eſt ad aliud naturâ ſuâ ordinatum; Per accidens, quod eſt.

Totum eſt *Modus unionis*, atque eò etiam *unius*. Quò hoc *Entitativum*, rectius poteſt priori ſubijci. *Ordinatio* autem illa *ad aliud*, eſt tum [1] In *afficiendô*: Quomodò omnes ſubſtantiæ ſunt *Per ſe*, ipſa autem accidentia, *Per accidens*: Quià hæc ſolum *ordinata ſunt ad afficiendum*; nempe ſubſtantias, in quarum quaſi gremiò ſinuque vivunt. Eſt ergò *hujus loci* illud *per ſe*, quod vocant *Exiſtendi*, [quomodò nempe *ſubſtantiæ omnes* ſunt *per ſe*,] ſi quidem illud ſine *ſyntheſi*, aut *diæreſi* eſt. Nam ſi concipis *prædicativè*, pertinet non huc quidem; ſed ad *Caput Sequens*: Ubi etiam brevi libertatem illam, quam hactenus, contrà jus faſque, favore errantium uſurpavit, amittet. Tum [2] In *Eſſendô*: Ità non *omnes*; ſed *quædam* ſaltem *Subſtantiæ*, nempe *completæ*, ſeu *tota*, ſunt *Per ſe*. Quædam autem *Per accidens*, nempe *incompletæ*, ſive *partes*, quæ propter complementa *totorum* ſunt. Hanc ergò juxtà ſignificationem; homo, brutum &c: ſunt

ſunt *Per ſe*: ſed *partes* eorum, tum *phyſicæ*, [eſſentiales, integrales;] tum *Logicæ*, [genera, differentiæ,] ſunt *Per accidens*.

VII. Ratione immutabilitatis: Per ſe eſt, quicquid aliter eſſe non poteſt: Per accidens, quod poteſt.

Ità neceſſarium, *Per ſe*, & contingens, *Per accidens*, appellare moris eſt. Sive ea talia fuerint [1] ratione *eſſendi* aut *operandi*: Quomodò ſi omnimodè conſideras, ſolus Deus eſt *per ſe*, & creaturæ omnes *Per accidens*: ſi *reſtrictè* autem non ſolùm Deus, ſed & alia *entitatis* aut *activitatis neceſſariæ*, ſunt *Per ſe*; uti *contingentis*, ſunt *Per accidens*. Hôc ſignificatu, *Per ſe* habemus, dies, noctes, ſolis ortus & occaſus &c: *Per accidens* autem, bella, morbos, diſputationes &c: quod ſint *Contingentia*. Ità *rationale*, reſpicit hominē quidem *per ſe*; ſed animal reſpicit nonniſi *per accidens*: quiâ fieri poteſt, ut hoc non ſit *rationale* &c: ſive [2] ratione *afficiendi*: Quomodò adjuncta, quæ ſubjectum *neceſſariò* afficiunt, ſunt *per ſe*; [velut *propria* relata ad ſubjectum ſuum primarium,] quæ autem ſubjectum non afficiunt niſi τυχόντως, ſunt *per accidens*, [velut adjun-

junčta *communia*, & propria, ad ſubječtum ſuum *ſecundarium* relata.] Nam huc referenda eſt illa vulgatiſſima τῶν *per ſe* & *per accidens*, acceptio, [non quidem tamquam *adæquata*, ſed *ſubordinata*] quâ *illud* ſolet attribui *ſubječto primario*, cui nempe πρώτως aliquid competat: *Hoc*, ſubječto *ſecundario*, ſeu cui aliquid competat δευτέρως: [Ubi *per accidens*, commutatis verbis etiam benè dicitur κατ' ἄλλο; Quicquid obloquuntur qui pertendunt, *per ſe* hîc opponi τῷ κατ' ἄλλο, & non *per accidens*.] Eſtq; *per ſe*, in hoc ſenſu, propter ſe ipſum ab aliquò denominari; *per accidens* autem denominari ex gratiâ ſeu mutuô alterius. Ità λόγος reſpečtu *ſuorum Divinorum idiomatum*, ſe habet *per ſe*; ſed *caro unita*, tantùm *per accidens*. *Spiritus S.* ad *Regenerationem &c:* ſe habet *per ſe*; ſed *verbum* & *ſymbola terrena*, *per accidens*. Quomodò & *lux* ſeu *fulgor*, reſpečtu *Solis* eſt *per ſe*: reſpečtu autem *Lunæ*, quæ in ſe opaca eſt, *per accidens*. Similiter *per ſe* reſpicit *ſenſibile*, animal, quod eſt πρῶτον ſui δεκτικόν; Sed *hominem* tantùm reſpicit *ſenſibile*, *ſecundariò* ſeu κατ' ἄλλο, & *per accidens*. Quanquam enim *ſenſibile*, eſt neceſſarium homini ratione *eſſentiæ*, tanquam ejus *Differentia remota &c:* tamen non eſt ei neceſſarium ratione

ſub-

ſubjecti: cum ſecus nihil foret *ſenſibile*, quod non idem *homo*. *Nota*: Interdum, [ſed raró] cum *accidens* participatur; *per ſe*, præciſè non ſignat *neceſſarium*: Velut ſi *maritus aliquis* dicitur dives ex bonis ſuis, *per ſe*: Uxor autem indotata, *per accidens*; nempe ex admiſſione ad *mariti bona*.

VIII. Ratione Cauſalitatis: Per ſe, eſt cum cauſa aliquid ex intentione producit.

Nolumus hîc onerare chartas recenſione plurium *enormium* & *monſtroſarum Definitionum*: Quià quid prodeſt diſcere, quæ alii *falſò* opinati ſunt? Eamus potius per *neceſſaria*. Ad *per ſe* hoc *in Cauſandô*, duo debent obſervari. *Unum* eſt *productio* ſeu *influxus*, tamquam aliquod *latius eſſentiale*: *Alterum* eſt *Intentio*, ut quid *adæquatum*. *Productio* ſeu *influxus*, hîc debet eſſe verus; (quià ſecus *nulla cauſa*,) & intelligi, vel à parte *cauſæ*; quatenus *productio* illa eſt in *actu*, [ſive *ſucceſſivô*, ſive *inſtantaneô*,] Ità terminus *per ſe* denominat ſolam *Cauſam Intendentem*: vel à parte *effecti*, poſtquam eadem *productio*, jam eſt in *termin*[illegible] *per ſe*, denominat *effectum*[illegible]

quâ quis ſciens aut volens fertur ad aliquid. Eſt vel *Cognitionis* ſeu *ſcientiæ*, [quæ in *cauſis voluntariis*, dicitur *intellectus*,] vel *appetitionis* ſive *complacentiæ*, [quæ in *iisdem cauſis*, dicitur *voluntatis*.] *Hæc*, [nempe *voluntatis*,] iterum eſt vel *pura* ſive *abſoluta*, quando aliquid expetimus *abſolutè*; vel *mixſta* ſive *conditionata*; quando aliquid expetimus ſub *conditione*: ſicut *qui ſibi metuens à naufragiô merces abÿcit*, *navis levandæ cauſâ*. Quæ quidem *actio*, & ſimiles, quæ ἑκόντι ἀέκοντί γε θυμῷ fiunt, ſi ſpectantur *ante conſultationem*, omninò ſunt *invitæ*, atque ſic *per accidens*: Si autem conſiderantur in *ipſâ conſultatione*, aut *in illô temporis articulô*, *quô fiunt*, ſunt *ſpontaneæ*, atque eô ipſô & *per ſe*. Neque n. *invitum* venire poteſt in *deliberationem*. Cum & tales *actiones* niſi *volentes*, non obimus, [utut ſub *conditione*,] nempe determinandô nos *ad unam partem*: velut in periculô, ad *mercium jacturam*, quò majus malum, minori posſit redimi &c: Itaque ſic agimus, quià volumus ſic agere. *ICti*, dum tales *actiones* referunt ad *coactas*, faciunt hoc ex *commiſeratione humanæ infirmitatis*; quò eas tantò facilius excuſare poſſint. Cum ſint, ut divi[illegible]cum fiunt, *ſpontaneæ*. Quam[illegible]ſur redeam è diverticulô,]

In-

Intentio cognitionis, utique alia eſſe poſſit ab *intentione appetitionis*, [prout poſſunt ea quæ cognoſcimus, in ſe eſſe aut *theoretica*, aut *mala*, & ſic manere tantùm intrà *facultatem Veri & falſi dijudicatricem*, & non terminare *appetitum*,] tamen *Intentionem* hîc cum nomino, intelligo non ſolùm eam quæ ſit *Cognitionis* aut *ſcientiæ*; ſed & quæ ſit *comprobationis* ſive *appetitus*. Ratio eſt: Quià *prior* illa, ſtare poteſt cum *cauſâ per accidens*, & ſic eſſe inepta ad *formale cauſæ per ſe*. Etenim in *coactis* ſeu *involuntariis*, poteſt cauſa *ſcire* hoc quod agit, & tamen agere *per accidens*, & non *per ſe*, eò quod *intendat* aliud, quàm quod aſſequitur. Certè *formæ*, in *monſtris naturæ*, ſeductæ ab *imaginatione*, [quæ per ſpiritus, *vim formatricem* turbat,] *ſcientes*, ſed *invitæ*, foedum ſibi domicilium exſtruunt. Atque *Peccator* in *monſtris animi*, ſæpe & ille *ſciens* ruit contrà Legem & ordinem Divinum, *ſine complacentiâ voluntatis*: juxtà illud quaſi *Renatorum*: *Rom*: VII, 19. ὃ οὐ θέλω κακὸν, τοῦτο πράσσω. *Non-renatorum* autem

——— *Video meliora proboque*,
Deteriora ſequor &c: Quare nè *formale τοῦ per ſe*, cum *formali τοῦ per accidens*, confundamus, neceſſe eſt *intentionem* hîc accipiamus, non

alterutram, ſed *utramque*. Unô verbô: Eam quæ ſit *appetitus*. Nam hæc ſemper *cognitionem*, anteponit. Ità *Per ſe* hoc, idem ſonat, quod *ſpontaneum* ſeu ἑκούσιον. Cæterùm juvat attendere *intentionis* aliquot *Diſtinctiones*, quę ad rem hanc ſcitu valde neceſſariæ ſunt. Nempe (1) in *Intellectualem*, quę ſit cauſarum voluntariarum; *ſenſualem*, quę ſit cauſarum naturalium ſenſibilium; vel *Naturalem*, quę ſit cauſarum naturalium inſenſibilium. Singula hęc, ſibi convenientem ut *notitiam*, ſic *appetitum* habent: Prout ἀναντιῤῥήτως deprehendimus *per ſe* animam intelligere; apes mella ſtipare; ignem urere &c: Unde cum omnia hęc verè agentia *per ſe* eſſe poſſint; ἀπαιδεύτως ab aliquibus *intentio* ſolis *cauſis liberis*, ſeu *voluntariis* tribuitur. Et cum *Diviſio Efficientis*, in *per ſe* vel *per accidens*, ſit *diviſio Efficientis ut ſic*; debet certè curam habere, omnium in genere *Efficientium*, & non ſolarum *voluntariorum*. Penè autem oblitus fueram monere: *Intentionem intellectualem*, eſſe iterum vel *Spontaneam tantùm*, vel *Electivam* ſive *Proæretivam*. *Illa* eſt in iis, qui ſecus quàm ex *Deliberatione* agunt: quomodò *pueri*, *inſani*, *temerarii*, item *præcipites*, (maximè in *affectibus*, qui ſunt ſubita-

nei,

nei, vixque ἐφ' ἡμῖν;] & *determinati ad unum aliquid ex naturâ*: Sicut ad edendum & bibendum, fugienda mala &c: de quibus non eſt conſultatio. Aliqui *actiones puerorum*, *inſanorum* & *temerariorum*, omnes referunt ad *cauſam per accidens*. Sed quemadmodum *eædem* cum fiunt *ſine intentione*, ſunt *per accidens*; ità cum fiunt à *volentibus*, hoc eſt; *cum intentione*, ſunt *per ſe*. *Hæc*, nempe *Electiva*, eſt in iis, qui *conſultò* ſive *ex deliberatione* agunt. Etenim *Electio* ſeu προαίρεσις, non eſt niſi *appititio præmeditata finis ſeu boni alicujus, per media, quæ à nobis fieri poſſunt.* (2) *In Poſitivam*, [quâ quis aliquid *committere*, aut *committendò deficere*, intendit; velut qui in forum pergit, aut ſcortatur &c:] vel *Negativam*, [quâ quis aliquid intendit *omittere*, ad quod faciendum erat obligatus.] Neque enim *Cauſa per ſe*, ſolummodò fit ob *intentionem* in *actum* aut *Defectum commiſſionis*; ſed & in *defectum omiſſionis*, ſeu *ceſſationem ab actu*: quandò ab eô, non debuit ceſſare. Nam ità, qui ſic *ceſſat*, pro conſequentis effectus *cauſâ*, æſtimatur, *per ſe* quidem, ſi *volens*; *per accidens* autem ſi *invitus* &c: Certè cum *Dux Exercitus*, militi circumfuſo hoſte, cum poteſt, non ſuccurrit; fit illius militis ſui cædis, *cauſa per ſe*. Et

quoties aliquis *omittendô* peccat: non dat eleemoſynas, non precatur &c: [3] In *immediatam*, quæ eſt cauſarum intendentium proximarum; vel *mediatam*; ſeu *ſubordinatam*; quę eſt cauſarum earundem remotarum. Neque enim putandum eſt, omnem *intentionem*, mox eſſe *ſine interventu* & *immediatam*; ut hic *Schola* indormiſcit. Quià dantur etiam *cauſæ* plurimæ *remotæ*, quæ agant *per ſe*. Et quæ nunquam agant *per accidens*. Ad quod ſylvę plus erit alibi. Nunc autem patet in univerſum *per ſe* in *Cauſandô* dici, quę ex *intentione* ſeu *producunt aliquid*; ut ſunt omnes *quatuor cauſæ*; ſeu *producta ſunt ab aliquô*; ut ſunt *actus* & *effecta* ab his exeuntia; velut, *formata*, *materiata*, *effecta*, *finita*. Quamquam *Efficienti*, [ut ſequetur] regnum ſit.

IX. Ratione Cauſalitatis: Per accidens eſt cum cauſa aliquid producit ſine intentione.

Per accidens ratione *Cauſalitatis*, ſumitur *variè*: [1] *impropriè*: quando res aliquô modô fluit ab eô, cui *per accidens* tribuitur; quamquam non ut *cauſâ*, verum ut

occaſione, aut *conditione*, [quam appellare ſolent *removens prohibens &c:*] Ità *per accidens*, dicuntur fieri *bonæ leges à malis moribus*: *furta ab aſpectu pecuniæ malè cuſtoditæ*: *homicidia*, *latrocinia* &c: à *nocte illuni*, tamquam ἀφορμῆς. Similiter, dicitur, *acceptio bonorum operum eſſe à promiſſione Dei*; *Converſio ab homine non opponente repugnantiam*; *refrigeratio aquæ calefactæ*, *à remotione ejusdem ab igne* &c: tanquam à *conditione ſine quâ non*, & non *cauſâ*. Homine certè *repugnantiam* tanquam obicem removente; hoc eſt; *paſſivè* admittente ſpiritum, tam *aliunde* ſequitur *converſio*, quàm ſequuntur, *ſole auferente lumen*, (tanquam & illud *prohibens &c:*) *tenebræ*. [2] *Magis impropriè*: Quando *res denominans per accidens*, fit quidem à *denominatô*, tanquam *cauſâ*; ſed eâ, quę eſt *cauſæ per accidens*, oppoſita, ſeu *per ſe*. Ità *uſus* fert dicere: *Per accidens* eſſe *ſanitatem à Medicinâ*; *Calefactionem à ſole &c*: quæ tamen potius dicenda eſſent *per ſe*. Habent enim hæc effecta, *neceſſariam* atque *immutabilem* colligationem, cum *effectô præcedente*, & ſic habent ſe juxtà *Poriſm. 4. hujus*. *Neceſſariò* enim *Sol*, (ignes in aerem extrahendô) *calefacit*, atque ſanat *Medicina*: Puta quâ eſt *Medicina*, & non potius talis tantùm κατὰ δόξαν, ſeu

ſeu *intempeſtiva* &c: *Deinde* verò etiam *ſanitas*, quà debet eſſe talis, ſecundum leges *Fati*. Nam in *naturaliter moriturô*, ſanitas amplius non debet eſſe. Quare non ceſſat magis tum agere neceſſariò *Medicina*, quàm non ceſſat homo *neceſſariò* nunc habere *dies*, *noctes*, &c: quod hæc ſuô tempore deficient. [3] *Impropriiſſimé*. Quandò *res denominans per accidens*, nullô modo fit à *denominatô*, fundatâ tamen *denominatione* in aliqua *conjunctione*, itâ ut illud dicatur eſſe *cauſa*, quod ſimul adeſt cum *verâ cauſâ*. Idque *ratione*, vel (primó) *Temporis*: velut ſi *noctua* dicitur *cauſa* mortis alicujus *per accidens*, quod eo ipſo tempore, quô hæc venit in tectum, ille exſpirarit; Aut quis *Cauſa per accidens* Cometæ, qui ſe nato, primum fulſit &c: vel (ſecundó,) *Subjecti*: Itâ *ædificatio* vulgò dicitur eſſe à *Muſicô per accidens*, quatenus hic eſt unà *Architectus*; (qvum non ædificet *Muſicus quà Muſicus*;) *edulcatio* ab *albo*; *Ars pingendi* à *Medico*, à *Philoſophô* &c: vel (tertiò) *Effecti*: Quomodo *per accidens*, dicitur eſſe, *peccatum* reſpectu *Dei*; *Mors* reſpectu *Evangelii*; *Ira* reſpectu *Legis* &c; quatenus *effectis Optimis Dei, Legis*, atque *Evangelii*, &c: talia accidunt ex eventu, ſine

ſine *influxus culpâ*, imò *ſuſpicione*. Nam *Nos* talia, ad *æquivocè cauſantia* referimus, tantùm ex *conſvetudine*; quod ità ſoleant facere *Alii*: Cum non debere, ſuô locô, *ex profeſſô* atque ſeriò oſtendimus. Vel [quartô;] ficut *theſis* habet. In *eâ*, duo ad *illud* requiſivimus; *productionem* nempe, ſeu *influxum*, qui eſt illi communis cum *cauſâ per ſe*; & *intentionis negationem*, quæ eſt illi ſoli propria. *Productio* prorſus eô ſenſu hîc recurrit, quô in *per ſe*: eſtque & hîc à parte *cauſæ* & *effectus* ſimul, intelligenda. Quare eandem ei ceruſſam, hîc iteratò non inungimus. *Influxu* ſeu *productione* opus eſt; quià *per accidens*, hîc non opponitur *cauſæ*, ſed huic *cauſæ*, nempe *per ſe*. Ut in meridie cæcutiant, qui eam, civitate *cauſarum* exterminant: Cum tot *effecta fortuita*, præ oculis ſint, quæ neceſſariò ad aliquas *cauſas*, atque eas non alius quàm *ſui generis*, hoc eſt; *per accidens*, ſpectent & pertineant. Nam ut quæ *per accidens* fiunt aut faciunt, etiam illa fiunt aut faciunt; ità *effectum per accidens*, [ſicut omnia alia effecta] non poteſt determinari, niſi à *cauſâ* ſuâ *proximâ*; quæ hic alia non occurrit quàm *per accidens*. Unum addo: *Influxum hunc per accidens, non competere omnibus cauſis*, ſicut evenit in *cauſâ per ſe*. Nam habemus quidem [primò]

For-

Formas per accidens; Non ſolùm quatenus hæ ſunt *efficientes*, atque velut *cauſæ per emanationem*, compoſitum, aut in eô aliquid, producunt; ſed & quà ſunt *veræ formæ*, atque ut *internum* quid, compoſitum informant. Nom non rarò illud ipſum informatum compoſitũ eſt *monſtrum*. Atqui verò, ſicut *natura* ſemper perfectiſſimum in genere ſuô intendit; ità intendit etiam, [quæ eſt *principaliſſima naturæ pars*,] *forma*. Ergò, quoties *forma* in *monſtris*, tanquam in *hoſpitio*, aut *alienô*, aut *deformi*, ſedet, certè ſedet *præter intentionem*; & ſic etiam informat ea *per accidens*. Habemus [ſecundò] *Materias per accidens*. Imò eas fœcundiores *formis*. Nam non ſolùm illæ hoſpitantur in *parergis naturæ*, uti *formæ*; [nempe *materia* illic æquè improbat hoc quod *παρὰ φύσιν* eſt, ac *forma*;] ſed & paſſim in *Concretis Artis*: Ubi ferè *formæ* ſequuntur *intentionem Artificis*, atque ità ſunt *per ſe*. *Materia* mehercle, quandò ſubjacet *ideis practicis*, non poteſt pati cum *intentione*; quippe quam unam habet ad ſuam *ſpeciem*, tanquam ejus *quid eſſentiale*, & non ad *Artis ὁμοιώματα*. Quæ cum ſecundum *ideam menti Practici inhærentem* fiunt; *materia* ad illam tanquam ſibi *incognitam*, non poteſt ferri *appetitu aliquô*; poſtquam *ignoti nul-*

nulla ſit cupido. Fertur ergò *inſcia*, atque ſic habet ſe *per accidens*. Id quod erat oſtendendum. Atq; ità habemus *materias per accidens*, in *monſtris mundi hujus animalis*, *vegetabilis &c:* ſed & in *omnibus artefactis*. Habemus [tertiò] *Efficientes per accidens*: Et quidem eas, *omnium numeroſiſſimas*. Sicut rectè colligit *Stagirita*, 2 Phyſic: t. 50, 54. *Nam* quanquam *materiæ per accidens* dantur, ubi non dantur *Efficientes per accidens*, [nempe in ἔργῳ, quod *intendit* artifex, *materia Poetica*, eſt *per accidens*; & *artifex intendens*, eſt *per ſe &c:*] tamen errores *Efficientium*, [maximè *voluntariarum*,] ſic ſunt crebri, ut *materiis* palmam non modò dubiam faciant, [ſi quidem palma poſita eſt errori,] ſed & non obſcurè, præripiant. Nam & hæc, [inter *alia*] cauſa eſt, quod Sapientiæ Antiſtites, *effecta per accidens* penſitarint, in ſolâ *Efficiente*, & non *aliis Cauſis*: referendô ea nimirum vel ad *Fortunam*, vel ad *Caſum*. Quartó: *Fines per accidens*, non habemus. Ratio eſt: Quià ſic *moverent ſine intentione*. Quod eſt *abſonum* & contrà *principia*. Nam quoties *finis vim cauſandi* ſuam exſerit; hoc eſt, *movet Efficientem ſpe venturi amabilis*, *&c*: toties etiam non poteſt non *intendere* illud, quod ſic offert *Efficienti*; quià ſecus non hoc eſſet, quod eſt. Nempe

pe Finis. Etenim ubi nulla *intentio*, nulla *motio*; ubi nulla *motio*, nullus *Finis*; ubi nullus *Finis*, neque *Finis per accidens*. Taceo, quod cum *cauſa per accidens*, aut non ſciat actionem ſuam, aut eâ ſaltem *non delectetur*; *Finis* autem fiat *finis* eô, quô [ſicut dictum] *movet Efficientem &c*: non poſſit fieri, ut non *Finis* & cognoſcatur & ametur ab *Efficiente*; & reciprocè, *Efficiens* à *Fine*. Quomodò iterum *Finis* non poteſt eſſe *per accidens*. Effectorum ergò *per accidens*, *eventum*, ſivè *conſequens* habere poſſumus, ſed non *Finem &c*: Deinde: In *Cauſâ per accidens*, requiritur ut *influxus* ejus, non ſit *intentus*. id quod fit cum *Principium agendi*, eſt *invitum* ſeu ἀκούσιον. Hoc eſt: vel [1] *ignarum actionis ſuæ*, [cui opponitur *intendens* ſimul & ex *cognitione*, & ex *appetitu*:] Ità *per accidens*, ſe habent, *Noachus* [neſciens vim vini Armeniaci,] *ad ebrietatem*; Gen: *IX*, 20. 21. *Paulus ad conviciandum Magiſtratui*, Act: *XXIII*, 3. 5. Item *Neſciens* [ex pravâ διαθέσει.] *legem* Deut: *XXII*, 8. tecto ſuo loricam non apponit, & ſic *fit cauſa reatus ſanguinis, ſi quis ex eô cadens, interierit*: *Piſcatores Mileſii, ad inventionem aurei tripodis* &c: vel [2] *Coactum* ſive *Violentum*, [quæ hîc nobis ſunt *Synonyma*,] nempe, quod eſt *purè tale*, & *ſub*

ſub nullâ conditione, cupit effectum; nam quod ſub *aliquâ*, eſt *per ſe*, ut ſuprà. [Huic opponitur *intendens* ſolùm *ex appetitu.*] Quomodò *per accidens*, *Lucretia ſuccumbit Tarquinio*; *Socrates cicutam bibit*; *Pater ruendô*, *filium opprimit*; *fur in carcerem abit*; Item; Cum *nauta coactus emanet è navi ſuâ*, & ſic *fit cauſa per accidens*, *quod ſubmergatur &c.* vel [3] Et *ignarum & Coactum*: Quâ ratione; *grave tendit* [illegible] *um*; *Leve deorſum*; *Sol ſubſiſtit*; *ferrum natat &c.* [*præter naturam uſurpata à primâ cauſâ*:] Ad quæ non eſt *ſcientia aut appetitus*, niſi *externus*, *Motoris*, *aut Thaumaturgi.*.

x. Cauſa per accidens eſt duplex, fortuna, vel caſus. Fortuna, eſt cauſa per accidens agentium voluntariorum: Caſus, eſt cauſa per accidens agentium naturalium.

Genus itaque ſeu *conceptus Convenientiæ*, cauſæ hujus utriuſque, eſt *cauſa per accidens.* Quatenus nempe utraque producit aliquid *ſinè intentione.* Ità *Deus* hîc excipitur: Cujus Providentia ſic eſt occulata, ut quæ agit omnia, exquiſitè & *cognoſcat*, & *deſideret*. *Sors* & *Caſus*, imprudentiæ & impotentiæ, hoc eſt; imperfectionis, ſunt voca-

cabula. *Differentiam* autem ſeu *conceptum disconvenientiæ*, dat in cauſis hiſce, *materiale*: Prout [ſicut dictum,] *Fortuna* eſt *Agentium Voluntariorum*; *Caſus*, *agentium Naturalium*. Poteſt namque *Fortuna* habere locum [1] in *Spiritibus finitis*: Quibus certè etiam aliquid evenire poteſt *per accidens*. Sicut Dæmones, *coactè* leguntur exiiſſe ab obſeſſis &c: Eſtque non abſurdum *Angelos bonos*, quandoque & illos *ignaros*, miniſterialiter influere, ad ea, quæ ſibi *Deus* ſoli reſervavit. Sicut cupiunt *παρακύψαι* &c: 1. *Petr.* 1I, 12. [2] In *Hominibus*, cujuscunque *ſtatus* aut *ætatis*: Quomodò *Henricus II. Gallus*, *inter haſtiludia*, *ſibi vulnus fecit*: *Agricola terram fodiens*, *theſaurum de quô nihil cogitarat*, *invenit*: *Alius in forum abiens emendi cauſâ*, *in debitorem incidit*; *Aut dum pilam vult excipere*, *alium impellit*, *ut crus frangat &c*: *Caſus* autem convenit omnibus reliquis *deficientibus non-voluntariis*, ſive *naturalibus*; brutis, plantis, mineralibus &c: Quomodò *Caſu*, *Equus labens ſeſſorem excutit*; *Pomus gignit Pomum gemellum aut monſtroſum*; *Securis excidens manubriô*, *aſtantem lædit &c*: Quò & pertinet, cum dicitur: *Divitiæ condemnant*; *Lux excæcat*; *Scientia inflat*; *Vinum occidit*; *Veritas odium*, *ſecu-*

curitas periculum, fortuna inſolentiam, familiaritas nimia, contemptū &c. parit. Sunt enim hæ *veræ cauſæ per accidens*, & non *abuſivè* ſeu *æquivocè tales*; ut quæ *verè influant* in effecta nominata, *malè diſponendô ſubjectum*, ſi non *proximè*, tamen *remotè*. Ità conſtat, *abſque bonô* referri ad *Caſum*, omnes *actiones Puerorum*, *Phreneticorum &c*; tamquam quæ fiant ἄνευ προαιρέσεως. Nam *formale Cauſæ per ſe*, non conſiſtit in *proæreſi*, ſed in *ſpontaneitate*. Quomodò enim non alia quàm *Proæretica* agent *ex intentione?* Multæ ergò *puerorum &c*: actiones ſunt *per ſe*, ut ſupra. Et quæ ſunt *invitæ*, non ſunt *caſuales*, ſed *fortuitæ*. Quare enim cum *fruſtrationes Naturalium*, pertinent omnes ad *unum cauſæ genus*, non & pertinebunt *Voluntariorum*, hoc eſt; ad *fortunam &c*:

Porismata, & Axiomata.

1. Non ſtatim ubi eſt aliquid intentum, illic etiam cauſa per ſe.

Etenim *intentio* dicit ſaltem [quomodò patuit] *appetitum*: *Cauſa* autem vel maximè, *influxum*. Poteſt ergò fieri, ut aliquid nullum prorſus importet *influxum*, ad hoc

hoc, quod *quàm cupidiſſimè intendit.* Prout qui ad *intentum* aut nihil agit, propter defectum mediorum, aut agit aliter quàm ut *cauſa*, velut ut *conditio*, *removens prohibens*, [non cauſa,] &c: Ità intendit *pauper* ſæpè Magnificentiam; *Æger*, hoſtium cædem &c: nec tamen *Cauſæ* earum rerum fiunt: quippe quas in *actum* ducendi *imperatè*, non habent facultatem.

2. Effectum per ſe, non tollit omnem cauſalitatem per accidens.

Effecta enim *per ſe* & *per accidens*, cognominatur ex *ſolâ Efficiente*, & non ſimul ex *aliis cauſis*, utut illæ *per accidens* etiam adeſſe poſſint. Cæpimus hæc ſtringere, etiam in antecedentibus. Admiranti & quærenti *cauſam*, Reſpondemus: Non poſſe *effecta ejusmodi* menſurari à *cauſis*, ſive *omnibus*, [quia *Fines* non influunt *per accidens*, ut evictum,] ſive *aliis quàm Efficientibus*; quià multa fiunt *per accidens*, quæ non habent *Formas* aut *Materias*: Cum contrà nihil fiat in univerſum, quod non habeat *Efficientem*. Unde ſub *effectô per ſe*, poteſt latitare *Cauſa per accidens*; à quâ non neceſſe eſt præcisè, ut *effectum*, [ob quæ diximus] denominetur. Verbi cauſâ, ſi *Aſinus*

aſinus & *equus intendentes* generant *equum*, fit certè Eqvus, *effectum per ſe*; dum *Efficiens intendat &c*: ſed *forma*, atque *materia*, ſunt *per accidens*, quippe *monſtri*, ſeu *confuſæ ſpeciei*, quam appetere *cauſæ internæ*, tamquam à ſe alienam, non poſſunt. Adhæc: *Concreta Artis*, quæ cum *intentione* elaborantur, etiam illa fiunt *per ſe*, & tamen habent *materias per accidens*. Sicut ante demonſtravimus.

3. Cauſæ Univerſales, non poſſunt fieri cauſæ per accidens.

Hoc eſt: *Semper ſunt per ſe*. Habent enim eædem ſe *indifferenter* ad *omnia effecta*, atque ad ea *unô influxus modô*, *eôque non interruptô*, concurrunt. Ideò enim dicuntur *univerſales*. Unde facilè elucescit, quàm non iis, quæ ſic *uniformiter* influunt, aliquid eſſe poſſit *fortuitum*: Et quàm non iis, illud *novum* aut *inexſpectatum* dici poſſit, in quod *ſemper* influant &c: *Cauſæ per accidens*, magnam partem *non aſſequuntur quod intendunt*. Quid hoc verò ad *Cauſas Univerſales*? quæ ſi non aſſequuntur, non ſunt *univerſales*. Manifeſtum eſt enim, ea ad *omnia ubique effecta*, debere confluere. Ergò: *Effectum per accidens particulare*, fit à

R *Cau-*

Cauſâ conſorte, hoc eſt: *Particulari*, non *Univerſali*.

4. Cauſæ Remotæ, jam per ſe ſunt, jam per accidens.

Iniquum eſſet omnes *Cauſas Remotas*, velle detrudere ad *cauſas per accidens*: Cum interdum illæ coincidere poſſint cum *cauſis univerſalibus*, quas noviſſimè *liis per accidens* exemimus. Et reverà ſunt alia benè multa *Efficientia*; quæ in ſubordinatione Cauſarum, *per ſe* influunt, *ex remotâ*. Velut, de ſenſu eſt: *Cum quis alium, ad quid peragendum ſubornat*. Ità enim *quod quis per alium facit, ipſe feciſſe putatur*: Et quidem *per ſe*; cum facit *ex intentione*. Illud verò ut altioris, ità multò jucundiſſimæ foret indaginis, *Quandò ejuſmodi Cauſæ Remotæ, certò dici poſſint agere per ſe*; & *quandò dici poſſint agere per accidens*. Siquidem non ſemper promptum eſt exquirere; utrum *intendant*, vel *non intendant*. Si quid in re difficili dicendum: exiſtimamus *Cauſarum Liberarum intentionem* oportere inveſtigari ab *illis ipſis*, (quæ certè ipſę, optimi fuerint interpretes, quô quid animô effecerunt;) aut [ſi hæ nolint vel nequeant,] ex *facti ſignis*, ſive *circumſtanti-*

tiis &c: In *Cauſis* autem *Remotis Involuntariis*, ſive *Naturalibus*, ſtatuimus tum ſemper eſſe *intentionem* ſeu *influxum per ſe*, cum *inter effectum earum ultimum & antecedens, datur nexus neceſſarius*: ſimul autem *intentionem* eſſe *nullam*, ſeu *influxum per accidens*, quoties *cohærentia iſtorum effectorum* eſt *mutabilis*, ſeu *fortuita*. Ità inter *lapſum tegulæ* atque *vulnerationem ſubeuntis*, eſt *cohæſio* tantùm *contingens*: Ob quod tegula, non fit *cauſa vulnerationis* iſtius, niſi *per accidens*. Quô ſenſu etiam *febris adfert temperantiam*. [Plura *exempla*, habes *theſi x. hujus*.] Aliter: Inter *lumen lunæ*, & *immiſſionem radiorum ſolarium in ejus corpus*, eſt *connexio neceſſaria*. Ideo *Sol* eſt *cauſa ſplendoris Lunæ per ſe*, & non *per accidens*. Etiam *Vinum per ſe calefacit*. Quià inter *calefactionem* & *præcedentem actum vini, nempe refrigeratorium*, eſt *connexio neceſſaria*: Quatenus ſemper *vini frigus*, κατ' ἀντιπερίστασιν, *calores vagos* colligit.

5. Removens prohibens, interdum eſt vera cauſa, tam per ſe, quàm per accidens.

Neque enim audiendi ſunt, qui docent: *Removens prohibens, nequidquam influere ad*

operationem prohibiti; nec eſſe *cauſam.* Nam hoc de *omnibus* affirmare, non eſt tutum. Etenim, quamquam illa *removentia*, interdum quidem *nudæ conditiones* ſint; Quomodo *inquiſitio Dei & Eccleſiæ per naturæ lumen*, eſt *conditio* & non *cauſa*, [ſicut errarunt & ob hoc rectè damnati fuerunt *Salmurienſes*, Annô 1637. in *Synodô Alenconienſi,*] *revelationis Evangelii* in *adultis extrà eccleſiam &c*: tamen etiam *exempla* proſtant, quæ loquuntur, ea interdum *verè poſſe influere in effectum*, jam *moraliter*, jam *aliis modis*: idque tam *per ſe*, quàm *per accidens.* Nam cùm *Medicus*, removet *materiam peccantem Corporis*, tanquam *impedientem* ejus ſanitatem, fit certè *cauſa* ſanitatis in corpore. Similiterque etiam *Chirurgus*, reſtitutionis vulneris; *auferendô ejus putrefactionem &c*; Cum ſæpè *aliud non facit*, *quàm hoc ipſum*, ut vulnus coeat in cicatricem. Et quis negabit eum, *qui ſubtrahit columnam angularem domus*, [tanquam *impedientem*, nè hæc caderet,] fieri *cauſam* ruinæ domus, *per ſe* quidem, ſi intendit, ſi non intendit autem, *per accidens*? Id quod etiam valet de eô, qui *perpendiculum erectum movendô, aut evertendô*, ſimul deijcit impoſitum &c: Nam eum Herclè verò *ſana ratio* convincit, non adferre *nudam* aliquam

quam

quam ad rem illam *conditionem*, [quali *effectus* non ſemper obedit;] ſed *verum valentemque influxum*, ſeu *proviſum*, ſeu *improviſum*. In *ſpecie* autem & *enucleatius* aſſerimus: Omnia illa *Removentia prohibens*, quæ in genere *Cauſæ voluntariæ*, negant *debitum auxilium*, fieri *veras Cauſas*, nempe *Morales*. Quomodò cum *Curator*, defenſionem pupillo negat, quem in fidem recepit ſuam, *cauſa* fit iſtarum omnium injuriarum, quæ per vim huic inferuntur. Similiter & *Magiſtratui*, imputatur *bonorum oppreſſio in Republ.* qui nocentes non compeſcit. Et qui *ignem removet in incendiis*, [cum non deberet,] *cauſa* audit conflagrationis &c: Itaque omninò Deum faciunt *Cauſam peccati* & *injuſtum*, qui affirmant eum *ſine intuitu peccati*, multos *negativè reprobare* ſive *præterire*, quibus *gratiam*, (ad fidem ſalutarem) *efficacem*, poſteà non vult ſeriò offerre &c: Confutata fuit *hæc impietas*, ſuâ viâ etiam alibi. Nunc autem conſtat, quod cum Deus illâ ſuâ παρελεύσει ſeu *deſertione*, removet *prohibens incredulitatem* & *exitium*; nempe *Gratiam ſufficienter illuminatricem* & *conſervatricem*, etiam fiat *cauſa* præteritorum *incredulitatis* & *exitii*: quià hæc, eâdem *Gratiâ ſubtractâ*, non

poſſunt non ſequi neceſſarió. Rectè [n] Corvinus: *Perinde eſt, ſive dicas hominem deſtinari ad negationem gratiæ ad vitandam incredulitatem neceſſariæ, ſive dicas eum, ad incredulitatem ipſam deſtinari.* Et reverá: *ſive Chiragogus cæcum è ſcalis præcipitat, ſive ſinit ire non monitum, ſic ut neceſſariò decidat &c: nihil intereſt. Calvinianus* reponet: *Deum non eſſe obligatum morti eripere eum, qui ſit morti obnoxius*, [quippe infectus *peccatô* ſi non alio, certè *Originis &c:*] ſed quod & quomodò Deus ſit *obligatus*, hoc eſt: ipſum ſeſe obligavit, diximus (o) *Tmemate Primô Operis*. Unde, cum Iun: *l. de Natur. & Grat. ax*: 49. dicit, quod *Præteritio non ſit cauſa Efficiens reprobationis, ſed antecedens tantùm illius*: additque Bergius *Differt. VI. n. 161. p. m.* 833. Quod *licet præteritio ſeu actus negativus reprobationis ſit occaſio non credendi & repudiandi gratiam &c: cauſa tamen imponens neceſſitatem non-credendi, non ſit: Quomodò negatio talis modi ac gradus gratiæ, quô Adam neceſſariò & infallibiliter in ſanctitate perſtaret, peccandi occaſio, (& non cauſa) fuit &c*: fruſtra uterque ſunt. Et cum *Dn. Bergius* præſumit, *negationem Gratiæ efficacis in reprobis*, hîc non magis fieri

(n) Cenſur. Anatom. c 26. p. 386. (o) Cap. 1. poriſm. 5. Obſervat. 2.

fieri *cauſam peccandi aut damnationis*, quàm fuit *negatio Gratiæ perſeverantiæ* in *primô homine*, plurimum halucinatur. Dederat enim Deus nihilonimus primo homini tantum Gratiæ, ut potuerit ſtetiſſe modò voluiſſet. Unde talis Gratiæ negatio, *nullam peccandi neceſſitatem* ſecum traxit: imò nè quidem *occaſio peccandi* fuit. Cum hæc longè aliter ſint comparata, quoad *negationem Gratiæ in præteritis*. Sicut fuit ſuprà demonſtratum. Priusquam hinc abeo, paucis etiam lubebit reſpondere [p] *Moſi Amyraldo*, *Theologo Salmurienſi*, qui in eô multus eſt ut exaggeret, *jus Dei αὐθέντου* in Creaturas: Secundum quod poſſit *eas immerentes, non ſolùm ſenſu, vitâ &c. ſpoliare*; ſed &, ſi velit, in *æternum condemnare*, ità ut nihilominus maneat *Juſtus*, & nemini de eô, obſtrictus ſit rationem reddere. Utitur exemplis *Iobi*, quem Deus immerentem, Sathanæ permiſit: Item; *juris parentum in Liberos*, quod erat *vitæ & necis &c*: Et quod nos etiam quotidie *beſtias ſinè culpâ & injuriâ mactemus*. Confer qui eandem ferè cantilenam conci-

(p) In Tractat de jure Dei, & prædeſtinat. c. 4.

nunt (q) *Zwingll.* (r) *Pareum,* (s) *Kecher-mann.* (t) *Spanhem* (u) *Guilielm. Twiſſe* (x) *Flocken.*& *quàm plurimos*. At verò *ἀποτόμως* negamus, Deum *ſine iniuriâ* poſſe omnia facere, ad quæ *Illi* provocant. Etenim diſtinguendũ eſt *jus dominii Divini*, quod reſpicit *res temporaes* & *hujus vitæ*, ab eô quod reſpicit *res æternas* & *futuræ vitæ*. Quà *illas*, non inviti concedimus, *Deum* habere *jus in creaturam ſuam*; ſic ut *ſine infamiâ*, *aut diminutione Iuſtitiæ* & *Bonitatis ſuæ*, poſſit ei etiam *immerenti* eripere tum *vitam*, tum omnem reliqvum *corporis* apparatum, atque eam prorſus annihilare: ſicut etiam *maximã partem hujus univerſi* ſuô tempore annihibilabit. Oriri enim hoc *jus Dei in Creaturas* ex *beneficiô creationis*, quod ita ligat creaturas accipientes, ut quià Deus, ſingula ipſis *de ſuô* communicavit, etiam poſſit ſuum ab illis, quandò volet, iterum repetere. Quamquam enim etiam *levitatis* eſſe judicatur inter homines, ſi quis alicui non ingrato, vellet quod ei ſpontè obtulit, eripere: Imò; etiam *Iniuſtum* habetur

(q) Tom: 1. Oper. cap. 5. p. 364. (r) Contrà Bellarm. de amiſſ. Grat. (s) Syſtem: Theol. l. 1. c. 1. p. 309. (t) Diſput. De Prædeſtinat. theſ: 32. (v) Vindic. l. 2. part. 1. Digreſ. 1. (x) Oper. Theol Tom. 1. Diſp. 24. p. 376.

tur, *Velle ſine cauſâ reſcindere donationes ſemel rectè factas &c:* tamen, hoc non de *jure accuratô*, ſed tantùm *utili*, ità æſtimatur: *ob Vitandas* nempe *confuſiones*, quas in Deô aut *Oeconomia Dei*, non eſt opus, imò impium, metuere. Loquendô autem de *rebus infinitis* & *æternis*, [quale eſt *inferni ſupplicium* in immerentes ;] dicimus *Deum in illud* prorſus *nullum jus ſibi argare poſſe* Ratio eſt: Quia nullum dedit *beneficium*, *quod ſit ei* ἀντάξιον. Etenim, oporteret, *jus in interminabilem ereptionem*, fluere ex *interminabili donatione*. Quæ inter ſeſe ſunt ἀσύστατα: Cum ſi *beneficium interminabile* ſit, jam non poſſit *eripi &c:* Si aliquis cum veſtem dedit, vellet jus ſibi vendicare, non ſolùm *Veſtem donatam* repetendi; ſed & eum, cui dedit, occidendi, nonnè ſtolidè iniquus foret? Quantò majus nefas Deo imputatur cum dicitur: Eum non ſolùm poſſe homini immerenti auferre ea, quæ donavit; ſed & pro *temporali beneficiô*, poſſe eum in cruciatus (non *temporales*; ſed) ut *magnitudine immenſos*, ſic *duratione infinitos*, & *interminabiles*, abijcere. Qui ſi aijceret, non ita haberet *jus eminentiæ* & *ἀνυπευθυνίας*; quin reverà homo poſſet, ſi non *provocare ad ſuperiorem*, tamen conqueri de *injuriâ* in ſe exercitâ, & quod nullâ noxâ ſuâ

 fuiſ-

fuiſſet majori mactatus infortuniô, quàm fuit unquam beneficiô ornatus. Exempla *Iobi*, & *juris hominum* in *liberos* & *bruta*, ſunt *ἀπροσδιόνυσα*. *Primò* enim illa loquuntur de *Vitâ* & *bonis temporalibus*: Cum quæſtio ſit de *vitâ* & *bonis infinitis*. An nimirum illa eripi, & ipſorum locô, *æternæ infernales pœnæ*, irrogari poſſint? *Deinde*: Patuit ex nuper dictis, quomodò Deus *jure creationis*, potuit habere poteſtatem in *Iobum*, ſic ut quem *temporaliter* ornavit, iterum donatis ſpoliare potuerit: juxtà illud, *Cap* I, 21. *Dominus dedit, Dominus abſtulit &c*: Quamquàm cùm *Iobus* non eſſet *innocens*, innocentiâ *perſonæ*, ſed *cauſæ*, (ſicut ipſe neceſſe habet fateri *Cap*: VII, 20. & IX, 2.) *Iure* & *culpâ ſuâ*, à Deô caſtigatus fuit. Quod eſt iterum extrà *Quæſtionem*. Nam non quæritur, *quid Deus in ſontes*; *ſed quid Deus in inſontes poſſit?* Quod attinet ad *jus necis in liberos immerentes*, [*aut ſervos*,] dico illud non fuiſſe legitimum, quià non fuit conſonum *rectæ rationi*. Hæc enim ſtimulat ad *amandum* [& non ad occidendum] prolem: atque adeò, *ad non faciendum alteri, quod tibi ipſe non vis fieri &c*: quicquid fuerit de *conſuetudine*. Nam hæc non eſt *honeſta*, niſi *Legem Naturæ*, & *Rationem rectam* locô fundamenti ſuppoſuerit. Unô verbô: *Ius vitæ*

&

& necis in Liberos, de quô Dion: Halic: *l.* 2. *l. in ſuis.* 11. *ff. d. liber. & poſthum. hæred. inſtit. l. ult. Cod. d. patr poteſt.* Sigon. *l.* 1. *de jur, ant. civ. Rom.* 10. non erat *Gentium*, aut *Naturæ*; ſed *Civile* tantùm, uſurpatum à *Romanis*. *Nulli enim alii ſunt homines, qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus.* Inquit imperator §. 2. *Inſtit. tit.* 9. *de patr. poteſt.* Ut de factum eſt, ut non modò talis poteſtas imminuta fuerit poſt gentiliſmum, *arg. tit.* 8. *Inſtit. De his qui ſui.* §. 2. Sed & Alii eam ut *tyrannicam* repudiarint. Simplic. *ad Epictet. Enchir.* Ariſtot. 8. *Nicomach. c.* 12. Et quamquam *jus vitæ & necis in ſervos*, juris *gentium* olim fuerit; *tit. De his qui ſui. Inſtit.* §. 1. tamen ex *reſcriptô ad Ælium Martian.* etiam illud emollitum legitur. Imò: *poſtquam Reipubl. expediat nè quis re ſuâ malè utatur; tit. eod.* §. 2. *l. ſed & ſi.* 25. §. *conſuluit.* 11. *ff. d. hæred. petit. arg. l.* 38. *ff. d. pact. l. utilitas.* 3. *Cod. d. princip.* ex conſtitutione Divi Antonini, *qui ſine cauſâ ſervum ſuum occiderit, non minùs puniri jubetur, quàm ſi alienum ſervum occiderit. tit.* 8. *Inſtit. de his qui ſui.* §. 2. Itaque à *poteſtate in temporalibus*, imò eâ adhuc *retractatâ & iniquâ*, ad *poteſtatem in æternis*, *Domini æquiſſimi*, qualis erit ratio, aut comparatio? *Denique*: Ad *Bruta* dicimus,

jus gladii, quod in eas uſurpat homo, eſſe *jus ipſius Dei*, tanquam *Domini Proprietarii*, qui illud uſu *imaginis primævæ* homini tanquam in *feudum* conceſſit. Itaque ſicut ſuprà aſſeruimus; Deum *ob beneficium creationis*, habere *jus vitæ & necis in ſuas creaturas*, quà τὰ βιωτικά; Ità hoc ipſum homo, *dependenter à Deô*, habet & uſurpat. Et quomodò *ab hoc jure*, cum eſt in *Deô*, non licet argumentari, ad *jus æternæ reprobationis*; Ità multò minus liceat ab eô ità colligere, cum eſt in *homine &c*: Alias addimus: *jus hoc in homine eſſe limitatum & reſtrictum ad moderationem*. Poſſe enim *bruta iniquè tractari*, probant *Leges*, Numer. XXIII, 19. Deuter. XXII, 10. & XXV, 4. 1 *Cor*. IX, 9. Confer, Prov. XII, 10.

6. Multa ſunt alicui per accidens, quorum aliquid tamen non eſt cauſa per accidens.

Alii ità: *Multa eveniunt per accidens ratione operis, quæ non ſunt per accidens, ratione agentis*. Pluribus enim modis, [ſicut patuit] aliquid dicitur *per accidens*, quàm in ratione *cauſæ*. Et præthereà fieri poteſt, ut *agens* nullum habeat *influxum*, ad hoc, quod

quod ad *effectum* ſuum accedit: utut aliàs idem ſibi *non intentum* eſſe poſſit. Ità omnia, que ſe habent ratione *Cauſalitatis per accidens impropriiſſimè*, ſunt *per accidens*, ratione *contingentiæ*, [quatenus τυχόντως *accidunt ad opus cauſæ intendentis &c.*] ſed non ratione *influentiæ*, quæ *cauſalitatem* exſtruit Quomodò actionibus Dei *per ſe intentis*, ſæpe adhæret ἀνομία, ad quam *voluntas mala*, iis abutitur: Cujus *Cauſa per accidens*, Deus, nullâ ratione dici poteſt. Tollit enim illa *Cauſalitas*, ipſam *Dei eſſentiam*, quatenus ſi hic influendò vellet *peccatum*, [quod eſt *difforme ad ipſius voluntatem*,] vellet illud, quod *involitum* eſt, aut de ſeſe *involibile*. Quod *repugnat*. Tacco, quod cum omnis *cauſa per accidens ſit deficiens*, & *poſterior*, [ſicut diſputamus *Poriſm*: 10. & 13. *hujus*,] velle ſtatuere *Deum*, *Ens ſummæ actualitatis*, & quod eſt *ipſa perfectio*, poſſe *deficere*, aut eſſe *poſteriorem* in agendò, ſive *dependere*, etiam illud *contradictionem oleat*. Pari ſententiâ, *per accidens*, [hoc eſt; *contingentèr* ſaltem, & non *effectivè*] *Chriſtus* ſit *Lapis offendiculi*; *Evangelium odor mortis ad mortem* &c: quatenus nempe, eorum *optimis effectis*, homines ad *ſcandalum*, *mortemque* abutuntur: cum tamen nec *hoc*, nec *ille*, verè con-

ferat aliquid ad illos *defectus &c*: *ſolus* enim *homo*, capax eſt *denominationis* ab iis *cauſalis*, quatenus in *illô*, [non *illis*,] *ſubjectivè*, *impotentia* reperitur.

7. Per accidens ratione cauſalitatis, impropriè, magis impropriè, & impropriiſſimè, [duobus primis modis,] eſt diſtingvens nominale.

Suprà id ſatis patuit: Ubi dictum fuit, quæ ſe ità habent, aut *non influere in effectum*, aut *influere per ſe*. Conſtat autem tale quidpiam hîc inveſtigari, quod & *verè influat*, & *per accidens*. Itaque illa non ſunt magis *Agentia per accidens*, quàm eſt *ſerra cerea*, *ſerra*, hoc eſt: *abuſivè*, *ἀκύρως*, & quà *nomen tantùm*. Eô autem quô dicimus ea eſſe *nominalia*, ſeu *æquivoca*, volumus ea remiſſa ad *Tmem* I. *Cap.* II. ut ibi forum ſortiantur, hoc eſt; eas *Leges* accipiant, quas *Nominalibus* illic præſcripſimus. Itaque non eſt audiendus (y) *Spanhemius*, cum ſcribit: *Non rejicere conditionem*, [intelligit *Fidem*, ſub quâ tanquam *conditione*, ſtatuimus redemptionis Chriſti uni-

(y) Diſp. De Grat. p. 10.

univerſalitatem, actu omnibus prodeſſe &c:] *eſt illam præſtare.* Nempe vult *Spanhemius: Non repugnantiam Fidei*, eſſe ipſum *actum Fidei*: Et ſic, quam nos ſaltem *Conditionem ſine quâ non* facimus, eſſe *Cauſam*: ut *nos Pelagianis* accenſere poſſit. Sed non eſſe *cauſam*, ſive non *præſtare fidem*, credat *Spanhemius* Apoſtolo affirmanti, *Fidem non eſſe* ἐξ ὑμῶν, ſed eſſe θεοῦ δῶρον, *Eph*: 11,8. Atque *conditionem non rejicere*, non eſſe ſemper *eam præſtare*, credat licet ſenſibus ſuis. Quià poteſt, [ſcio] vel *Spanhemius*, non arcere lumen ſolis à conclavi, [ſinens feneſtras ejus non occluſas &c:] qui tamen ideò non *præſtat lumen* in conclavi: cum hoc *ſolis* ſolius beneficium ſit.

8. Nè æquivotè quidem Deus, ejuſque organa, Cauſæ per accidens mali, dici poſſunt.

Quod *Deus* hoc non poſſit, ſpero nos ea produxiſſe momenta *Tmem*: 1. *Cap.* 11. *Poriſm.* 3. quæ bonis mentibus, poſſint ſatisfacere. De *Organis* autem ejuſdem, velut *verbo*, *Sacramentis &c*: prorſus una & par ratio eſt. Quià enim eadem, quà ſunt *organa*, vim ſuam omnem habent à *Deô*

Deô ipſô; fieri non poteſt ut *Sanctiſſimum* & *Auguſtiſſimum Numen*, talem *vim* communicet, aut ejusmodi utatur *inſtrumentis*, quæ cum *malitiâ*, ſocietatem colant: quæque *in ſe* verè, ſi non *influxum ad peccatum*, tamen *analogiam* aut *affinitatem* ad *influxum ad peccatum* habeant: Quam [affinitatem] eſſe oportere in omnibus *æquivocis* ſeu *Nominalibus Deliberatis*, [quandò hæc *propria* non poſſunt eſſe,] demonſtravimus. Malè ergò ſcribit (z) *Maſſonius*: *Equidem Verbum Dei*, [*quod non eſt ipſe Deus*, *ſed Divinæ ſapientiæ radius*, *Occaſionis*, *gladii*, *offenſionis*, *per accidens cauſa dici poteſt*: *Non item Deus ipſe*, *cujus præſcio oculo & independenti Majeſtati repugnat nomen Cauſæ per accidens*. At *hæc* æquè repugnant *Verbo*, ac repugnant *Deo ipſi*. Neque enim poteſt *radius Solis*, magis eſſe *cauſa tenebrarum*, quàm *Sol ipſe &c*; Fiunt hæc talia quidem ratione *verbi per accidens*; ſed *verbum* non eſt *cauſa* eorum *per accidens*. Juxtà *Axioma 6. hujus*. Unde porrò judicari poteſt, illud (a) Calvini: *Tanta eſt vis Evangelii in utramque partem, ut non guſtu ſolùm, ſed olfactu ſolô, aut vivificet, aut interficiat. Quicquid ſit, nunquam* fru-

(z) part. 3. c. 12. p. 296. 303. (a) Comment. ad 2. Cor. 2. p. m. 248.

fruſtrà prædicatur, *quin valeat aut in vitam, aut in mortem.*

9. Cauſa per accidens, non rectè definitur; per τὸ virtute externâ ſive alienâ agere.

Primò enim *agere virtute propriâ* & *alienâ*, determinat *cauſam*, [non *per ſe* & *per accidens*; ſed] *principalem* atque *inſtrumentalem*. Secundò: *Virtus* illa *aliena*, ſeu *externa*, vel habet hunc ſenſum; quod ſit *in aliô*, & non in *cauſa per accidens*, ità hæc, *cauſæ* officiô deponitur; poſtquam non poteſt eſſe *cauſa*, per illum *influxum*, qui eſt in aliô, & non in *ipſâ ſe*: vel habet illum ſenſum, quod ſit *ex aliô*, & per *communicationem* etiam in ipſâ *cauſâ per accidens*. Quomodò *hæc* quidem erit *cauſa*, ſed non conſtituta *formaliter*. Etenim ejusmodi *virtute alienâ*, ſeu *communicatâ*, etiam multæ *cauſæ per ſe* agunt. Et admodum pauca *effecta per accidens*, ex tali *cauſâ* oriuntur. Sicut diſcurrenti per *Naturam* & *Exempla* requirenti, manifeſtum erit. Scilicet: In *coactis* nonnunquam *vim* illam habet *cauſa per accidens*; quatenus eam ſibi impreſſit *cogens*, ſeu *per ſe*, ſeu *per accidens*.

Ità

Ità *Lapis tendit ſurſum*, vi iſtius *motus*, quem ei *motor* incuſſit, ſeu *intendens* ſeu *non intendens &c*: ſed quid hoc ad *cauſam per accidens*, *quà per accidens*, ſeu *ut ſic*? *Materiale* & *formale* terminorum; non ſunt confundenda.

10. Effecta per accidens, ſemper ſequuntur aliquod intentum, ſeu per ſe.

Sumptum hoc eſt ex (b) *Ariſtotele*: οὐδὲ [inquit] τὸ κατὰ συμβεβηκὸς αἴτιον, πρότερον τοῦ καθ' ἑαυτό: Eſt ergò ſemper *cauſa per accidens*, [ad minimum *naturâ*,] *poſterior cauſâ per ſe*; & *prius* aliquid *intentum* ſequitur. Etenim quia *Cauſa per accidens*, quà non *inſcia*, *coacta* influit in *effectum* ſuum, & ſic *finem*, à quô moveatur, non habet; neceſſe eſt ut quià omninó tamen debet [ut *cauſa*] influere & agere, alicunde ſuſcitetur ab eô, quod agit propter *finem*, & ſic illud ut *per ſe*, ſequatur. Quómodò priusquam *foſſor poteſt per accidens frangere rutrum ſuum*, neceſſe habet aliquid *intendere*, nempe *foſſionem*: nam propter *fractio-*

(b) l. 2. phyſic. c. 6. t. 66.

ctionem rutri, tanquam & *malam*. & *inex-ſpectatam*, non incipiet agere, & ſic neque fieri *cauſa &c*: Interim hoc ipſum *intentum* præcedens, non eſt ſemper *integrum effectum*, [Sicut docent *Scholæ*; ponentes inter *requiſita Cauſæ per accidens*, quod *debeat adhærere effecto per ſe &c*:] Interdum enim præcedunt tantùm *initia quædam effecti intenti*, ſeu *per ſe*: Eaque, ratione tum *potentiæ proximæ*: [velut *vis cogens per mandatum nudum*; ut cum Magiſtratus jubet venire reum in judicium, quod *mandatum* ſequitur itio rei *invita*, atque ſic *per accidens &c*:] tum *actus*; Velut aut *vis cogens externa*, *per manus injectionem*, *vel quaſi*: [quomodò cum reus non it ſolùm, ſed & trahitur; leve tendit deorſum &c:] aut *vis interna*, ſed *abrupta*, & *non compos integri effecti*; velut cum *cauſa*, in *intentæ* ſuæ *actionis* curſu ſiſtitur, & abducitur ad *alia per accidens*. Ità *forma*, non rarò in mediô diſpoſitionis materiæ fluxu impedita, abripitur ad *monſtrum producendum &c*: ſæpiſſimè autem *effectum per accidens* ſequitur *integrum* aliquod *effectum per ſe*: Quemaddum cum *cauſa* pervenit quidem eò, *quò intenderat*; ſed tamen aliud aliquid *præter exſpectationem*, eô ipſô comproducit. Velut *cùm quis intendit ſaltationem*, *& eò ipſô* pe-

pedem frangit &c: Atque ità *effectum per ſe*, ſeu *ex parte*, ſeu *ex totò* antevertit *effectum per accidens*: hoc eſt; illius *proxima* evadit *cauſa*. Niſi quod interdum *effectum per accidens*, etiam ex *cauſâ per ſe* proximè videtur ſequi. Nam non poſſum percipere, quomodò *cum quis* v.c. *inſcius inter meditandum caput ſcabit*, meditatio aliquem conferre poſſit *influxum* ad *fricationis actum &c*: ut qui videtur provenire à *meditante*, aliter quàm per *meditationem*: hoc eſt; per *influxum diverſum*, poſtquàm *amor cognoſcendi*, primò excivit *meditantem* ad *cauſandum &c*: ſed hæc *Aliis* & *tempori*, relinquimus.

11. Effecta per accidens, non ſemper ſequuntur illud intentum contingenter.

Secus quidem volunt, jubent, Quirites; ſed in præjudicium *Veritatis*. Etenim quàm ſæpiſſimè, inter *Effectum accidentale*, & *intentum*, datur vinculum *neceſſarium*: ubi nihilominus *effectum*, [ut quod *aut* non innotuit, *aut* non placuit *intendenti*,] eſſe poteſt utique *per accidens*. Do *Exempla*: Cum *Catharina Navarræa*, ſcribitur odore chi-

chirotecarum venenatarum, ictô cerebrô fuiſſe exſtincta, *inſcia* odores illos venenatos hauſit, & ſic *cauſa* illius ſuæ præmaturæ mortis, fuit *per accidens*. Interim *neceſſariô* cohærent, *venenum* [juſtæ efficaciæ,] & *exſtinctio*. Similiter, ſi quis *allium* magneti pyxidis nauticæ adhibet, *ignorans* inter ea eſſe *antipathiam*; fit & ille *cauſa per accidens* chalyboblisſeos magnetis illius: quæ tamen *neceſſariò* ſequitur ad affrictum allii *intentum*:(Quamquam ſcio hoc ab aliis negari.) Et cum *Lege Pompeiâ* [teſte Ciceron. pro Roſc.] *caveretur, ut ſi quis parentum fata properaverit, neque gladiô, neque ignibus, neque ulli alii ſolenni pœnæ ſubjiceretur; ſed inſutus culeo cum cane & gallo gallinaceô & vipera & ſimiâ, & inter eas ferales anguſtias comprehenſus, vel in vicinum mare, vel in amnem projiceretur: ut omnium elementorum uſu vivus carere inciperet, & ei cælum ſuperſtiti, & terra mortuo auferretur &c*: *Parricida* certè *invitus* talia cum pateretur, mortis ſuæ *cauſa* fuit *per accidens*. Et tamen *hoc effectum per accidens*, cum *talibus cauſis* cohæſit *neceſſariò*. Poſtquam per *aquas*, *morſum viperæ &c*: aliquis neceſſe habet animam expellere. Apud *Suevos*, & *Francos*, *prædones, incendiarii, & ſeditioſi*, ſi *nobiles* eſſent, antequam morte ple-

plecterentur, *ignominiæ cauſâ*, *canem ferre de comitatu in proximum comitatum cogebantur*. Gunther. *l.* 5. *Leg.* Cujac. 11. *obſerv.* 22. Peucer. 4. *Chronic. &c.*

Quæ certè *ignominia*, *cauſam contrarium intendentem* ſequebatur *per accidens*, & tamen *poſitis talibus circumſtantiis*, eadem reo non potuit non eſſe *neceſſaria*. Res eſt per ſe evidens.

12. Neque ſemper, ubi eſt connexio effecti per accidens cum intentô contingens, ſtatim præſumenda eſt cauſa per accidens.

Sæpè enim illud *remotè agens* ſeu *intendens*, cui *per accidens* aliquid evenit, quodvis minùs eſt quàm *cauſa*. Sicut *Poriſm.* 6. *hujus*. ſæpe eſt *cauſa* quidem, ſed *per ſe*. Exemplorum plauſtra haberi poſſunt. Velut ſi quis *ſtudiô* & de *induſtriâ*, inter ambulandum, vermem proterit: Inter loquendum, ſcribendum &c. familiares offendit: Inter currendum, equum tranſilit; certat ad palum; digladiatur &c: omnia cohærent *mutabiliter* & *raró*; Et tamen *cauſæ* eorum ſunt *per ſe*. Ut quæ agant *ex intentione*.

13. Ef-

13. Effecta per accidens, debent fieri ex cauſâ deficiente.

Deficiens datur ratione vel *intentionis*, vel *perfectionis*. *Illa* eſt, cum *cauſa* aliquid efficit quod non intendit: *Hac*, cum *cauſa* efficit, [non quidem quod non intendit; ſed] quod eſt *imperfectum*. Sicut qui deficit à *Normâ Veri*, *Boni*, aut *Decori*. Neque enim hi *defectus*, ſemper coincidunt. Nam qui v. c. *volens ſciensque* diſtortè ſcribit, non ille quidem *deficit* ratione *intentionis*, ſed *perfectionis*; quod non ſequatur *normam Artis*. Porrò dicimus: *Effectum per accidens*, ſemper quidem prodire debere ex *cauſâ deficiente quà intentionem*; ſed non ſemper ex *deficiente quà perfectionem*. *Prius* non poteſt eſſe *ὀυ-νόητον*, poſtquam toties inculcatum, *Cauſam per accidens*, debere *præter intentionem* hoc producere, quod producit. Dum ergò facit, quod *non intendit*, etiam verè *deficit* &c. *Poſterius* patet: Quià interdum etiam *imperfectiſſima effecta*, [rectius *defectus*,] fiunt à bonô *ſciente* & *volente*: Quæ idcircò, tanquam *intenta*, non ſunt *per accidens*; ſed *per ſe*. Ità non *omne peccatum*, debet ad *cauſam per accidens* referri, cum *The-*

Theologis, contendentibus: *Bonum non poſſe eſſe mali cauſam per ſe, cum oppoſita ſe non gignant; ſed tollant &c*: At verò *per ſe* & *per accidens cauſandi*, æſtimantur [ſicut dictum,] ex *intentione cauſæ Efficientis*. Ubi certè non omne *peccatum* fit *ſine intentione* voluntatis, ſeu *per accidens*; ſed datur etiam *peccatum* [vah nimis crebrò!] *voluntarium*, & quod quis *prudens* & *ſciens*, imò, deſtinatâ animi malitiâ, committit. Quod certè erit [ut *intentum*;] *per ſe*. Eſt quidem hîc *defectus*; ſed ille tantùm *ratione perfectionis*, ſeu *Normæ*, [*Voluntatis Dei*,] non autem *intentionis*, in quô *cauſa per accidens formalè* ſitum diximus. Adhæc: Concedimus quidem, *Bonum indefectibile*, [tam *Eſſentiæ*, quàm *confirmationis*,] non poſſe eſſe *cauſam per ſe mali*, quippe *nullius mali cauſam*; ſed negamus eam eſſe rationem *Boni defectibilis*. Hoc enim *ἄκριβως* poſſe ad *malum* abripi, naturæ morſu, qui non ſentit, nimis quidem ille *ſenſu* eget &c: Omninò *oppoſita tollunt ſe invicem*: Quomodò & *malum* tollit *bonum*, tanquam ejus *privatio &c*: Nihilominus tamen, quæ ſe ità *privativè* ſuſtollunt, videri poſſunt eô ipſô *ſe progignere*, quô unum alteri ſublato ſuccedit. Ità *tenebræ tollunt lumen*; *morbi*, *ſanitatem &c*: & tamen, ſuô receſſu, *lu-*

lumen tenebras, *morbos ſanitas &c*: relinquunt. Ità & *Bonum Labile*, ſuô diſceſſu & defectu, *malum* relinquit.

Caput Tertium,

De

Per ſe, & Per Accidens, Prædicativô.

1. Prædicativum per ſe & per accidens eſt, quod integram propoſitionem afficit.

Nihil hîc eget expoſitione: niſi quod hinc intelligitur, quomodò *per ſe* & *per accidens Prædicativum*, differat ab *Entitativô*, [1] *objectô*: Quod in *Entitativô*, eſt nudus *terminus ſimplex*; ſed in *Prædicativô*, integra *propoſitio*. Quatenus *illic*, magis quæritur, quomodò aliquid *ſit*, in *ſtatu ſeparatô*: *Hîc* autem, quomodò aliquid *dicatur*, in *ſtatu conjunctô &c*: [2] *Latitudine*: Intrà ſphæram *Entitativi*, *per ſe* non præciſè reſpicit ad *neceſſarium*; ſed quandoque etiam permittitur ad ea, quæ ſunt *naturæ contingentis*. Unde quod ibi unô modô eſt *per ſe*, poteſt aliô, [*materialiter*,] eſſe *per-*

accidens. Imò : In *unô eodemque modô*, poteſt *per ſe* volvi in *materiâ* tum *neceſſariâ*, tum *contingenti*. Sicut patet ex *Priori Capite*. At conſiderandô *Prædicativè*, quod *per ſe* ſemel eſt unô modô, nunquam poteſt aliô fieri *per accidens*. Ratio eſt : Quià *per ſe* illic ſemper denotat *neceſſarium*, tanquam *nota propoſitionis neceſſariæ*, & ejus quidem talis *eſſentialiter*. Cohærere verò *terminos propoſitionis* ſimul & [neceſſariò] *Eſſentialiter*, & *non eſſentialiter* ſeu *per accidens*, pugnat. Eſt itaque *per ſe Entitativum*, multò latius *per ſe Prædicativô*, & ſic iterum ab illô differt. Quià verò *Deſcriptio generalis horum terminorum*, videri poſſet eſſe *Accidentalis*, porrò addimus.

11. Per ſe Prædicativum dicitur de propoſitione, cujus termini cohærent eſſentialiter.

Nimirum : Ad *per ſe Prædicativum*, hoc unum de *formali* requiritur, ut *ſubjectum* & *prædicatum* ſe reſpiciant *eſſentialiter*. Quod quid ſit facilè *ex contractione* ſcies. Simul enim *eſſentiale* cum ſe habeat vel *à priori*, vel *à poſteriori*, mox ſe findet quaſi in *duos ramos*; ſic ut,

III. Per ſe Prædicativum, ſit vel primi modi, ſeu in eſſendô, vel ſecundi modi, ſeu in afficiendô.

Philoſophi ſolent *modos per ſe*, *quatuor* facere, ut ſint præter *hos duos*, etiam *Tertius*, & *Quartus*. Sed quod attinet ad *modum* ipſorum *Tertium*, [aliis *Quartum*,] appellatum *Cauſandi*; [quoties nempe *ſubjectum* & *prædicatum*, ſe reſpiciunt ut *cauſa* & *effectum*,] dicimus illum eſſe, aut *incommodum*, aut *ſuperfluum*. *Incommodus* eſt: Quià *per ſe* noſtrum, ſive *Prædicativum*, tamquam *gradus propoſitionnis neceſſariæ*, ſe componet ad *neceſſitatem*; At verò *per ſe* ipſorum, nempe *Cauſandi*, de re aliâ eſt ſolicitum; nempe, ut poſſit *cum intentione* influere. Atque adeò illum ſuum *deſtinatum influxum*, non ſemper dirigit ad ea, quæ ſunt *neceſſaria*; ſed interdum & ad *contingentia*; Imò ad *hæc*, ſæpius quàm *illa*, ſaltem ſi manes intrà *Cauſam Voluntariam*. Nam hujus *libertati* & *intentioni*, nonniſi *contingentia* ſubjecta ſunt. Confer *Capit. Præced. Poriſm.* 12. *Superfluus* eſt: Quià lege *contradictionis*, unumquodque eſt aut *eſſentiale*, aut *non Eſſentiale*. Si *illud*, atque *à priori*, jam eſt *per ſe* in *primô modô*;

ſi à *poſteriori*, in *ſecundò*; ſi *hoc* autem, ſive *uen eſſentiale*, eſt *per accidens*. Dicam ex *principiis aliis*, nempe *Logicis*, adhuc clariùs. *Prædicationes veræ, affirmativæ*, [ſub quibus certè *hæ cauſandi* venient,] ſunt vel *Synonymicæ*, vel *Paronymicæ*. Si *illud*, ſunt in *primô modô per ſe*: Si hoc, & *adæquatæ*, in *ſecundô*, ſi *inadæquatæ*, ſeu *per latius*, ſunt *per accidens*. Ità intelligere eſt, quod quotieſcunque fiat aliqua *affirmatio ex cauſâ*, debeat, ſi *per ſe* eſt, militare ſub ejus ſeu *primô*, ſeu *ſecundò modô*; & ſic ipſa deſinere &c: Hîc mihi aliquis nominabit *Demonſtrationem*, quaſi propter *illam* neceſſe eſſer *gradum per ſe cauſandi*, retinere: ut quæ ex *Cauſâ* & *Effectu* ſuas *propoſitiones* formet &c: Sed neque ille nihil, neque omnia. Etenim *Demonſtrationi* quidem ita aliquid eſſe concedendum largior; ſed ſimul nego illud ad *Gradum per ſe* ſolùm pertinere. Poteſt enim *neceſſarium ex cauſâ*, incidere jam in *Gradus omnes*, velut quod eſt *convertibile ex cauſâ proximâ*, atque ſic καθόλυ πρῶτον, [*Gradum* autem καθόλυ πρῶτον, *omnes gradus* continere notum:] jam in *gradum* ſolùm κατὰ παντὸς, ſeu in *Gradum* κατ' αὐτό: Ut eſt ferè *neceſſarium ex tali cauſâ remotâ*, quæ effectum *aut* poſita ponit, ſublata autem non

tollit, [ſicut jugulatus interit;] *aut* & poſita ponit, & ſublata tollit. Itaque ratio *Cauſæ* in *Demonſtratione*, non concernit ſolum *Gradum per ſe*; ſed *Gradus Neceſſitatis omnes in communi.* Ut in hos uſus, [non *per ſe ſed*] *Neceſſarium quà Neceſſarium*, ſeu *in genere*, poſſit dividi, in *Cauſale*, vel *non-cauſale.* Idque in *Secundâ*, & non *Tertiâ operatione mentis*. *Modum Quartum*, [aliis *Tertium*,] appellare ſolent *per ſe Exiſtendi*, & *Trifariam* exponunt. [1] *Cum idem dicitur de eodem*; velut cùm homo dicitur *per ſe* homo &c: Ita eſt nugatio ſterilis & otioſa. [2] Cum *exiſtentia de ſubſtantiis prædicatur*: Quaſi *Subſtantiæ per ſe* exiſterent; *Accidentia* autem *per accidens*. Verùm in illâ uſurpatione, *Per ſe* aut *coincidit* prorſùs cum *Per ſe in eſſendô*, ſive *primi modi*, [eſt enim prædicatio; *Subſtantia Exiſtit*, Synonymica,] aut [quod illô adhuc pejus eſt,] *evertitur.* Nam quià propoſitio, *Accidens exiſtit*, ex ipſorum fabulâ; eſt *per*] *accidens*, fit certè clara *contradictio.* Etenim quatenus illa, [tanquam *Synonymica*,] eſt *per ſe in Primo modô*, eſt *eſſentialis*: Quatenus autem eadem, *ipſis* eſt *modô aliô*, nempe *Quartô per accidens*, non poteſt certè & ità eſſe *eſſentialis*, ſed debet eſſe *non-eſſentialis*: Quia *per ſe*, & *per accidens*, *oppoſita*, etiam

oppoſitos generabunt *ſenſus*. [3] *Cum prædicatum de ſubjectô proximô, ſeu de nullô aliô dicitur prius*: Sicut *per accidens ei oppoſitum* faciunt; *Cum prædicatum dicitur de Subjectô remotô*, ſeu *de alio aliquo prius*. In hoc uſu, modô volumus *ἀκριβολογεῖν*. proxima *per ſe exiſtendi* explicatio huc redibit. Etenim *Subſtantiæ* etiam hoc modô *per ſe exiſtent*, quià *proximè*, & non *per prius*: ſicut *Accidentia exiſtent per accidens*, quià *remotè* & *per prius*, nempe per *Subſtantias*. De hac acceptione terminorum, etiam aliquid incidit *Cap: Præced. Theſ: VII.* Hoc in ſenſu, *per ſe* erunt: *Spiritus* [immaterialis,] *eſt immortalis*; *Corpus eſt quantum*; *Animal eſt ſenſibile*; *Architectus ædificat*; *Medicus ſanat*; *Sacharum edulcat*; *Trigonus habet tres angulos &c*: *Per Accidens verò*, *Anima humana eſt immortalis*; *Cælum eſt quantum*; *Brutum eſt ſenſibile*; *Muſicus ſanat*; *Aqua*, [in qua ſacharum,] *edulcat*; *Scalenus habet tres angulos &c*: Verùm contrà *hanc Tertiam τοῦ per ſe Exiſtendi* explicationem, *tria* occurrunt. [1] *Eſſe hic quædam per ſe, quæ non poſſunt eſſe per ſe*: ut quæ ſint *per accidens*. Eaque tum *de omni*: Velut, *Animal eſt mas vel fœmina*, item *vigilans vel dormiens*; in integritate, *homo habet manus*, *planta radicem &c*: tum *non de omni*: Velut

Ani-

animal eſt ſanum ; *Homo, Medicus* ; *brutum, quadrupes &c* : Quæ quidem denominationes habent *ſubjectum proximum* ; ſed tamen ſunt *per accidens*. [2] *Eſſe hic quædam* [contrà] *per accidens*, *quæ non poſſunt eſſe per accidens* : ut quæ ſint *per ſe*. Ità Secundum *Ipſos*, *per accidens Homo foret ſenſibilis*; *Accidens exiſteret &c* : [quia per *prius*, *animal* eſt *ſenſibile*, *& ſubſtantia exiſtit &c*] Cum tamen *illæ propoſitiones* ſint *neceſſariæ eſſentiales*, ſeu *per ſe* : nempe *Primi modi*. [3.] *Omnia*, *quæ hic verè ſunt per ſe & per accidens*, *Hoc eſt* ; *eſſentialia atque extra eſſentialia*, *poſſe referri ad noſtros duos modos*. Sicut hoc ante patuit vi *contradictionis*. Atque ità magnô errore, [dum introducuntur *per ſe alia*, nempe *cauſandi* & *Exiſtendi*] *tum* multiplicantur entia præter neceſſitatem, *tum* ſubordinata opponuntur.

IV. Per ſe Primi modi, ſeu in Eſſendô, eſt cum nexus ſubjecti & prædicati eſt eſſentialis conſtitutivus.

Dicitur *per ſe conſtitutivum*, ſeu συστατικόν: Locumque habet in omnibus *prædicationibus*, quæ conflatæ ſunt ex *unitis* κατ᾽ ὑπόθεσιν, ſive *Synonymicis*. Atque iis [in omni ſphærâ atque ordine Entis] tam *latioribus*, quam *æqua-*

qualibus : tam per *ſubjectum remotum*, quàm per *proximum*. Velut: *Ens eſt ſcibile*; *Deus eſt eſſentia*; *Lex eſt Verbum Dei*; *Homo eſt animal*; *eſt ſubſtantia*, *eſt rationalis*, *ſenſibilis &c*: *Cæcitas eſt privatio*; *Chimæra eſt non-ens*. Alii hoc vocant *per ſe prædicativum*, dicuntque eſſe, *Cum prædicatum ineſt immediatè & eſt de eſſentiâ ſeu definitione ſubjecti*. Sed ut meritò quis poſſet admirari, quare, cum etiam *alii Modi per ſe* ſint *Notæ prædicationis*, unus hic debeat dici *Prædicativus*; Ità nemo *Definitionem* bonam dixerit, qui recordetur, poſſe etiam *prædicatum mediatè* dici, nempe de *ſubjectô remotô*. Et cum *ſpecies* prædicatur de *ſuis differentiis*, aut *definita* de ſuis *definitionibus &c*: non tum ſtrictè *prædicata* eſſe de *eſſentiâ aut definitione ſubjecti &c*:

v. Per ſe Secundi modi, ſive in afficiendô, eſt cum nexus ſubjecti & prædicati, eſt eſſentialis conſequutivus.

Dicitur *Per ſe conſequutivum* ſeu ἑπόμενον. Alii vocant hoc *inhærentiæ* ſeu ἐνυπάρξεως; dicuntque eſſe, *cum ſubjectum eſt de eſſentiâ ſeu definitione prædicati*. Intelligunt autem

tem *propria &c*: At cum eadem *propria* ſtant *ſubjecti* locô, [ſicut *proprium* & *ſubjectum* poſſunt reciprocari,] jam certè fallit illa *Definitio*. *Propria* enim *de ſe* non debent ingredi *Diſinitionem rei*, cum non ſint *eſſentialia* niſi *â poſteriori*. Dico autem *de ſe*; quià in defectu *differentiarum*, ubi admittuntur, fit quod fieri poteſt, non quod debet. Aliàs neque verum eſt, *ſubjecta* pertinere ad *Definitionem propriorum*, niſi ἐκ προσθέσεως. Cæterum *nexus* ille *eſſentialis Conſeqvutivus*, [quem nos *Modi hujus formale* fecimus,] datur in omnibus *prædicationibus Paronymicis æqualibus*; ſed iis tamen, *æqualitate ſubjecti* & *proprii*, magis quàm *proprii* & *proprii*. Nam utut *unum proprium* interdum *cauſa emanativa* alterius eſſe poteſt, ſic ut fiat *gradus* vel καθόλς πρῶτον, v. c. *Quantun eſt figuratum &c*: tamen novimus *propria eſſentialiter* conſequi, non tam *propria* inter ſeſe, quàm illas quarum *propria* ſunt, *eſſentias*: Ut *ſubjectum*, maximè reſpiciatur. Verùm obſervandum eſt: Quod *ſubjecta* illa, ſive fuerint *completa*, ſive *incompleta*, debeant eſſe *proxima* & *adæquata*, ſic ut cum *propriis ſuis* reciprocari poſſint. Neutiquam enim *propria* habenda ſunt pro *eſſentialibus legitimis*; niſi tam arctè conſequantur *eſſentiam*, ut non ſolùm *omni* &

ſemper, ſed *uni ſoli* inſint. Itaque *propria inadæquata* ſeu *inconvertibilia*, nempe relata ad *ſubjectum remotum*, [velut, *cum dicitur, anima eſt immortalis*; *Accidens eſt unum*; *Lapis eſt locabilis*; *Arbor quanta &c*:] non ſunt *vera eſſentialia à poſteriori*, ſeu *per ſe*; ſed *per accidens* tantùm, quià non inſunt *uni ſoli*. Utut tamen *neceſſaria de omni*, eſſe poſſint. Nam quod *prædicationes ſynonymicæ æquales*, relatæ ad *ſubjectum remotum*, [velut *homo eſt corporeus &c*:] ſint *per ſe*, hoc habet aliam cauſam. Eſt enim *Synonymum remotiſſimum* adhuc tamen *eſſentiale*; ſed non ità *Paronymum æquale*, ſive *Proprium*.

VI. Per accidens Prædicativum, dicitur de propoſitione, cujus termini cohærent extra-eſſentialiter.

Extraeſſentialiter dico, non autem *contingenter*. Ut hîc vulgò fit. Nam interdum etiam *per accidens* hæcce *neceſſaria* ſunt, ſeu *de omni*. Cæterum *extra-eſſentialiter* cohærent, omnes reliquæ *affirmativa propoſitiones*, quæ non ſunt in illis *Binis Modis per ſe*; hoc eſt: omnes *prædicationes Paronymicæ*

La-

Latiores, ſeu *Inadæquatæ*. Nempe ex omnis generis *adjunctis*, ſeu *communibus*, ſeu *propriis inconvertibilibus*.

Porismata.

1. Multa ſunt Entitativè per ſe & per accidens, quæ non ilicò talia ſunt Prædicativè.

Paucis hoc tetigimus alibi in hôc Capite: Et ejus rei *cauſam geminam* reddidimus. Præcipuam, quod *Prædicativum* uni *eſſentialitati* atque *extraeſſentialitati* ſit aſtrictum: à quibus *Entitativum*, non præcisè leges ſumit; ſed hinc inde ſolutum, longè *extrà ea*, [prout ſibi *uſus* fecit licentiam,]excurrit. Atque ut *Entitativi per ſe & per accidens*, *materialiter*, ſæpe inverſô ordine, *illud* extraeſſentiale, *hoc* eſſentiale eſt; ità alia *formaliter* curæ habet: Nempe, rerum *ſtatus*, *cauſas*, *compoſitiones* & ejusmodi. Quæ *formaliter Prædicativum* non attingit. V. c. *Oratio Græca*, *relata ad Oratorem intendentem*, habet ſe *Entitativè per ſe*, [ex Cauſalitate &c:] Sed in *propoſitionem* redacta cum Oratore, ſivè *Prædicativè*, habet ſe *per accidens*. Etenim Enunciatio: *Orator Græcè loquitur* tantùm abeſt

ab *eſſentialitate*, ut nè quidem *neceſſaria* ſit. Plura & his ſimilia deprehendes in *Exemplis Theſeos* III. ad *Modum per ſe Quartum*, ante confutatum, ſeu *ſuppoſititium*.

2. Per ſe notat eſſentiale: Per accidens, extraeſſentiale.

Nihil certius: ut præmonſtratum. Et v. quià vulgò notum, *Gradum per ſe* eſſe altiorem & auctiorem *Gradu de Omni*; neceſſe eſt ut quandò *de Omni* ſiſtit *Neceſſitatem* in ſimplici valore, aliquid ad eum addat ulterius *Gradus per ſe*, qui eſt *ſuperior*, & illud nullum aliud quàm *eſſentiale*. Plus enim certè adhuc eſt, eſſe *eſſentiale*, quàm *ſimpliciter neceſſarium*. Quod ſi autem *eſſentiale* eſt de *formali τοῦ per ſe*; erit certè *extraeſſentiale τοῦ per accidens*. Lege *oppoſitorum*.

3. Per ſe Prædicativum præſupponit Gradum de Omni.

Notum eſt *tres Gradus*, eſſe inventos à *Philoſophis*, propter pretium *Neceſſitatis*. Ut ſunt: *Gradus κατὰ παντὸς, κατ' αὐτὸ*, & *καθόλου πρῶτον*. Ex his, quomodo *Gradus poſterior* ſemper imbibit & præſupponit *anteriorem*; Ità & *Gradus κατ' αὐτὸ*, *de Omni*. Ut hîc aliâ non ſit opus demonſtra-

ſtratione. Eſt autem illud *de Omni*, [quod hîc tamen intelligimus, non *Prioriſticum*, quod interdum eſt *falſum*, & *ſignum* ſibi ſemper habet additum; ſed *Poſterioriſticum*, quod vel ſignô vacuum, eſt veriſſimum &c:] *prima & infima nota propoſitionis affirmativæ neceſſariæ, in quâ termini cohærent ſemper, unione immutabili*. Itaque *duo* hîc non temerè requirimus: [1] *Temporis perpetuitatem*: Sic ut *ſemper* prædicatum inſit in ſubjectô ſuô; ſi non ratione *actus ſecundi*, ſive *exiſtentiæ*, ſaltem ratione *actus primi*, ſeu *convenientiæ*. [2] *Unionis* ſeu *cohæſionis immutabilitatem*: Secundum quam prædicatum itá ſemper ineſt ſubjecto ſuo, ut *non poſſit non ineſſe*. Alterum ex *his requiſitis* qui demunt, furcam faciunt unô ramô. Nam neque *perpetuitas*, ſine *immutabilitate*; neque *hæc*, ſine *illâ*, ſufficit. Poteſt *pannus aliquis*, *ſemper*, atque à primô illô momentô, quô cæpit, *niger* eſſe, nec tamen [quia deeſt *immutabilitas*,] ideò *niger eſt neceſſariò*; Cum alterius coloris eſſe potuit. Contrá: *Immutabiliter* homo vivens reſpirat; avis matura habet plumas &c: cum tamen, quià *temporis* abeſt *continuatio*, hæc ſe habeant *non-neceſſariò*. *Gradus* enim ἐπὶ τὸ πολὺ, ſeu *ut plurimum*, Gradus *contingentiæ* eſt. Juxtà 1. *Topic.* 1. Aliqui, *immutabi-*

tabilitate omiſſâ, addunt ad *Temporis perpetuitatem*, ſeu *Subjecti univerſalitatem*, ſeu [& potiſſimum,] *Loci ubiquitatem*. Sed *Subjecti univerſalitas*, [poſtquam hîc etiam *ſingularia* poſſint incidere,] nonniſi quid *materiale* eſt ad *de omni quà de omni*. Quoties enim *ſingularia*, [æquè *infinita* ſeu *fluxa*, ac *finita* ſeu ſtata,] habent *prædicata eſſentialia*, aut alioqui *immutabilia*, [velut ſi dicas: *Deus* eſt *Spiritus infinitus &c: Chriſtus eſt homo; Mars eſt ſtella; Demoſthenes eſt rationalis &c:*] faciunt certè *propoſitiones neceſſarias*, [nam *probabiles*, aut *falſæ* non poſſunt eſſe,] atque ità, [cum ſint *affirmativæ*,] etiam *de Omni. Loci Ubiquitas*, ſicut omninò requiritur & ſupponitur in *Gradu de omni*, ità non eſt aliqua *neceſſaria conditio* ultrà *priores duas*. Nam quod *ſemper & immutabiliter* ſic ſe habet, ità habet ſe etiam *ubique*. Quare ſola *Temporis perpetuitas*, & *Cohæſionis immutabilitas*, neceſſaria ad *de Omni* requiſita ſunt. *Loci* autem *ubiquitas*, [quomodò *plura*,] ex *illis* conſectaria eſt. Errant ergò *Calviniani*, qui *Chriſtum* quidem *hominem* agnoſcunt; ſed tamen negant eum quà *carnem* eſſe *ubique*. Etenim *carnem eſſe locô circumſcriptam*; *ultrà eam infinitis ſpatiis λόγον tanquam immenſum excurrere &c:* Vide *Croc. in Defenſ.* 2. *part.*

part. Conv. Prut. c. 17. & 18. At ſicut hoc dogma, λόγον *extrà carnem* ἀδιαστάτως *ponit*, & ſic *Neſtoris* refodit manes; ità ex hôc locô etiam refelli poteſt. Etenim Prædicatio: *Chriſtus eſt homo*, eſt *per ſe*, [nempe *primi modi*; quià *partes de eſſentiâ totorum ſunt*,] atque ita & *de Omni*, & ſic etiam *ubique*. Id quod erat demonſtrandum. Errat etiam (aa) *Amyraldus*, cum ſtatuit *facultates* [animæ] *recipiendis objectis deſtinatas, per ſe eſſe vacuas &c*: At ſi *per ſe*, etiam eſſent *ſemper*; Et ſic nulla eſſent *principia connata*, (κοιναὶ ἔννοιαι;) Sed *intellectus* eſſet *tabula raſa, cui actu nihil inſcriptum*, contrà *Apoſtolum, Rom.* 1,19, & 11,14.

4. Per ſe eſt inæqualis dignitatis.

Quià enim *per ſe*, [quomodò dictum fuit,] eſt vel *Conſtitutionis* ſivè *Primi modi*, [nempe eorum quæ ad rei conſtitutionem ſpectant à *priori*,] vel *Conſecutionis ſeu Secundi modi*, [eorum quæ eſſentiam conſtitutam proximè conſequuntur, nempe *Propriorum*,] nemo non facilè animadvertit, quod *illius*, præ *hoc*, major *dignitas* ſit, niſi qui naturæ momenta non novit diſcernere, hoc eſt: Cerebrum, quod dicitur, in calcaneô gerit. Poteſt

(aa) Diſput. de Liber. arbitr. p. m. 200.

teſt enim *per ſe conſecutionis*, ſolvi ab eſſentiâ ut *extrinſecum*, ſic ut illa tamen non perdatur: Verùm non ità *per ſe conſtitutionis*. Quià ſi hoc demis, res ipſa mox exſtinguitur, aut diſſolvitur.

5. Non Omne Prædicativum per accidens, ſtatim eſt contingens.

Per accidens enim, ſive *extra-eſſentiale*, non opponitur *neceſſario*; ſed tantùm [quomodo ſæpiùs,] *eſſentiali*. Quare non putandum eſt *τὸ per accidens*, è *Gradu per ſe* dejecta, hoc ipſô mox è *ſcalâ neceſſitatis* excuti: Cum poſſint eorum etiam aliqua ſubſiſtere, in *Gradu neceſſitatis infimô*, nempe eô quidem *de Omni*. Velut cum dicitur: *Currens habet pedes*; *volans alas &c*: *jugulatus interit*, *Aqua Regia ſolvit aurum*; Et quoties *propria* cum *ſubjectô ſuô remotô*, ſeu *inconvertibili*, componuntur. Quarum propoſitionum, nos ſylvam aliquam dedimus, *Theſi V. hujus Capitis.*

Caput Qvartum.

DE

Diſtinctione in *Magis*, vel *Minus*: *Primarium*, vel *Secundarium*.

I. Magis & Minus, non eſt idem quod Principale, & minus Principale.

Etenim: Omne *magis & minùs*, poteſt dici *principale* & *minùs principale*; ſed non *vice verſâ*. Poſſunt quippe denominationes *Principalis* & *minus Principalis*, etiam aſſignari *Subſtantiis*, & quæ *inæqualia* ſunt tantùm reſpectu *formæ*. Quomodò benè dico: *Homo eſt magis principale animal*, quàm *Brutum*; ſed non, *Homo eſt magis animal &c*: Differunt ergo illa *membra*, *tanquam latius & anguſtius*; ſeu *Diſtinctione*, (uti vocant,] *includentis & incluſi*.

II Non omne ut magis vel minùs ſe habens, ſtatim eſt diſtinctio ſecundum magis vel minús.

Ad

Ad *illud* enim *inæqualitas* ſufficit: Ad *hoc* autem, ſive ad *diſtinctionem*, multa requiruntur. Ut fuit ſuô locô indicatum. Ità cum [bb] *Arminiani* diſtingvunt *Gratiam, in Primam*, conſiſtentem in lumine naturæ, ſeu reliquiis imaginis primævæ; vel *Secundum*, quæ ſit Evangelii: dicuntque *hanc* gratioſâ Dei diſpenſatione adipiſci, quisquis *primâ* illâ rectè utatur &c: *gradu* certè dfferent tales [ſi, aut ubi fuerint] *Gratiæ*; ſed *Diſtinctio* tamen *non eſt bona*: Quia *Gratia* illa *Prima*, non eſt *Gratia*. Neque enim *Lumen Naturæ* aut ſecundum *Scripturæ ſtilum*, dici poteſt *Gratia*, [*Pelagiani* primi auſi ſunt *Gratiam* ad *Naturam* transferre,] aut ejuſmodi aliquibus *Diſpoſitionibus*, quales illi *Gratiam* appellant *Primam*, Deum prævenire poteſt. Eſt enim *Lumen Naturæ* ità in *Scripturâ mortuum*, Eph: II.1,5. aut ſi *operativum*, non aliter *operativum*, quàm in *hoſtilitatem* Rom. VIII. 7. & *ſtultitiam* I. Cor. I. 23. & II, 14. Quod quidem, multa paucis ut complectar, ità clarum atque manifeſtum eſt, ut σῶσαι dicatur θεοῦ χάριτος, prorſus *in antitheſi ad noſtras Qualitates*. Eph: II 8.9. Sicut plena ſunt volumina Theologorum. Præterea, *extrà diſtinctionem* dicimus,

(bb) Armin. contrà Perkinſ: & Corvin. contrà Tilen. cit. Palatin. in judic. Synod. p.m. 137.

mus, (quippe ubi *nulla adæquatio*) *Cicero magis* fuit eloquens, quàm fortis; Craſſus *ditior*, quàm Cato. Et quæ plana ſunt.

III. Diſtinctio ſecundum magis vel minùs, eſt Diſtinctio Analoga.

Potueramus illâ operâ abſtinuiſſe, cum vel ipſi termini *magis* & *minus* hoc loquantur; hoc eſt, inæqualitatem præ ſe ferant; Quia tamen *Vir Doctus*, nuper ſcribere amavit: *In amore Dei non poſſe eſſe* ἐπίτασιν *ſive gradus; quod ſit infinitus &c*: Placuit hoc reſumere. Etenim datur in *amore Dei*, certè *magis* & *minus*, ergó datur etiam *Gradus*, ſeu Analogia. Nam quamquam facilè in eô convenimus, quod *Dei amor infinitus*, κατ' ἔσω & *elicitè non* habeat *gradus*, (ut *quo filium ab æterno ſui: proſequutus & c*:) tamen eundem ad *Creaturam* & κατ' ἔξω terminatum, gradus facere minimè dubitamus. Neque enim Deus ſolùm in *temporalibus*, unum cultius amplificat quàm alium; ſed & in ſpiritualibus, non eſt incognita *Amoris Dei* diſtinctio in *Benevolentiæ*, qui & in *reprobos* cadit, vel *Amicitiæ*, qui *tantùm in fideles*. Deus enim eſt conſervator omnium hominum; ſed *maximè fidelium*. 1. *Tim*: IV. 10. Quomodò certè *magnum* eſt filium dare ſimpli-

Pliciter: ſed adhuc *majus*, præter filium, dare *ſingularem curam & protectionem; ſpiritus inhabitationem; Gloriæ dulciſſimæ Cæleſtis fruitionem &c*: Imò: Quis vel in *fidelibus* donorum diſparitatem, 1.*Cor*. XII.4.*ſeq*, neſcit? Quare poteſt, [ut hinc pergam,] *Amor Dei*, in ſe eſſe *uniformis*, licet non ſit talis in relatione ad *objectum extrinſecum*. Sicut *lumen* exit quidem par & *uniforme*, à ſole; ſed tamen pro diverſitate nubium, *alios aliosque ſumit colores*: Atque illa ipſa *ſimpliciſſima Dei Præſentia*, hinc *Provida*, illinc *Spiritualis*, alibi *Symbolica* ſive *Sacramentalis*, *Perſonalis &c*: denominatur.

IV. Membra Diſtingventia ut magis & minùs, non variant ſpeciem.

Vulgò dicunt: *Analogia non mutat rem*. Sed illud, tamen aliud, & paulò latius ſe extendit quàm *hoc noſtrum Scitum*. Etenim, *Analogia non mutat rem*, quandò id quod eſt *analogum*, [ſive ut *nomen*, ſive ut *res*,] confert *omnibus* infrà ſe *analogatis*. Quod concernit *analogum in genere*. Nam *omne diſtinctum*, quale quale eſt, *debet communicari ſingulis ſuis*

ſuis diſtingventibus: Iuxtà *Tmem*: **1.** *Capit.* **1.** *Poriſm*: **2.** *Analogia* autem, ſive *magis* & *minùs*, *non variat ſpeciem*, hoc eſt: *non facit ſpeciem aliam atque aliam*, ſeu *diverſam*. Quod non concernit *Analogum*, niſi *Reale*. Etenim *Analogum Nominis* ſeu *Æquivocum*, nihil rei habet cum *Specie*; cujus nempe *vacuum* tantùm eſt ὁμοίωμα. Interim Debet *Speciei* vox extendi, ut ſignificet omne illud, *ſub quô aliquid ſubſumi poſſit*, vel *quod infrà ſe habeat individua*, ſive ut *univerſale per ſe*, ſive ut *univerſale per accidens*: [Quæ intelliges ex *Tmem*: *hujus*, *Capit*: II. *Theſi* v. & *Tmem*: *Prior. Capit*: III. *Theſ*: IV.] Et *per ſe* quidem, ſive ut *tranſcendale*, ſive ut *prædicamentale*. Quâ quidem neceſſa iâ terminotum *ampliatione* & *cataſceve* factâ, Quando quæritur: *An & quomodò membra diſtingventia ut magis & minùs, varient ſpeciem?* Reſpondendum: ea variare *Speciem per ſe tranſcendentalem*, & *per accidens*; ſed non, *per ſe*, *prædicamentalem*. Hoc eſt: Poſſe tribui *membris*, quæ ſe habent ut *diverſæ ſpecies*, *Per ſe tranſcendentales*, & per *accidens*; ſed non quæ ſe habent ut *diverſæ ſpecies per ſe prædicamentales*. Ratio eſt: Quià *gradus* ejusmodi, certè non diſtingvunt *diverſas eſſentias*; ſed tantùm *magis* & *minùs*,

in

in *eâdem eſſentiâ*. Prout & *Diſtinctio Gradualis*, ſemper in Philoſophiâ, *Specificæ* ſubordinata fuit. Ità v.c. *albus* & *albior*, non deſignant *alias atque alias per ſe ſpecies*; ſed tantùm *gradus unius* & *ejuſdem ſpecifici coloris*, nempe *albedinis &c*: Loquor verò de *gradibus* hiſce, *magis* & *minùs*, non promiſcuè; ſed ut *membra* ſunt *diſtinctionum*. Nam aliàs *extrà diſtinctionem*, facilè fieri poſſe non ſum neſcius, ut cadant in *diverſas per ſe ſpecies*: Velut ſi confers *calidum formoſum &c*: in *gradu minùs*, cum *frigidiſſimô, ditiſſimô &c*: in gradu *magis*. Quæ ſunt *ſpecie diverſa*. Quandò verò *ſpecies* ſumitur pro *univerſali analogô tranſcendentali*, omninò eam *membra magis & minùs*, variare poſſunt. Nam cum diſtinguo, v. c. *Scibile* in *liberale*, vel *illiberale*: *Ens*, in *ſubſiſtens* vel *inhærens &c*: *membra*, quæ ſe ut *magis* & *minùs* habent; certè non conveniunt *ſpecie*; ſed diſtrahuntur ad *diverſas eſſentias*, [ſicut aliud *ſubſtantia*, aliud *accidens &c*:] Et ſic, [utut *Species* non *rigoroſa*; ſed *qualem ante extendimus*, hîc habeat locum,] etiam cadunt in *membra*, quæ ſe ut *diverſa ſpecie* habent. Quod eſt *ſpeciem variare*. Atque idem etiam redit de *Univerſali*, ſeu *ſpecie per accidens*. Nam ſi diſtinguis v. c. *Calidum*, in *tepidum* vel *fer-*

fervidum: Frigus, in *intenſum* vel *remiſſum:* *Ingenium*, in *mediocre* vel *excellens &c*: differunt certè *membra* inter ſe, non modò *realiter*, [quia ante omnem mentis fictionem, reverà *tepidum*, non eſt *fervidum*, aut, *frigus remisſum*, *intenſum &c*: faciléque hoc ſentit nudus: Uti & v. c. *frigus remisſum*, eſt propter *concurſum pauciorum ſubjectorum frigidorum*; *intenſum* propter *plurium &c*: poſſunt verò diſcedentibus *pluribus*, tamen remanere *pauca*, & ſic ab iis eſſe *ſeparabilia*; Quæ eſt nota *Diſtinctionis realis*,] ſed & *ſpecificè*; poſtquam ſub iis habeo *individua*: Sub *tepidô*, hoc tepidum; ſub *frigore intenſô*, hoc frigus intenſum; ſub *ingeniô mediocri*, hoc ingenium mediocre &c: Dixi hæc eſſe *Species per accidens:* Quia utut in iis *materialiter*, exſtat aliqua *una per ſe ſpecies*; nempe *calor*, *frigus*, *& docilitas*; tamen ſupervenit præterea, etiam gradus *magis* & *minus*, qui dum *eandem ſpecie eſſentiam* ex *inæquali* diſpertitur, eam à *ſe ipſâ*, facit *accidentaliter* diſtingui &c: Ita *Species ejusmodi* eſt conflata ex tali modô *graduali* ſive *accidentali*, & *ſpecie aliquâ per ſe*; & ſic habet ſe ut *unum* quid *per accidens*. Subit ergò admirari, quare *Metaphyſici*, *calorem*, *motum*, *lumen &c*: habent quidem inrer *accidentia*; ſed *gradus caloris, motus*,

tus, *luminis*, inter *modos*, & non *accidentia*: Quos & referunt ad eam *Modalem diſtinctionem*,quæ ut *ſpecies diſtinctionis Notionalis*, Diſtinctioni *Reali* opponitur. Verùm enimverò, quià *gradus illi*, tamquam *ſeparabiles* &c: differunt *realiter*,ſicut præmonſtratum; errant ſanè, qui eos ad *Diſtinctionem Notionalem* referunt. Et quamquam *modi* differre poſſunt *realiter*, & tamen non eſſe *Accidentia*, [velut in *ſphærâ tranſcendentali*; ſuppoſitalitas & natura finita: Modi perſonales Trinitatis&c:] tamen in *ſphærâ determinatâ*, omnes *realiter* differentes *modi*, *accidentia* ſunt: Quià neque *ſubſtantiæ*, neque *negationes*, aut aliud aliquid ex *naturâ* hac *inferiori*, eſſe poſſunt. *Accidentis eſſe accidens*, non eſt infrequens in Philoſophiâ. Eſt enim certè *figura*, *quantitàtis*; *Color*, *Superficiei*, *actio elicita*, *potentiæ ſuæ naturalis &c*: *Uſus* eſſe poteſt [1] contrà *Pontificios*: Qui cum à nobis accuſantur *idololatriæ*; quod cum (cc) *Thomâ ſuô*, tribuant *Sanctis cultum* aliquem *mixſtum ex Divinô* & *humanô*, quem incruſtant vocabulis *duliæ* & *hyperduliæ* &c: & ſic eatenus fiunt *Idololatræ*, quatenus vel *ex parte*, homines ad *Divinum cultum* admittunt; reſpondere ſolent: *Cultum Divinum*, *Sanctis* deferri,

(cc) 11. 11æ. Quæſt. 103. artic. 3.

